



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>









Wolgers

Joan Henr Winkler  
in a bed of - B

8405.ccc.17

**ETHICA  
CHRISTIANA  
VNIVERSALIS**

**AVCTORE  
BENEDICTO STÄTTLER**

---

**ANNO MDCCLXXII PRIMVM,  
ET NVNC  
ANNO MDCCLXXXIII  
SECVNDQ EDITA, ET AB IPQ AVCTORE  
REVISA.**



---

**AVGVSTAE VINDELICORVM,  
SVMTIBVS MATTHAEI RIEGER P. M. FILIORVM.  
MDCCLXXXIII.**







## ADPROBATIO.


**E**thicam Christianam universalem, a P. R. ac Clarissimo Domino Benedicto Stattler SS. Theologiae Doctore Typo commissam, utpote quae nihil contra catholicam Religionem, vel bonos Mores continet, quamque solida Principia contra Pseudo-Philosophos Religionis, et Morum doctrinam pessumdantes commendant, reimprimendam esse censeo. Augustae Vindelicorum die 25. Martii Anno 1793.

IOS. ANT. STEINER, SS. Theol. Doctor, Eminentiss. ac Ser. Elect. Archiepisc. Trevir. Episc. Aug. Contil. Eccles. Major Poenitentiarius, Consistorii Assessor, Visitator generalis, ad infig. Colleg. S. Mauritii Canonicus, et librorum Censor.

*Imprimatur.*

*Datum ex Reverendissimo Vic. off.  
Aug. Vindel. 26. Martii 1793.*

IOAN. NEP. AUG. UNGELTER L. B. DE DEISENHAUSEN, Episc. Pellens. Eccl. Cath. Aug. summus Praepos. Eminentissimi, ac Serenissimi Elect. Archiep. Trevir. Princ. et Episcopi Aug. Vices gerens, Confer. Minister, Vic. in Pontif. et Spirit. Generalis. *ppria.*



## PRAEFATIO, EDITIONI PRIMAE PRAEMISSA.

**E**thicam Christianam Universalem scribendi consilium eo fine suscepi, ut Philosophis nostri aevi, non religionem modo, sed morum quoque doctrinam varie pessumphantibus, occurrerem; ut Philosophiam moralem ad Christianum habitum componerem, a quo longe dissidere mihi in optimis cetera ac celebratissimis hac aetate scriptoribus videbatur; denique ut, dissidiis quibusdam demonstrativa methodo compositis, quae Catholicam Christianae Societatis partem in morum doctrina cum ceteris collidunt, causis veluti pedetentim diminutis, viam proniorem ad integram pacis concordiam etiam circa fidei dogmata praepararem.

Primum ut consequerer, omni demonstrationis rigore evolvenda suscepi argumenta maxime abstrusa de notionibus boni varii, de primitivis stimulis et affectibus appeti-

petitus humani, de unico vero fine ultimo hominis, de scopo ac proposito Creatoris, de status praesentis vitae ad futurum alium subordinatione, de alterius vitae praemiis ac poenis, de discrimine intrinseco morali actionum humanarum, de veris criteriis moralitatis, de libertatis genuina indole et existentia.

Alterum ut effectum darem, necessitatem ostendi etiam in mere naturali Ethices genuinae scientia connectendi vitae alterius rationes et motiva cum vitae praesentis recta institutione; necessitatem item actionum humanarum ad illius felicem vel infelicem statum intimas relationes praecipuo loco expendendi; ac denique attendendi altius quoddam moralitatis genus in omnibus humanae vitae negotiis; quam ista non mere a consensu vel dissensu cum recta ratione et naturae bono, sed ab altiore divinarum perfectionum norma, fortirentur.

Hoc consilio examinavi vere theologicum bonarum actionum morale pretium, rationes proprie sufficientes legum naturalium, vim suam ad ipsam alterius vitae fortunam extendentium; completam malarum actionum malitiam, in contemptu DEI inprimis repositam, veram denique totius Christianae virtutis indolem, huiusque ingens a

mere Philosophica, quin et omni mere naturali, discrimen.


Tertium denique ut pro viribus exequer, ratione etiam naturali veram peccati indolem, gravis et levis culpa discrimen, totius imputationis naturam ac leges, necessitatem poenitentiae post admitta crimina, quin et purgatorii, quod vocamus, veritatem, nisi me omnia fallunt, demonstravi. Verbo: scribere sic Ethicam adlaboravi, ut non magis Catholicis quam Protestantibus, quin et nostri aevi subtilioribus iusto Philosophis, usui non nulli esset, atque altius etiam rimandam omnem morum Christianorum oeconomiam vel sola sua insolentia persuaderet.

Scribendi methodum, dicendae propriae sententiae libertatem, moderationem in revincendis contrariis sententiis, eandem mihi ubique commendatam habui, quam in Metaphysica mea tota sum professus. Sinceritas consilii, animus, omnium hominum communis emolumenti studiosus, quidam etiam in rebus metaphysicis argumentis proprio Marte tractandis usus, spem mihi faciunt, laborem hunc meum nec iis displiciturum, qui a religione mea cetera sunt alieni: quibus ego vicissim profiteor, me non minore ipsis, quam meae consortibus, benevolae voluntatis studio addictum esse.

Quodsi

Quodsi limam ultimam istius operis mecum ipso quis desideret; noverit, definitum intra tempus id absolvendi necessitatem ita mihi impositam fuisse, ut impresum statis intervallis praelectionum publicarum pensum meis in Theologia discipulis mature in promptu esset. Crisim nullius pari mecum scribentis et cogitantis methodo refugio, sed eo magis acceptam habebo, quo minus superficiali lectione operis illa aut praecipitata fuerit, aut ex meris praeiudiciis concepta, aut alieno a mei instituti et religionis hominibus animo lata; qui me ceteroquin totius mundi civem et bonorum omnium amicum tota voluntate profiteor. Ceterum ordinem scribendi sic institui, ut praesens opus sibi sufficeret, nec opus absolute esset lectori ad alia a me scripta recurrere.





## PRAEFATIO EDITIONIS SECUNDAE.

**E**mendatione aliqua non nisi in paucis paragraphis capitis primi et secundi primae Sectionis opus; cetera vero omnia post viginti annos sic reliquenda esse, mihi etiamnum videbatur, prout olim concepta a me sunt. Sufficient ea, ut opinor, intelligenti abunde ad refutanda etiam quaevis nova figmenta Kantiana; quae haud facile imponent iis, qui contenta in hoc opere rite concocta in suam substantiam verterunt. Citra invidiam et ostentationem dicere hoc liceat; postquam Kantiani sic de sua victoria mox a principio exultarunt, ut nec legere opus istud decretorium, a me in Anti-Kantio meo citatum et commendatum, dignati sint. Illud non diffiteor, multa lectione et meditatione opus esse, ut totum diggeratur.

tur. Solidum tamen in eo cibum sano stomacho offerri viginti annorum usus me satis docuit; tum maxime, cum Kantianae morum Metaphysicae refutandae arma hoc maxime ex promptuario defumebam, quin potius iam a me refutatos in antecessum illius omnes paene errores ostendebam. Mirum! Kantiani identidem suis adversariis male intellectum systema suum obiiciunt; atque ipsi tamen, ut vim responsionum nostrarum et obiectionum, quae vicissim illis opponimus, penitus intelligant, ne legere quidem nostra dignantur; minus verbo aliquo argumentis nostris decretoriis usquam respondent. Credasne, amice Lector, sincere illos nobiscum, et genuino solius veritatis studio tam gravi in argumento agere?





---

# CONSPECTVS OPERIS.

---

## PROLEGOMENA.

### *Se&io I.*

De fine ultimo hominis, seu de vera  
beatitudine.

#### *Caput I.*

De vero et bono, eiusque varia divisione.

#### *Caput II.*

De bono, ut est obiectum, et motivum voluntatis,  
sive de cognitionis practicae natura et pro-  
pria energia.

#### *Caput III.*

De essentia, seu possibilitate intrinseca, beatitudinis, seu  
finis hominis absolute ultimi.

*Articulus I.* Qualis sit, demonstratur primo a poste-  
riori.

*II.* Idem demonstratur a priori ex DEI no-  
tione.

#### *Caput IV.*

De existentia beatitudinis verae, seu finis ultimi, quo-  
ad ex ipso lumine rationis naturalis de ea con-

*Artic. I.*

*Artic. I.* An beatitudo cum praesentis vitae statu componi possit.

*II.* De certitudine securitatis post hanc praesentem alterius vitae, et exiturae ibi aeternae beatitudinis hominum.

*III.* De mediis aeternam vitam alterius beatitudinem consequendi.

*IV.* De necessariis et evidenter futura infelicitate eorum, qui bono libertatis usu alterius securitatis vitae beatitudinem promereri in hac vita neglexerunt.

*V.* De aeternitate poenae, improbis in futura vita a DEI Iustitia constitutae, quoad de dogmate isto ex ipso lumine rationis naturalis constat.

*VI.* De sorte naturali immediate post mortem illorum hominum, qui nec semper bene moraliter egerunt in hac vita, nec tamen in malitia morali haesere obstinati ad mortem usque.

*Caput V.*

De substantia consequendae reipsa a probis beatitudinis in futura vita, quoad illam ex DEI revelatione et religione Christiana discimus.

*Artic. I.* An per solas vires naturae vel ad DEI immediatum intuitum, vel ad veram beatitudinem, creatura aliqua rationalis absolute pervenire possit.

*II.* Certitudo futurae beatitudinis supernaturalis per immediatum DEI intuitum demonstratur.

*Artic. III.*

*Artic. III.* Demonstratur certo futura inaequalitas  
beatae visionis pro inaequalitate merito-  
rum moralium.

*IV.* Dogma Christianum esse, beatitudinem  
fore aeternam, ostenditur.

### *Caput VI.*

De certitudine et qualitate poenarum, improbis in futura  
vita imminentium, vi dogmatis Christiani.

*Artic. I.* Dogma Christianum de aeterna infelicitate  
positiva impiorum, in improbitate sua  
morientium, demonstratur.

*II.* Certum quidem, nullo tamen solenni ora-  
culo Ecclesiae Catholicae firmatum esse  
dogma ignis corporis infernalis, osten-  
ditur.

### *Caput VII.*

Dogma Catholicum de poenis animas post mortem pur-  
gantibus exponitur.

*Artic. I.* Principia Catholica praevia de remissione  
peccatorum, horumque in gravia et levia  
divisione.

*II.* Dogma Catholicum de existentia poena-  
rum vitae alterius, animas purgantium,  
seu purgatorium, demonstratur.

### *Caput VIII.*

De tempore inchoandae beatitudinis proborum, et infe-  
licitatis reproborum.

*Artic. I.* Dogma esse Catholicum ostenditur, animas  
proborum, omni reatu culpae et poenae solu-

solutas, mox ad DEI beatam fruitionem  
admitti in futura vita.

**II.** Dogma quoque Catholicum esse ostendi-  
tur, hominum improborum animas statim  
a morte ad poenas inferni ablegari.

*Caput IX.*

De consummatione Seculi, seu de extremo die Iudicii  
Vniversalis.

*Sectio II.*

De Actionibus humanis moralibus, ceu mediis,  
aut impedimentis, finis ultimi.

*Caput I.*

De humanarum actionum moralium bonitate et malitia,  
seu diversa relatione ad finem ultimum.

**Artic. I.** Notiones praeviae, et Analysis facultatum  
et actionum humanarum.

**II.** De differentia intrinseca moralitatis actio-  
num humanarum fundamentali et anteceden-  
te legem DEI.

**III.** De lege et Iure Naturali.

§. **I.** De notionibus potestatis moralis, iuris, et  
obligationis.

§. **II.** De notione legis, aliisque connexis.

§. **III.** De existentia legum, consiliorum, et iu-  
rium naturalium.

§. **IV.** An in praesente statu morali Christiano  
existat lex DEI naturalis, vel positiva, om-  
nes obligans universe ad actiones liberas di-  
rigen-

rigendas, ad finem theologicæ bonum, eumque supernaturalem.

§. V. An in eodem statu existat lex naturalis fidei, spei, et amoris DEI supernaturalis; et an eius obligatio se extendat ad omnes actiones liberas peragendas univèrse ex motivo caritatis DEI.

*Artic. IV. De Lege DEI positiva.*

V. De moralitate actionum humanarum consequente ad legem DEI in statu morali Christiano.

§. I. De Norma actionum moralium.

§. II. De notionè peccati, et huius præcipuæ divisione.

## *Caput II.*

De actionum humanarum moralium libertate.

*Artic. I. De natura principii liberi actionum moralium.*

§. I. De deliberatione necessaria ad hoc, ut quid homini ceu principio libero imputari possit.

§. II. De consensu voluntatis ad idem necessario.

§. III. De peccatis ex certo proposito, et mærae negligentiae.

§. IV. De incuria salutis, seu finis ultimi, huiusque effectuum imputatione.

§. V. De periculo et occasione peccati, et huius imputatione.

§. VI.

§. VI. De ignorantiae et erroris varia imputatione.

§. VII. De facti alieni imputatione.

§. VIII. De essentialibus libertatis.

*Artic. II.* De existentia libertatis.

§. I. De imperfectione facultatis naturalis humanae ad merita moralia theologica, in statu morali praesente Christiano necessaria, et de auxiliis supernaturalibus, ad eadem divinitus concessis.

§. II. Errores et Sectae male sententium de libertate humana in praesente statu.

§. III. Existentia libertatis ad bonum et malum ostenditur ratione naturali.

§. IV. Dogmatis Catholici de libertate indifferentiae certitudo ostenditur.

§. V. S. Augustinus Catholici dogmatis contra hostes illius universos generalis vindex asferitur.

### *Sectio III.*

De primis principiis, criteriis, et fontibus Scientiae regularum moralium totius Ethicae Christianae.

#### *Caput I.*

De principiis seu regulis morum primis et maxime generalibus.

#### *Caput II.*

De Criterio Moralitatis actionum naturali, et de fontibus propriis Ethicae Christianae.

#### *Caput III.*

*Caput III.*

An possit dari invincibilis ignorantia regularum moralium; et an etiam legis divinae actu obligantis.

*Sectio IV.*

De cura necessaria bonae Conscientiae.

*Caput I.*

De Securitate necessaria ad conscientiam bonam.

*Caput II.*

An conscientiae bonae securitas necessaria aliquando componi possit cum dubio conscientiae theoreticae et practicae incompletae.

*Sectio V.*

De sola vera Virtute Christiana, huiusque perfectione.

*Caput I.*

De essentia verae Virtutis Christianae.

*Caput II.*

De divisione Virtutis.

*Caput III.*

De perfectione atque ordine Virtutum ac totius Iustitiae Christianae.

*Caput IV.*

De Ethices Christianae extensione et divisione.





## ETHICAE CHRISTIANAE VNIVERSALIS PROLEGOMENA.

---

### I.

*Rectitudo hominis* vocatur consensus determinationum eius absolute variabilium cum invariabilibus in ratione boni: et quidem *rectitudo* ista determinationum variabilium non liberarum *physica*, determinationum vero liberarum qua talium (seu actionum et omissionum) *rectitudo moralis*, appellatur.

### 2.

*Actio (vel omissio) libera*, absolute quidem *recta*, sed simul importans defectum maiori possibili bono praecise contradictorie oppositum, dicitur *negative recta*, ac *fieri salva morali rectitudine negativa*: quae vero bono maiori omnino contraria est, *positive non recta*, seu *positive moraliter mala* appellatur.

\* Exempli causa: qui vitae iniustum aggressorem, praevisa licet eius aeterna secutura ruina, se defendendo occidit, agit libere salva *rectitudine morali negativa*: et si melius ageret, et cum maiore ac *positiva morali rectitudine*, si amore aeternae illius salutis potius occidi se permittendo locum poenitentiae eidem relinqueret. Qui vero occidit hominem innoxium, aut qui non ferendo opem necessariam, quam posset ferre, istiusmodi omissione in causa est, ut morbo

Stattler *Eth. christ. univers.*                      A                      in-



invalescente mors illius consequatur, positive male moraliter agit, nulla etiam adhuc facta ad ullam legem reflexione.

## 3.

*Regula agendi* est iudicium enuntians rectitudinem positivam actionis, vel omissionis; *sive* enuntians, quo modo actio determinanda sit, ut sit positive recta. Si enuntiat rectitudinem physicam, vocatur *regula artis*; si moralem, dicitur *regula morum*, seu *moralis*.

## 4.

*Ethica* est scientia boni et mali moralis, seu omnium regularum morum, sive moralium; quae antiquitus recepto nomine etiam *Philosophia Moralis* appellatur. Haec si tradat regulas generales, quae non enuntient rectitudinem moralem actionum quarundam in specie, sed univarse doceant ea, ex quibus moralis rectitudo actionum omnium quarumcunque intelligi possit, *Ethica universalis* recte dicitur: quatenus vero eadem docet regulas de rectitudine actionum in specie, *Ethica specialis* vocatur.

\* Ill. L. B. Wolfius *Philosophiae Practicae Universalis* nomine eam scientiam insignivit, quam ego cum veteribus univervis *Ethicam Universalem* appello; eundemque secuti sunt, quotquot post ipsum hanc disciplinam ex ipsius placitis tractavere. At enim non video, quo pacto, quove iure amplissimae potestatis nomen hoc ad Philosophiam morum, aut ad generatorem istius partem, restringatur. Profecto enim Philosophiae practicae partes sunt non solum Logica practica; sed et artes omnes, praesertim liberales, quarum finis est opus arte factum, mere physice bonum; institutum vero demonstrare regulas agendi, quarum ope et observatione artefactum mere physice bonum certissime producat. Non itaque absque certo  
fun-

fundamento reducendam, veluti iure postliminii, nomenclationem veterem a me esse existimavi.

5.

*Homo moralis*, seu moraliter spectatus, est homo consideratus ut subiectum facultate recte moraliter agendi instructum. *Status moralis hominis* est coëxistentia omnium determinationum variabilium, facultatem eius recte moraliter agendi constituentium: hic status moralis quoad per vires solius naturae creatae ad existendum determinatus est, mere *naturalis* dicitur; quoad vero existit per vires natura tota creata altiores, *supernaturalis* appellatur.

6.

I. *Facultas remota recte moraliter agendi in homine est ipsa voluntas.*

II. *Status moralem constituunt omnes illae determinationes intellectus et voluntatis, quae ipsam facultatem liberam seu completam, seu incompletam, conficiunt.*

III. *Status moralem itaque hoc ipso conficiunt omnes ideae, notiones, phantasmata, et quaecunque cognitiones, unde unde acquisitae, de regulis morum (praec.), de earum motivis, eumque varium reddunt pro diversa sua claritate intensiva et extensiva: item eundem constituunt quicumque habitus voluntatis ex praeteritis actibus acquisiti, et importantes facilitatem ad bene (vel male) moraliter agendum. Isthaec omnia enim mutant statum facultatis moralis.*

7.

*Factum ex Demonstratione Evangelica authentice contestatum est, quod IESVS CHRISTVS, divinitus*

#### 4 *Ethicae Christianae Universalis.*

tus in terram missus Magister, non modo religionis naturalis, atque Ethicae, statui morali hominis mere naturali (5.) convenientis, regulas doctrina sua atque auctoritate illustrarit; verum his etiam religionem prorsus et quoad substantiam supernaturalem, novasque morum regulas altioris ordinis atque perfectionis addiderit, divinaque auctoritate sua instituerit, ita, ut simul omnes homines sufficiente sui notitia imbutos pro divina, qua erat praeditus, potestate perfecte et graviter obligarit tum ad religioni a se promulgatae firmo fidei assensu adstipulandum, tum ad morum easdem regulas a se traditas constanter et fideliter exequendas.

8.

*Christianus* vocatur, qui certa divinae auctoritatis et potestatis IESU CHRISTI notitia imbutus, religionis ac regularum omnium moralium ab ipso traditarum veritati assensu absoluto fidei adstipulari, easdemque opere ipso exequi, actu obligatur.

\* De Societate Christiana is est, qui communi obligatione, societati christianae propria, actu obstringitur. Obligatio, nexum Societatis Christianae, ceu legalis, non mere voluntariae, adstringens primo divina est, et ab ipso Christo DEO ac supremo institutore imposita; cui tamen exinde altera accedit, qua quis solenni externo ritu baptismi recepto etiam Societati visibili Ecclesiae Christianae pacto, et subiectione propria voluntaria adstringitur: in qua tamdiu perseverat; donec Ecclesiae rectores ob quaecumque eius delictum, hoc ipso vinculo in poenam rescisso, eundem a Societate visibili Ecclesiae et eius bonorum spiritualium communione, pro potestate a Christo Domino accepta, extorrem faciant.

9.

*I. Omnis homo Christianus est in statu morali supernaturali (5. 8.).*

*II. Sta-*

*II. Status moralis hominis Christiani differt a statu morali mere naturali* 1.) *extrinsece ratione originis et principii efficientis, quod in illo non est sola ratio naturalis, reflexione discens regulas morales statui naturali convenientes atque proprias, sed in super DEVS ipse supernaturali actione per Christum tum revelans, tum interna luce rationem naturalem illustrans ad eas firmo fidei assensu credendas, et constanter exequendas: 2.) intrinsece ratione modi cognoscendi regulas morum, qui in statu morali mere naturali vel est scientificus ope demonstrationis earundem, vel confusus ope sensus naturae communis; at in statu morali Christiano est quidem clarus quoad regulas ipsas morum (saltem quatenus illas interpretatione authentica Ecclesiae accipimus), sed tamen obscurus quoad rationes sufficientes earundem a priori, et in sola auctoritate Christi Magistri divini, eas tradentis, acquiescens: 3.) ratione ipsarum regularum moralium; quae non solum sunt eae, quae etiam naturalis ratio cognoscendis, vel etiam demonstrandis, sufficit; sed aliae altioris ordinis, ac supernaturali statui Christiano propriae: 4.) ratione motivorum, quibus virtute eiusdem revelationis divinae per Christum factae voluntas impellitur ad omnes morum regulas ab eodem traditas constanter exequendas. Constat enim, Christum fidelibus suis affectis promississe speciales suae amicitiae favores, in hac iuxta atque altera vita eis indulgendos, uti etiam vicissim poenas peculiares iis, qui eius praecepta destinato consilio vilipenderent.*

10.

Duplex ergo est Ethica, nimirum Ethica mere philosophica, seu vulgo dicta *Philosophia Moral*

A 3

lis

lis (4.), quae est scientia regularum moralium, statui moralis hominis mere naturali convenientium; et *Ethica Christiana*, quae est certa notitia regularum moralium, statui morali supernaturali hominis christiani propriarum.

## II.

*I. Philosophia Moralis regulas morum, statui mere naturali convenientes, demonstrat, ceu scientia (4.).*

*II. Ethica Christiana Philosophiam moralem non excludit, sed totam admittit; verum insuper tum regulas Philosophiae morali communes divina Christi revelatione certo acceptas docet, tum his alias praeterea, ex eadem acceptas revelatione, adiungit.*

*III. Itaque Ethica Christiana regulas morum statui morali mere naturali convenientes partim demonstrat (I.), partim divina Christi easdem revelantis auctoritate nixas asserit, atque hanc ipsam Christi revelationem, ceu factum externum sensibile, ex testimoniis authenticis moraliter certo extitisse ostendit.*

## 12.

*IV. Ethica Christiana lemmatum instar ex Theologia Christiana Catholica supponit 1.) auctoritatem Scripturarum divinarum, ceu Verbi DEI proprietatis; 2.) auctoritatem Ecclesiae Catholicae eiusque Rectorum, in promissa per Christum S. Spiritus directione falli nescia fundatam, circa proponenda, explicanda, et interpretanda omnia dogmata tum a Christo Deo oretenus tradita, tum in divinis Scripturis revelata, et traditione continua ad nos usque delata; 3.) Patrum ac Doctorum Ecclesiae Catholicae auctoritatem quoque talem, qualis vulgo in Theologia Catholica dogmatica sub notis regulis agnoscitur: 4.) ac proinde locis Theologicis omnibus ad*

ad probandam *DEI* de aliqua morum regula revelationem utitur eodem modo, quibus et quo modo utitur *Theologia Catholica*.

## 13.

*V. Demonstratione immediata utitur in iis tantum morum regulis, quae Ethicae Christianae cum mere philosophica seu pura Philosophia morali communes sunt; in ceteris, quas Christus Dominus, ceu religioni supernaturali a se revelatae proprias, superaddidit, certam revelationis divinae existentiam demonstrasse contenta, summo firmoque assensu fidei suscipiendas proponit.*

## 14.

*VI. Ethicae ergo Christianae proprium est, eas morum regulas, quae Philosophiae morali atque ipsi communes sunt, ab eis, quae sibi soli sunt propriae, probe secernere, atque ita in luce collocare discrimen, quod inter ipsam atque illam intercedit.*

## 15.

*VII. Quidquid circa morum regulas immediate ex ipsa ratione sufficiente demonstrari potest, ad Philosophiam quoque moralem seu Ethicam mere philosophicam pertinet; etsi simul idem ex *DEI* revelatione, et forte iam ante, quam demonstrare sciverimus, accepimus.*

*VIII. Quae demonstrari possunt, quod antecederet ad factum Christi, seu *DEI*, non solum revelantis, sed instituentis, et iubentis, ad regulas morum eodem sensu non pertinuissent; ea Christianae Ethicae propria, nec cum Ethica mere philosophica communia esse, hoc ipso certum est.*

\* Philosophiae moralis scriptores, praesertim ex Protestantium numero paene omnes supponunt, Phi-

Iosophiam Moralem seu Ethicam mere philosophicam eo nomine ab Ethica Christiana distingui, quod illa, ceu soli rationi naturali insistens, ab omnibus sequelis actionum nostrarum moralium in alteram sequentem vitam se extendentibus, earumque cum istius beatitudine vel infelicitate nexu, plane praescindat. Idcirco non nisi bonos malosque actionum moralium effectus, in praesente iam vita cum eis connexos, ceu praemia ac poenas iis a DEO statutas, attendunt, ex hisque notiones legum naturalium, et obligationum, regulas morum praescribentium, determinant. At enim errant in eo certissime, quod existiment, vel alterius vitae sequelas ex actionibus nostris moralibus fluxuras ratione sola demonstrari non posse, vel si possint demonstrari, tum quidem ad Philosophiam moralem etiam mere naturalem earum attentionem non pertinere. Videtur *enormis* iste, ac iuventuti huius disciplinae studio intentae perquam noxius *defectus*, exinde praecipue fluxisse, quod Ethicam Atheis quoque quadraturam, nescio quo demum exspectato emolumento, scribere praecipui scriptorum illorum primipili, ceu rem magni scilicet momenti, plus, quam par erat, commendatum sibi habuerunt: DEO enim submoto, nihil utique erat, quod ultra huius vitae terminos extendere curam morum magnopere invitabat. Inde factum quoque, ut naturam ipsam regularum moralium iuxta atque legum institutricem inducerent, atque naturae, quae DEI iubentis solum ministra et executrix est, nec ab homine subdito distinguitur, auctoritatem legislatricem tribuerent. Quodsi enim illud ad legislationem sufficit, quod natura suis viribus atque actionibus mere physicis (sine consilio, sine ratione positis) bonos malosve effectus cum nostris actionibus, secundum DEI scilicet eam ordinantis consilium praecise, connectat; nae ego pari propemodum iure dicam, apparitorem, poenas legum civilium transgressoribus insipientem, leges connexionem motivorum cum actionibus civium sancire. Verum ex his vitium et *defectus alter* in philosophia morali, qualem vulgo legimus, enascitur, quod motiva, ad virtutem impellentia aequae ac absterrentia a vitio, nimis quam infirma, et movendis hominum animis in tanta virtutis

tutis difficultate tantisque vitiorum illicitis parum valida, nec ullo pacto sufficientia proponat hoc ipso, quod in bonis malisque effectibus, cum virtute et vitio in hac praecise vita connecti solitis, adquiescat. Quis enim ex hominibus maxime impiis, spectata quotidiana quam luculentissima experientia, id genus verbis utcunque grandibus multum commovebitur, ac seu ad virtutis movebitur amorem, seu a vitio absterrebitur; cum in dies videre sit, uti impii maxime homines in hac vita immensis partibus vivant feliciores, quam probi? *Dentum* et illi *tertius* non minus perniciosus *defectus* accedit; quod hodierni Philosophiae Moralis scriptores inter virtutis perfectionem, quae consilii est, et inter necessitatem absolutam ad finem ultimum hominis, quae sola ad veram legem pertinet, nusquam distinguant. Quis enim non rideat, si pari verborum emphasi continuo expressas et assertas obligationes hominis legat, quibus ille ad summam vitae ac virtutis perfectionem sectandam gravissimis verbis asseritur obligari, et quibus monetur alias, quod ad turpissima perniciosissimaque vitia vitanda obligetur? At enim hoc ipsum denuo sequela est Ethicae philosophicae, ad solam huius vitae attentionem inanissimo ex titulo restrictae. Cum enim in hac vita ex omissa perfectioris virtutis, etiam ad alterius vitae beatitudinem consequendam non necessariae, consecratione (e. g. ex omisso studio literarum aut honestarum artium, ex quibus vita in aetate profectiore commodius sustentari, et ascendi quoque ad honores posset) saepissime mala physica gravissima ex ipsa naturae lege consequantur; id quod Christiani omnes, reflexione ad futurae vitae beatitudinem facta, rem non necessariam, ac proin nec lege praescriptam, sed solummodo *consilium* vocant: vana ista moralis Philosophia magno nomine *legem* appellat, a felicitatis temporalis praecise studiosis forte studiosius observandam, quam leges soleant observare, etiam ad aeternam ruinam vitandam summe necessarias.

\* \* Ceterum experietur, opinor, quisque non solum Catholicus, sed, nisi praecudiciis praepediatur, vel quisque Protestantium de numero scriptor, ex ipso Ethicae Christianae decursu, quantum subsidium



Catholicis scriptoribus in morum regulis securius etiam ex mera ratione naturali demonstrandis idcirco accedat; quod Ecclesiae oracula falli nescia ita praesto habeant, ut, quod demonstratione nondum erant consecuti, imo cuius contrarium saepe potius sibi demonstrandum esse putabant, idem multo prius certissimum esse ex sola supremorum Ecclesiae Rectorum declaratione discant. Memini me iam de ingenti isto securius in ipsa philosophica demonstratione rerum moralium procedendi adminiculo aliqua dixisse in Praefatione ad Theologiam naturalem; omniaque ibi asserta huc quoque tota cum emphasi transferri exopto.



SECTIO



---

## SECTIO I.

DE FINE VLTIMO HOMINIS SEV DE VERA  
HOMINIS BEATITVDINE.

---

### CAPVT I.

DE VERO ET BONO, EIVSQVE VARIA  
DIVISIONE.

16.

*Rem, reale quid, aliquid* dicimus id omne ac solum, quod mentis intuitu aliquo, seu conceptu, cognitione, cogitatione exprimere possumus: *non ens, negationem, nihilum*, ex aduerso vocamus, quod proprio intuitu non exprimimus, sed praecise rei intuitum tollendo e mente, seu non cognoscendo, quodammodo concipimus. Vnde rei intuitus *conceptus positivus*, non entis, *conceptus negativus* recte appellari potest. Conceptibilitas positiva *veritas metaphysica*, conceptibilitas tantum negativa, seu defectus conceptibilitatis positivae propriae *falsitas metaphysica* audit. Vnde etiam hoc ipso manifestum est, quid sit *verum metaphysicum*, quid *falsum metaphysicum*.

17.

*I. Res quaelibet, quantum de re, de realitate, de ratione rei vel entis, seu conceptibilitatis positivae habet, tantum habet de veritate metaphysica: 2.) et vicissim tantum de falsitate metaphysica, quantum de nihilo, de non ente, de negatione, et conceptibilitate negativa.*

*II. Ipsi*

II. *Ipsi conceptus mentis nostrae eatenus metaphysice veri, vel falsi sunt, quatenus sunt positivi, vel negati; sunt enim vel conceptus, vel negationes seu sublationes conceptuum.*

III. *Rerum finitarum quae talium conceptus partim positivi sunt, quatenus realitatibus constant: partim negativi, quatenus eadem constant defectibus seu negationibus, tanquam limitibus. Conceptus eiusmodi mixtos deinceps appellabo.*

IV. *Entis infiniti conceptus adaequatus mere positivus, nulloque pacto negativus, nec mixtus est.*

\* Notiones et asserta ista reflexione et experientia perpetua ac universali sensus intimi nituntur, ad modum attenti, quo res et rerum earundem negationes concipere solemus: ac proin *primum rei et nihili characterem*, ex sensu intimo nobis notum, exprimunt, quem rei et nihili vocabulis designamus.

\*\* Cum veritate metaphysica confundi *veritas logica* non debet, quae nihil cum illa habens commune, praecise in conformitate conceptus mentis cum suo objecto, seu metaphysice vero, seu metaphysice falso consistit. Vnde *veritas logica tam conceptibus positivis, quam negativis, competere potest.*

## 18.

Res quaelibet, quatenus res, seu reale quid et metaphysice vera, seu positive conceptibilis est, *bonum metaphysicum* vocamus: ex adverso non ens, nihilum, defectum; negationem, quatenus metaphysice falsum, seu non nisi negativi conceptus capax est, *malum metaphysicum* appellamus.

I. *Quaelibet res eo est melior, quo plus realitatis in se complectitur, seu quo plures notae reales in ea concipi et distingui ratione possunt.*

II. *Minus bona res est, quo pauciores continet notas reales ratione distinguendas.*

19. Bo-

## 19.

*Bonum metaphysicum* dividitur in *essentiale*, quod inter rei essentialia pertinet, et in *accidentale*, quod in modis realibus rei censetur.

Pariter *malum metaphysicum* vel *essentiale* est, quod in essentiae limitibus, seu determinationibus negativis, vel *accidentale*, quod in defectibus modorum realium, substantiae possibilium, consistit.

## 20.

*Bonitas rei* vel *entis* ex omnibus notis realibus et accidentalibus, coalescit; estque vel *absoluta*, quae consistit in dictis notis realibus praecise secundum se et relate ad subiectum suum consideratis, quatenus hoc per eas actu bonum est; vel *respectiva*, quae consistit in eiusmodi realitatibus, in quibus inest aliqua ratio sufficiens, per quam res, absolute secundum se bona, est causa efficiens existentiae novae boni in re alia a se distincta.

Pariter *malitia respectiva* dicitur ea, quae in id genus defectibus consistit, quae opponuntur existentiae boni alterius, vel istud iam existens destrunt.

\* Sic DEVS, ens infinite bonum absolute, creando respectively bonus est; quatenus decreto creationis est ratio existentiae omnis boni creati.

## 21.

I. *Non eadem est bonitas absoluta entis et respectiva.* Hanc enim solum constituunt eae realitates, quae sunt ratio existentiae boni in subiecto distincto.

II. *Per id, per quod res est respectively bona, etiam augetur eius bonitas absoluta; sed non per omnem bonitatem absolutam hoc ipso augetur bonitas respecti-*

spectiva. Imo bonitas, quae respectiva est respectu subiecti extranei, est absoluta respectu subiecti proprii.

22.

*III. Res omnes finitae partim metaphysice bonae, partim malae sunt:* quia enim ens omne est omnimode determinatum, quatenus ex omnibus contradictoriis alterutram determinationem in se continet; idcirco res finitae omnes continent in se multas quidem determinationes reales, secundum quas bonae sunt, sed et multas negationes, tum essentiales, tum accidentales, secundum quas malae sunt.

*IV. Ex rebus finitis aliae aliis meliores, et magis malae sunt, tum absolute, tum respectively, tum essentialiter, tum accidentaliter;* prout aliae aliis numero realitatum, vel defectuum seu limitum, essentialium, vel accidentalium, excellunt, vel plus boni in aliis efficere, vel sua contrarietate impedire possunt.

*V. Ex bono essentiali quidem de capacitate entis ad bonum accidentale maius, vel minus, iudicari potest; verum bonitas absoluta entis ex bono simul accidentali et essentiali actu in ente existente iudicari debet.* Essentialia enim sunt ratio possibilitatis determinata omnium accidentium rei compossibilium; ac proin per eorum determinationem determinatur, quantum boni accidentalis in ente recipi possit, seu quanta eius bonitas absoluta possibilis sit: contra bonitas absoluta entis ex omnibus realitatibus, essentialibus et accidentalibus actu in ente existentibus coalescit (20.)

• Porro nobis propositum est in decursu huius operis definire, quanti boni accidentalis homo et capax sit, et qualis: unde boni accidentalis praecipue rationes omnes accuratius evolvere oportet.

23. VI.

23.

*VI. Mundus totus hominis cuiusque bonitatem absolutam sua bonitate absoluta non auget, nec eadem praecise secundum se spectata augere potest: bene tamen res creatae omnes sua bonitate respectiva hominem accidentali bono absolute meliorem reddere possunt; sicut et sua malitia respectiva, si quam respectu hominis habent, eundem reddere poterunt peiorem. Patet ex notionibus allatis 20. seqq.*

24.

Accidentia realia dissimilia, id est, tam ratione, quam realiter distincta, si unum simul in suo conceptu formali involvat negationem realitatis alterius, *contraria* dicuntur: quae vero sola differunt ratione, *disparata* vocantur.

*I. Accidentia contraria in eodem ente secundum se spectata simul compossibilia non sunt, bene tamen successive eidem enti per se inesse possunt, modo id aliunde per essentiam eorum incapax non sit. Sunt enim realiter distincta, ac proin sibi mutuo contradictoria vi notionis suae: ergo simul eidem enti ceu subiecto compossibilia esse secundum se non possunt; bene tamen unum post alterum, quin sequatur contradictio.*

\* Exemplum habes in odio et amore objecti eisdem efficaci.

*II. Vnius accidentis ex duobus contrariis existentia in subiecto tollit actualem possibilitatem proximam alterius in eodem subiecto: 2.) quae tamen actualis possibilitas restituitur, si accidentis illius contrarii existentiae negatio eidem succedat in eodem subiecto.*

25.

*Bonum accidentale, quod contrarium est alteri bono accidentali maiori, cuius per se idem subiectum vi essentiae,*

*tiae suae est capax, est maius malum eiusdem subiecti, quam bonum eiusdem absolutum.* Est enim per se bonum simul et malum, quia realitas finita est ( 22. III. ); ac proin subiectum suum absolute bonum et malum reddit ( 20. ). Quoniam vero bono accidentali maiori ceu contrarium opponitur, quo subiectum ob essentialem capacitatem multo melius, et multo minus malum, redderetur; possibilitatem proximam maioris bonitatis in isto per praesentiam suam tollit ( praec. II. ), ita, ut negatione illius opus sit ad hanc in subiecto restituendam; ac proinde est malum respectivum. Porro sicut bonitas respectiva metienda est ex magnitudine boni, cuius existentiam determinare potest: ita malitiam respectivam metiri oportet ex bono, quod impedit, vel destruit ( 20. ). Cum ergo per hypothesein bonum, quod tale accidens in subiecto impedit, maius sit, quam sit bonum, quod ipsum secum subiecto infert; evidens est, maiorem esse eius respectivam malitiam; quam bonitatem absolutam.

## 26.

*Bonum verum respectu subiecti cuiusque, quod eius capax est, illud dicitur solummodo, quod nec per se, nec per aliquem suum effectum, contrarium est substantiae boni illius, quod est finis ultimus eiusdem naturae proprius & necessarius. Verum malum ex adverso est, quod eidem contrarium, seu absolute impedimento est, vel per se immediate, vel per aliquem naturalem suum effectum.*

\* Quaevis individua res, seu substantia, simplex, vel composita, aliquam perfectionem, suae naturae propriam, pro fine ultimo suae naturae proprio habet. Sic horologii perfectio finisque ultimus, necessarius et naturae proprius est horas et minuta temporis diurni

ac

ae nocturni praecise designare. Hominis finalis necessarius ultimus est felicitatis et beatitudinis substantia propria naturae suae, ut infra ostendam. Quod in machina horologii fini illi impedimento est, utcumque bonum relate ad alias res earumque finem sit, ex gr. spira aurea, minus elastica, non bonum verum in horologio, sed verum malum est; quia finis, horologii naturae proprii, substantiae adversum. Sic et in homine, quod fini eius necessario ultimo beatitudinis simpliciter adversatur, ac impedimento est, verum bonum esse non potest; sed prorsus verum malum est relate ad subiectum ipsius. Quod si non omnino substantiae eius finis, sed solummodo maiori accidentali gradui eiusdem, quid adversetur; non absolute, nec positivum verum malum, sed *negative* tantum, *relative* ad minus bonum, quod impedit, verum malum, id est, proprie tantum *minus verum bonum* illo altero, erit. Unde et *consilii solum res* erit, illud prae isto contemnere; cum ex adverso vulgo *praecepti materia* est, verum malum ommittere, et captare omne verum et necessarium bonum: id quod suo loco uberius ostendam.

\*\* Omne bonum absolute et secundum se spectatum vere est bonum, sed non relate ad quodvis subiectum. Sic eadem medicina remedium sanitatis est pro uno, et venenum pro alio homine. Relate ad hominem perpetua cura voluptatum sensualium verum malum est; relate ad quodvis animal autem verum bonum. Unde *veritas boni et mali relatione consensus eiusdem vel dissensus, cum bono subiecti alicuius determinati maiore constat.*

\*\* *Quaeres, quo pacto fieri possit, ut, quod bonum (metaphysicum, vel physicum) simpliciter est, respectu alicuius subiecti fiat impedimentum boni maioris in eodem subiecto? Ut clarius intelligas, praenotes velim, res cunctas a DEO creatas, singillatim sumptas, non esse nisi partem completi illius veri boni obiectivi, quod DEUS homini cuius destinavit in hac vita, ceu summam omnium mediorum ad feliciter vivendum in hac, et ad consequendam per modum proemii aeternam beatitudinem in futura vita. Ut vero istud DEI optimi maximi consilium finem et effectum suum*

*Statlor Eth. christ. univers.* B for.



fortiatur, opus insuper est, ut singulis hisce medijs ad illum finem eo ipso modo, et in ea mensura praecise omnes fruamur et utamur; quatenus, et in qua mensura, re ipsa medij partialis rationem ad illum utrumque finem consequendum habent. Quodsi enim aliter, id est, alio ordine, alio tempore, vel loco, alia mensura, bonis creatis delectantibus fruamur, aut utilibus utamur; cum vis nostra omnis iisdem fruendi utendive limitata sit, ipsa intempestiva, inordinata aut immoderata quaevis fruitio, et usus consimilis, ceu exhauriens jam activam vim nostram, applicationem istius ad fruitionem, vel usum boni maioris impedit; ceu cui simul fruendo, vel utendo, vis illa nostra (seu appetendi, seu etiam movendi sese et res externas) non sufficit. Sic ex. gr. immoderata delectatio, ex bonis sensualibus captata, et usus intemperans rerum externarum ad eam delectationem consequendam, aut talis delectatio solum intempestive capta, tunc nempe, cum altioris boni captandi occasio et officium urget, eo ipso quod vires nostras omnes motrices, intellectus quoque et appetitus, occupet, impedimento est, quo minus in altius id bonum intendere vires easdem porro valeamus. Atque hinc est, quod rectissime dictum iam a S. Augustino sit: *Virtus est ordo amoris*. Quid quod DEUS ipse Creator recte utique secundum I. Genes. viderit, *universa esse absolute bona, quae felerat; sed nempe quodvis, si eo tempore, loco, et mensura fruendum utendumve a nobis sumatur, quo ipsius Sapientia per rectae rationis consilium et regulas dictarit. Obiectum id genus immoderatae, aut intempestivae delectationis secundum se simpliciter bonum permanet; delectatio ipsa quoque secundum se absolute mala non est, ceu multis realibus ac bonis notis constans: sed quatenus eo tempore et loco, vel tanta mensura captata, usum virium mentis ad fruendum utendumve maius bonum excludit, impedimento est maioris boni. Quodsi iam maius istud bonum, quod illo impeditur, necessarii medij ad illum finem veram rationem habeat; evidens est, quod fruitio vel usus boni minoris, illud impediens, ipsius quoque finis illius consecutionem impediat, ac proin *positive mala, verumque malum* sit; utut simpliciter aliquam boni rationem habeat. Sin vero tam ne-*

cessa-

cessarium medium finis illius haud fit, sed solum ad  
facilius, vel altiore gradu consequendum finem istum  
serviat, fruitio vel usus illud impediens solummodo  
minoris boni rationem relate ad illud habebit; *positivum  
verum malum* contra idcirco non erit.

27.

*I. Bonum verum et malum verum respectu eiusdem  
subiecti sibi mutuo contradictorie opponuntur: illius  
enim definitio copulativa, istius disiunctiva pro-  
positione, contradictoria alterius, constat (praec.)*

*II. Quidquid ergo non est verum bonum respectu  
alicuius subiecti sub aliqua determinatione individuali,  
id respectu eiusdem subiecti sub eadem determinatione  
individuali verum malum est.*

*III. Non omne bonum metaphysicum respectu cu-  
iuslibet subiecti nec sub omni individuali determinatione  
verum bonum est, seu intrinsecum, seu extrinsecum ei-  
dem fit. Res enim omnes finitae ex parte bonae  
sunt metaphysice (22. III.), seu accidentia sint  
realia, seu substantiae; et tamen vel per se ipsas  
immediate contrariae esse possunt bono maiori  
alicuius subiecti, e. g. hominis, si sint eius acci-  
dentia, vel per aliquem effectum accidentalem,  
quem in eo producant.*

28.

*Bonum verum hominis potest apparere malum ve-  
rum in cognitione humana, vel ob istius confusionem,  
ob quam illius determinationes reales, per quas  
in se bonum absolutum, et altero sibi contrario  
bono maius re ipsa est, non discernuntur, solum-  
que attenditur eius contraria oppositio cum isto  
bono, licet de se absolute minore; vel ob errorem,  
quo ei defectus affinguntur, qui aut non insunt ei*

B 2

omni-

omnino, aut ceu mere disparati pugnam nullam cum altero maiore bono efficiunt (24.)

Vicissim *malum verum potest apparere verum bonum*, vel ob confusionem cognitionis, propter quam eius defectus non discernuntur, per quos aut deficit a boni absoluti magnitudine existimata, aut bono maiori contrarie opponitur, solumque advertitur ad quasdam eius determinationes reales seu rationes boni eidem proprias, re ipsa tamen se solis longe inferiores bono illo, cui re ipsa contrarium est; vel ob errorem, quo ei affinguntur rationes boni longe plures aut maiores, quam re ipsa infunt, aut defectus actu insiti creduntur falso esse mere disparati, nec opponi absolute alteri bono maiori: vel denique ob *inconsiderantiam*, qua ad ultimum finem omnino non refertur: unde fit, ut nec pugna illius cum isto advertatur.

Itaque *bonum mere apparens* appello verum malum, quod tamen menti vel ob confusionem, vel ob errorem, vel ob inconsiderantiam, in cognitione repraesentatur instar veri boni: et *malum mere apparens* voco verum bonum, quod vel ob confusionem, vel ob errorem, vel ob inconsiderantiam, in cognitione repraesentatur instar veri mali. *Bonum, et malum apparens simpliciter* vero dico, quod in intuitu confuso repraesentatur, ut bonum, vel malum simpliciter secundum se, quin de veritate eius cogitetur (in cognitione enim abstrahi ab utroque contradictorio potest), sive re ipsa verum sit, sive non sit.

29.

Ens omne, sicut omnimodis determinatum est, ita pluribus determinationibus, seu realibus, seu negativis, constat. Iam consensus plurium, aut

aut omnium, determinationum entis in ratione boni absoluta (20.) *entis perfectio absoluta*; dissensus vero a ratione boni, id est, admixtio determinationum negativarum cum realibus, *entis imperfectio absoluta* appellatur. Quodsi merus consensus in bono detur sine dissensu, *perfectio pura* dicitur; si consensus ille sit mixtus cum dissensu, *perfectio mixta imperfectioni et limitata* vocatur.

\* Ill. L. B. Wolfius *perfectiorem* definit consensum variorum in uno. At si per unum non intelligas bonum, sed perinde bonum et malum, *non ens* perinde perfectum erit, atque *ens*, cui opponitur. Vtique ad perfectiorem limitatam certi generis, qua talem, etiam requiritur, ut variae determinationes, quae eam constituunt, ita cum ea consentiant, ut etiam defectus eisdem proprios complectantur: verum isti defectus non illam perfectiorem, qua talem, sed qua limitatam, id est, qua imperfectionem, constituunt. Ceterum definitiones boni et mali Wolfianas iam alias mancas esse pridem ostendi. Vide Theol. Nat. §. III. not.

30.

I. *Perfectio entis alia est essentialis, alia accidentalis; uti bonitas (19.).*

II. *Perfectiones limitatae accidentales sibi mutuo contrariae esse possunt, et in eodem subiecto incompossibiles; vel possunt esse disparatae (24.).*

\* Perfectiones disparatas vocant Theologi *simpliciter simplices*.

31.

*Magnitudo perfectionis* in multitudine determinationum realium, seu in ratione boni consentientium, consistit, et quidem *intensiva* in multitudine formali earundem in uno eodemque realiter ente, *extensiva* vero in multitudine earum reali, seu in entibus realiter distinctis. Porro singulae deter-

minationes, magnitudinem perfectionis constituent, *gradus perfectionis* vocantur, quorum ille *prior ordine* seu *inferior* dicitur, qui est ratio possibilitatis vel existentiae respectu alterius; ille *posterior* seu *superior* respectu prioris, qui in illo, tanquam natura priore, rationem possibilitatis vel existentiae habet. Porro ens, quod magnitudine perfectionis, id est, realitatum multitudine, augetur, *perfici* seu *crescere in perfectione* dicitur, seu *intensiva*, seu *extensiva*.

\* Sic mens hominis eo magis in perfectione intensiva crescit, quo plures veras rerum ideas, iudicia immediata, et mediata in se colligit. Eadem corpori unita cum hoc quid compositi perfectioris conficit.

## 32.

*Perfectio accidentalis vera, vera imperfectio, perfectio mere apparens, imperfectio mere apparens, eodem sensu dicuntur, quo bonum, et malum (26. 28.).*

\* Exemplo serviat horologium, in quo spira loco chalybis ex argento, vel alio metallo confecta sit: erit id genus spira quidem perfectio quaedam, si absolute secundum se spectetur; at non vera, sed mere apparens respectu horologii: quia perfectioni alteri, respectu horologii magis aestimabili, opponitur. Sic et sensuum nimiae illecebrae mentis quidem bonum quoddam accidentale; at minime verum, sed mere apparens sunt: quia mentem a nobiliore multo bono, id est, a sublimiorum ac caelestium rerum contemplatione, avocant.

## 33.

Quaelibet *adperceptio* boni (vere talis, vel mere hic et nunc apparentis 32. 28.) *iucunda* nobis accidit; quia nimirum omnis positivae qualitatis conceptus (16.) cum ipso substantiali bono ac perfectione

fectione mentis nostrae aliquo iam pacto, consentit. Unde ipsa *iucunditas adperceptionum univarse consistit in consensu vel harmonia positivi conceptus earundem cum substantiali perfectione mentis nostrae.* 2) Quodvis autem *obiectum placere* nobis dicitur; quatenus eius adperceptio positivo conceptu constat. 3) Interim non nisi adperceptio immediata boni absoluti nobis interni et subiecto mentis nostrae connaturalis, quæ videlicet sensatione illius actu præsentis iucunda constat, id est, quod *voluptas* a nobis appellatur. 4.) Tum vero si sensatio talis boni absoluti præsentis confusa tantum adperceptione bonitatis illius constat, *obiectum dulce*; sin vero distincta adperceptione immediata illius bonitas sentiatur, *pulcrum* appellatur. Unde *Pulcritudo* obiecto non nisi absolute bono tribuitur; quatenus distincta sensatione eius absoluta bonitas adpercipitur. 5.) Quemadmodum vero sensatio alia externa, alia interna datur; quarum illa corpoream impressionem, naturali nostrae mentis perfectioni consentaneam, ista ipsam mentis spirituales perfectionem pro obiecto habet: ita aliae dantur *voluptates mere sensuales externæ*, aliae *spirituales et internæ*.

\* Solis oculorum et aurium obiectis inter obiecta externe sensibilia *pulcritudo* tribuitur; cum obiecta gustatu, odoratu, et tactu iucunda non nisi *dulcia* dici consueverint. Cuius alia ratio non est, nisi quod distinctior sit oculorum et aurium sensatio, confusior vero ceterorum sensuum. Ceterum patet hic denuo, quam necesse sit, in metaphysica singula minima discrimina notionum rite adnotare. Erras enim profecto, si *iucunditatem adperceptionum cum voluptate* confundas. Etiam utilia namque obiecta placent nobis, et adperceptio utilitatis eorundem iucunda accidit; etsi sensatione molesta sint; uti ex. gr. medicina amara. At nemo disit, voluptatem in adperceptione utilitatis talis

medicinæ actu sentiri. Etiam praevisio comestionis cibi dulcis iucunditate non caret; etsi voluptate ipsa adhuc certissime destituatur.

## 34.

*Adperceptio* cuiuslibet mali seu imperfectionis *molesta* seu *iniucunda* est; quatenus nempe negativo conceptu constat. *Tædium* vero est sensatio molesta mali absoluti actu in mente praesentis. Idemque pariter vel *corporeum*, seu externa sensatione constans esse potest, tumque *dolor* vulgo dicitur; vel *internum ac spirituale*; quod in sensatione interna mali absoluti interni ipsius mentis consistit.

\* *Voluptatis et tædii actualis obiectum immediatum ac formale semper est bonum et malum absolutum internum mentis ipsius actu in isthac praesens, nimirum idea sensu-alis ab extrinseco illi impressa, vel accidens aliud internum ipsius mentis actione exortum. At iucunda et molesta adperceptio etiam obiectum immediatum adhuc absens ac nondum existens, mereque possibile habere potest, ex. gr. voluptatem mere praevisam ope imaginationis.*

\*\* Sed neque omne bonum aut malum absolutum menti internum obiectum formale voluptatis aut tædii est; sed illud solummodo voluptatis intuitum terminat, quod ipsimet substantiali mentis perfectioni con-naturale est et augmento istius proprio immediate congruit. Illud quoque solummodo malum menti actu intrinsecum tædii intuitum terminat, quod a substan-tiali mentis perfectione, immediata contrarietate dis-sentit. Jam vero tale bonum formale non est quævis idea sensu-alis, ab obiectis externis talibus menti im-pressa, quae delectabilia obiecta non sunt, sed utilia tan-tum utcunque. Etsi enim id genus ideae bonitate non careant, et illarum adperceptio, quatenus positivæ qua-litatis adperceptio est, etiam iucunda accidat; tamen quia immediate mentis nostrae perfectioni pro augmento non congruunt, intuitus in eas actu praesentes voluptate non

non constat. Sic ideae experimentales, ex observatione casuum similibus exortae, ex. gr. accensionem stuppae ex admotione ignis constanter consequentem menti repraesentantes, bonum quidem mentis internum absolutum ac praesens sunt; cuius tamen praesentia actualis nullam immediatam congruitatem cum ipsa perfectione naturae mentis complectitur, nec proinde voluptatis intuitum conficit. Ex adverso reflexa cognitio notitiae nostrae experimentalis, ex observatione crebra uniformi talium eventuum exortae, cetera perfectionis, mentis naturae profus connaturalis, voluptate interni sensus nostri non caret. Sic consimiliter erronea cognitio malum formale internum mentis quidem est; sed nihilominus illius conscientia taedio caret; quamdiu illius veritas aequae ac falsitatis mentis perfectioni indifferens est (id quod in cognitione historica ut plurimum accidit), simulque falsitatem illius non advertimus. At quamprimum istam apprehendimus, mox error cognitionis, ceu malum cum perfectione naturali mentis nostrae pugnans, taedii intuitum terminat.

## 35.

*Voluptas vera* appellatur, quae pro immediato obiecto habet perfectionem absolutam veram; *deceptrix* seu *mere apparens*, quae perfectionem mere apparentem (32.). Similiter *taedium verum* est, quo vera imperfectio absoluta, *mere apparens*, quo imperfectio mere apparens adpercipitur. *Voluptas et taedium simpliciter apparens* dicitur, cum perfectio et imperfectio adpercipiuntur, quin constet, vera, an mere apparens et falsa sit.

\* Ad voluptatis vel taedii sensum necesse non est reflexo iudicio, quo iudicetur expresse perfectio, vel imperfectio esse, quod in obiecto concipimus: non enim in hoc iudicio reflexo, sed in immediata sensatione obiecti absolute perfecti, vel imperfecti, voluptas, vel taedium reponitur.



\*\* Nimirum sicuti mens per essentiam facultas cognoscendi est, et per hanc essentialem suam notam realem mens ipsa absolute bona et perfecta est; ita cognitio omnis vere talis ( id est, realis, positiva, ) cum essentiali mentis perfectione in ratione boni consentit, ac proinde mentem perficit, id est, menti volupe facit, placet etc. Ex adverso conceptus negativus, non entis, nihili, ceu tollens potius e mente conceptum positivum, realem, bonum etc. quo mens perficitur, dissentit a perfectione mentis essentiali, et consentit cum eiusdem limitibus seu defectibus essentialibus in ratione mali; ac proin non nisi displicere, taedio et molestiae esse potest.

\*\*\* Quod de vera voluptate et taedio, et de mere apparente hic dictum, etiam de vera et apparente iucunditate aut molestia adperceptionum valet.

## 36.

*Voluptas vera ac taedium verum aequè in confusa atque in distincta et evidente cognitione perfectionis et imperfectionis inesse possunt; quia verum bonum et verum malum absolutum aequè confuse ac distincte cognosci possunt. At voluptas ac taedium mere apparens tantum in confusa ac inevidente cognitione locum habent: quia distincta et evidens cognitio confusione et errori opponitur, quo mere apparens voluptas ac taedium nituntur ( 28. ).*

## 37.

*I. Sola distincta atque evidens boni & mali cognitio verae voluptatis, et veri taedii, iucunditatis et molestiae criterium est, quo illa ab mere apparentibus discerni possunt.*

*II. Absente errore voluptas vera uti et taedium verum semper constans et durabilis per se est, seu confuse, seu distincte percipiatur: ex adverso voluptas et taedium mere apparens, distincta et evidente cognitione in*

*in locum confusae succedente, vel sublato ac detecto errore, in oppositum, id est, voluptas mere apparens in verum taedium, taedium mere apparens in veram voluptatem, necessario commutantur.*

*III. Voluptati taedium de eodem praecise obiecto non contradictorie tantum, sed contrarie opponitur; ac proin et ipsum non mera privatio, sed quid positivum saltem ex parte est. Est enim non mera negatio omnis positivi intuitus, sed eiusdem intuitus primo concepti de bono reali sublatio secundum modum (16.) explicatum: ac proin est actus mentis positive intuentis imperfectionem, non tantum negatio omnis intuitus perfectionis.*

38.

*IV. Datur ergo status indifferentiae mentis inter voluptatem et taedium, quia inter utrumque contrarium duae merae privationes, nempe voluptatis, et taedii, possibiles sunt; ut si quis in re quadam ignorat, perfectio sit, an imperfectio, quod intuetur: certe omni taedio et voluptate, saltem vera et deliberata carebit; item si dormiat etc.*

39.

*Magnitudo voluptatis ac taedii cuiusvis metienda est 1.) ex magnitudine intensiva et extensiva absoluti boni ac mali, perfectionis, vel imperfectionis, quam intuemur: 2.) ex distinctione, claritate intensiva, et evidentia cognitionis, quam de ea habemus: 3.) ex puritate, seu segregatione unius ab altero, id est, quo minus taedii mixtum voluptati, aut quo minus voluptatis taedio commixtum est. 4.) Ex durabilitate in aevum, seu constantia. Patet ex 31. 33. 34.*

40. *Omnis*

*Omnis cognitio vera, distincta, et evidens, quæ talis, per se ipsam verum mentis bonum intrinsecum et accidentale est: contra omnis cognitio falsa, confusa, et incerta, quæ talis, verum mentis malum accidentale intrinsecum est.* Cognitio enim vera, distincta, et evidens, quæ talis, tum semper in se realis est, saltem ex parte, etiam cum imperfectionem pro objecto habet (37. III.), ac proinde non nisi negationi meræ sui ipsius contradictorie, at cognitioni falsæ, confusæ, et incertæ contrarie, opponitur. Iam vero et omnis mera negatio, quæ talis, et omnis error, confusio, et incertitudo, quæ talis, verum sunt malum, ex facultatis cognoscentis vera imperfectione ortum, quæ omni vero cognoscendo, discernendo, et ex ratione sufficiente ostendendo per se non sufficit. Ergo omnis cognitio vera, distincta, et evidens, quæ talis, ceu veri mali oppositum, verum mentis bonum (27.), et quidem intrinsecum est (26.), et accidentale; quia non inest menti constanter.

\* Si cognitio vera et evidens est intuitus imperfectionis in proprio subiecto, eadem quidem taedio coniuncta est; sed hoc taedium, etsi imperfectionem in subiecto supponat, ipsum tamen per se malum non est, sed medium contrariæ perfectionis consequendæ, si eius defectus accidentalis est: si defectus sit essentialis, quem intuetur; ea cognitio supponit, reale bonum illi defectui essentiali oppositum in ente distincto iam cognitum aliquando esse (secus enim eius conceptus nullus haberi posset), ac proinde adhuc dum posse eius cognitionem per modum boni accidentalis obtineri; atque adeo talis vera cognitio adhuc medium est boni seu perfectionis accidentalis consequendæ. Quod si cognitio vera sit intuitus verus imperfectionis extrinsecæ; tunc vel hoc est mere absoluta  
sub-

subiecti extranei imperfectio, vel est respectiva respectu mentis meae? *si hoc alterum*; erit cognitio vera istius hoc ipso medium eius devitandae, ne scilicet subiectum extraneum mihi malum reipsa inferat: *si primum*, rursus duo casus sunt possibiles, videlicet, ut perfectio absoluta, quam deficere in extraneo subiecto concipio, in mea mente iam insit, vel ut eandem in me quoque deficere advertam: *si primum*; erit taedium illud mixtum longe maiori voluptati, ac proinde vera voluptas, et verum mentis bonum (26. 27. L.): *si alterum*; rursus de perfectione illa conceptum habere, nec defectum eius in subiecto quocunque animadvertere possem, nisi iam eam quocunque modo adpercepissem in aliquo tertio subiecto, cum utique nullae dentur ideae aut notiones innatae, sed omnes sint adventitiae, aut factitiae: ergo rursus id genus cognitio vera, etsi imperfectionem repraesentans, erit medium ad cognitionem oppositae perfectionis, ceu bonum saltem accidentale mihi acquirendum, ac proinde plus boni, quam mali, in se continebit, atque adeo verum erit mentis bonum.

## 41.

*Bonum hominis substantiale verum est ipsa mens, corpus, et unio utriusque; imo unio cum corpore ipsius mentis bonum verum accidentale extrinsecum est: quia sine ea mens perfici cognoscendo non posset; siquidem cognitio omnis humana a sensu externo exordium et originem habet; uti in Logica demonstratur.*

## 42.

*Bonum formale non est, nisi ipsum bonum absolutum menti internum, quod est obiectum immediatum ac formale adperceptionis iucundae. Malum formale pariter est ipsum malum absolutum internum, quod est obiectum immediatum adperceptionis iniucundae (34. \*). Bonum obiectivum est, quod est, vel esse potest ratio sufficiens*  
exi-

existentiae boni formalis; *malum obiectivum* est, quod est, vel esse potest ratio sufficiens existentiae mali formalis.

• Voluptas et taedium, ceu adperceptiones mentis, semper actione mentis ipsius existunt; cuius rationes possibilitatis immediatae tamen sunt bonum vel malum formale actu in mente praesens, ceu immediata illorum obiecta (34. \* 42.). Ceterum *aliud est obiectum bonum, aliud bonum obiectivum*. Creaturae sunt obiectum bonum respectu DEI, sed non bonum obiectivum DEI: quia nullum bonum formale DEI determinant ad existendum.

## 43.

*Bonum obiectivum dividitur* in delectabile et utile. *Bonum delectabile* est bonum obiectivum, quod est, vel esse potest ratio sufficiens immediata existentiae boni formalis eiusmodi, cui voluptatis intuitus respondet. *Bonum utile* est bonum obiectivum, quod est vel esse potest. ratio utcumque natura prior mediata, seu medium, cuius ope aliud bonum obiectivum delectabile actu delectet. Eodem sensu analogo *malum obiectivum molestum, et noxium*, definiendum est a ratione immediata vel mediata existentiae mali formalis, cui taedii intuitus respondeat. Sicuti vero tam bonum, quam malum formale, perinde ac ipsa exinde orta voluptas aut taedium, verum, aut mere apparens esse potest; ita *bonum delectabile verum* erit, si voluptatem veram determinet, tumque simul *honestum* dicitur; mere apparens autem et proinde *inhonestum*, si non nisi apparens sit voluptas, quam determinat. Sensu prorsus analogo etiam *bonum utile honestum*, vel *inhonestum*, appellatur a vera vel mere apparente utilitate sua ad verum bonum formale consequendum, vel etiam ab

ab ipsa veritate aut fallacia boni formalis, ad quod consequendum reipsa utile est.

## 44.

*I. Non est idem bonum respectivum et bonum utile: quia etiam bonum delectabile respectiva bonitate sua ratio est boni formalis alieni, nec tamen mere utile propterea recte appellatur.*

*II. Bonum honestum non est tertia species boni obiectivi, media inter bonum delectabile et utile: quia utrumque hoc potius in honestum et inhonestum subdividitur.*

## 45.

*Uti dicimur bono utili, cum actione nostra determinamus eius facultatem ad producendum effectum, ad quem rationem medii natura prioris habet. Sic utimur ex. gr. instrumentis, ex. gr. penicillo, ut producat imago visu pulcra.*

*Frui dicimur bono delectabili, cum actu bonum formale, cuius in nobis est ratio existentiae, inimpedito voluptatis intuitu adpercipimus.*

## 46.

*Possessio boni obiectivi utilis, vel delectabilis, est facultas completa eodem utendi, vel fruendi. Si est coniuncta cum libertate, et tenetur salva rectitudine morali, vocatur possessio moralis; si est sine libertate, mere physica possessio appellatur.*

\* *Possessio boni utilis, et delectabilis, semper ipsa bonum formale mentis est, et obiectum immediatum voluptatis; quia in facultate menti intrinseca consistit, cuius adperceptio iucunda in sensatione interna absolvitur. Sic avarus homo ex sola possessione pecuniae, quae secundum se mere utile bonum est, voluptatem capit, seu ex bono formali actu praesente.*

## 47. I. Omnis

47.

*I. Omnis cognitio sensuum externorum verum bonum mentis intrinsecum est, quatenus distincta est; quatenus vero confusa, malum intrinsecum. Est enim cognitio vera et certa per se: ergo per 40. ect.*

*II. Sanitas completa totius corporis (quae non est, nisi status ille corporis et omnium organorum sensualium, vitalium, et motricum, quae omnia et singula munere suo rite funguntur,) verum utile bonum, idque intrinsecum, non quidem mentis humanae immediate, sed totius hominis est; quatenus ex corpore et anima componitur. Sunt enim organa illa totidem instrumenta utilia, quibus anima ad bonos effectus, nimirum sensationes (I.) et operationes et motus vitales uti, unionem sui cum corpore conservare (41.) sequi perficere potest, et a malo corporis praeservare.*

*III. Commoditas victus, vestitus, et habitationis, bona famae, et fortunae, per se vera bona utilia respectu hominis sunt, sed extrinseca. Iisdem enim uti homo potest ad effectus vere bonos, nempe ad conversationem vitae ac sanitatis propriae et alienae, ad augendam scientiam rerum naturalium et aliis communicandam etc.*

• Ipse sensationes molestae et dolorem afferentes, etsi sint malum formale, quatenus imperfectionem, in organo sensorio ab obiecto extraneo productam, cum molestia repraesentant; tamen respectu mentis sunt bonum utile obiectivum, quatenus haec iis reflexe cognitis ceu occasione utitur ad bonum effectum, hoc est, ad cavendum sibi ab obiecto extraneo noxio, et sanitatem corporis cum vita ipsa conservandam.

48.

*Habitus seu facultas discernendi universe verum a falso, intellectus et scientia appellatur; intel-*

Intellectus quidem, quatenus immediatis, scientia, quatenus mediatis iudiciis id fit. *Sapientia* est habitus discernendi verum bonum et verum malum a mere apparente: seu deinde de bono finali, seu de mediis bonis ad finem consequendum agatur.

## CAPVT II.

DE BONO, ET MALO, VT EST STIMVLVS  
AC MOTIVVM APPETITVS;

SIVE

DE NATVRA COGNITIONIS PRACTICAE EIVSQVE  
ENERGIA AD CIENDOS ACTVS NOSTRI  
APPETITVS.

49.

*Cognitio mere speculatrix* solius veri in obiectis inefficax adperceptio est, qua praecise quid sit actu, vel esse possit, cognoscitur. *Cognitio practica* ex aduerso est, quae ad agendum ciet, vel modum agendi dirigit. *Nulla autem cognitio ad agendum simpliciter per se ipsam ciet; nisi vel ipsa constet voluptate aut taedio actu praesente (33. 34.), vel sit saltem istorum ceu possibilium praevision.* Pariter *nulla cognitio dirigit agendi modum, nisi sit adperceptio boni utilis vel mali noxii,* eiusque rationis, secundum quam bonum utile, medium voluptatis, vel noxium, impedimentum istius, aut causa taedii est. Enimvero sola perspecta utilitas alicuius obiecti ad certum effectum non ciet actionem nostram; nisi effectus ipse placeat, et ceu cum voluptate fruendus optetur. Nec perspecta noxietas obiecti relate ad aliquem effectum ciet actionem nostram ad illud avertendum; nisi effectus idem, ceu taedio futurus, fugiatur. Tota ergo

Stattler Eth. christ. univers.

C

vii



vis simpliciter ciendi actiones nostras humanas per se in adperceptionibus voluptatis et taedii, eiusque praesentis, vel praevisae ut possibilis, inest; id est, solae illae simpliciter practicae cognitiones sunt; 2.) adperceptiones autem boni utilis, vel mali nocui, non simpliciter practicae per se ipsas sunt, sed tantum mediante energia aliarum, ad agendum simpliciter ciende, modum agendi dirigunt. Hinc recte adperceptiones simpliciter practicas primitivas cognitiones practicas, alteras vero derivativas, appelles.

I. Sola ergo voluptas et taedium, seu praesens, seu praevisa (id est, seu actu sensatione percepta, seu ut possibilis mente concepta) primitiva energia pollent ad ciendas actiones humanas.

II. Praesens fruitio voluptatis (seu boni formalis hac mediante) ciendat conatum actionis nostrae ad eam continuandam, seu continue fruendam. 2) Praevisio vero possibilitatis eiusdem mediante certo ac definito usu mediorum ciendat conatum actionis nostrae ad eam praesentem reddendam. 2) Adperceptio rationis, qua utilia ad hoc media esse possunt, dirigit modum agendi et actualem usum mediorum.

III. Praesens taedii sensatio (seu mali formalis experientia) ciendat conatum actionis nostrae ad eam tollendam et abrumpendam. 2.) Praevisio illius vero ciendat conatum actionis nostrae ad illam impediendam simpliciter usu convenientium mediorum. 3.) Adperceptio denique rationis, qua media utilia ad hoc sunt, dirigit modum agendi et actualem mediorum usum.

\* Ut ratio omnis facultatis nostrae cognoscendi, quatenus practica est, penitus intelligatur, probe notandum est, eiusdem vim ciendi practicae saltem praecipuam et magis vivacem sensatione praesente voluptatis, id est, experientia actuali boni formalis interni absoluti, ipsi menti nostrae connaturalis, actu praesentis,

constare; eiusque boni magnitudinis et sensationis eiusdem vivacitati, seu intensiori, iuxta ac distinctioni, commensurari. Sensatio haec vulgo, ein Gefühl, ipsaque facultas illius, die Gefühlkraft, vernaculo idiomate appellari solet; quamdiu confusa in sensatione acquiescit. Id quod tum fere semper fit, quamdiu omnis reflexio in singulas illius partes abest, ex quibus forte componitur; uti fit in gustatu cibi aut potus dulcis, in odoratu ect. Quodsi vero reflexione quadam mediante distinctior sensatio voluptatis evadat (nam et sensus nostri reflectunt super obiectis suis), *apprehensio pulcritudinis* consequitur; uti fit in musica pulchra, pulchra imagine ect. Sicuti ergo omnis sensus, ita et *facultas voluptatem adpercipiendi*, confusa, vel distincta adperceptione, *revera cognoscendi facultas est* (non appetendi, uti multi somniarunt); at non quaecumque facultas cognoscendi *verum* praecise, sed potius adpercipiendi *bonum formale* nobis connaturale, et ipsam bonitatem illius, hoc est, *practica cognoscendi facultas simpliciter*. Sed et *phantastica reproductio praeteritae* eiusmodi *voluptuosae sensationis*, id est, reproductum phantasma illius, *vim practicam ciendi* appetitionem nostram *habet* recuperandae eiusdem sensationis praesentis; licet tanto minorem, quanto ipsa actualis sensatio phantasmati eiusdem vivacitate praecelset. Denique *etiam solum fictione mentis concepta voluptas possibilis vi practica pollet* ad ciendam appetitionem eiusdem; sed haud dubie vi multo minore: quia deficientibus propriis eiusdem speciebus idealibus, primitivis nimirum sensualibus iuxta ac phantasticis, nimis obscura est sola effectio illius per alienas species a mente suscepta. Et hinc est, quod caelestis voluptas, quam nec oculus adhuc vidit, nec auris audivit, nec mens humana huc usque propria specie percepit, etsi immensa per se sit, satis mediocri vi appetitum humanum vulgo ciere solet.

## 50.

Actio illa mentis nostrae, sensu intimo nobis nota, qua ex urgente stimulo vel impulsu cognitionis simpliciter practicae conamur conveniente

C 2

usu

usu utilium mediorum vel praesentem fruitionem voluptatis conservare ac continuare, vel utcunque praeviam reddere praesentem, *appetitus* vocatur. Illa ex adverso actio, qua urgente simili stimulo vel impulsu cognitionis simpliciter practicae conamur praesentem taedii sensum tollere, vel utcunque praevium usu convenientium mediorum impedire, ne praesens fiat, *aversatio* appellatur. Ipsa facultas, ambas istas actiones exercendi, communi nomine *appetitus* seu *facultas appetendi*; speciatim vero *appetitus concupiscibilis* relate ad appetitiones, *irascibilis appetitus* contra relate ad averfationes, dicitur.

## 51.

*I. Appetitio et averfatio eiusdem praecise obiecti actiones mentis contrariae sunt; nec tantum contradictorie sibi opponuntur. Media enim inter utramque sunt nec appetere, nec averfari; quod fit, quoties nullus conceptus boni vel mali, nec praesens, nec praevius, menti inest.*

*II. Conceptus seu intuitus boni, id est, voluptas, ac bonum formale (16. 42.) est ratio possibilitatis appetitionis; et conceptus seu intuitus mali, id est, molestia, ac malum formale (cit.) est ratio possibilitatis averfationis.*

*III. Voluptas ipsa, et molestia, appetitio, et averfatio non est; sed hac natura prior.*

*IV. Nihil appetere, nec averfari possumus, nisi prius cognitum; id est, nisi cuius conceptus aut praesens sit, aut praevius ut possibilis.*

*V. Nihil appetere possumus, nisi ut cognitum sub ratione boni, nihil averfari, nisi ut cognitum sub ratione mali.*

VI. Fa-

**VI.** *Facultas appetendi et averfandi a facultate cognoscendi non nisi formaliter distinguitur, scilicet cum attributum ab essentia: eius enim effectus sunt continuatae cognitiones, vel ex praevisis factae praesentes.*

52.

Voluptas, vel taedium, si confuso boni, vel mali (perfectionis, vel imperfectionis) intuitu consent, *stimulus*; sin vero distincto, *motivum* appetitionis, vel averfationis, appellantur.

53.

**I.** *Nihil appetimus; nec averfamur, absque stimulis, vel motivis consentaneis.*

**II.** *Quo maior est voluptas, vel taedium, simulque vis practica adperceptionis eiusdem (39. 49.); eo maiores sunt stimuli, et motiva appetendi, vel averfandi.*

54.

*Appetitio et averfatio, quae stimulos praecise consequitur, inferior, et in homine vulgo sensitiva; quae vero motiva, superior et rationalis appellatur. Facultas, appetitiones et averfationes inferiores, seu confusas, vel, ut in homine vulgo vocantur, sensitivas exercendi, appetitus sensitivus, seu generalius facultas appetendi inferior; facultas vero, appetitiones et averfationes superiores, seu rationales eliciendi, appetitus rationalis, facultas appetendi superior, et vulgo voluntas dicitur.*

55.

Actus appetitus sensitivi, quae tales, *affectus, motus animi*, vulgo *passiones*, vocantur; actus voluntatis, *volitio, nolitio, ommissio* utriusque.

\* Nimirum uti status indifferentiae quidam inter sensum voluptatis et molestiae, ceu inter contraria, possibilis est (38.): ita inter appetitionem et averfationem rationalem omisso utriusque, ceu inter utramque media, per se possibilis est; uti porro videbitur, cum de libertate agetur.

## 56.

Affectus in duo genera dividuntur; quique ex stimulo primitivo voluptatis nascuntur, univere *affectus amoris*, *affectus complacentiae* (33.), *affectus iucundi*: qui vero ex stimulo primitivo taedii, *affectus odii*, *affectus displicentiae*, *affectus molesti*, vocantur.

## 57.

Utrumque genus dividitur in affectus amoris et odii simplices, et in compositos. *Affectus simplices* simplici amore, vel odio, constant; *compositi* ex pluribus vel amoris, vel odii homogeneis, et amoris et odii heterogeneis, componuntur.

## 58.

*Simplices amoris complacentiae affectus duo tantum sunt, nempe gaudium*, quod est amor boni cogniti ut praesentis, seu conatus boni praesentem iucundum vel voluptuosum intuitum continuandi; et *desiderium*, quod est amor boni cogniti ut absentis et possibilis, seu conatus eius praevium intuitum efficiendi praesentem. Nec enim datur aliquod medium positivae affectionis iucundae inter haec duo (49.). Si tamen abstrahitur a praesentia, et praevisione boni, et sola voluptas complacentiae (33.) de bono cognito (seu praesente, seu praeviso) continuari concipitur, generico nomine *amor complacentiae* appellatur.

\* *Amor*

*Amor complacentiae* tunc datur, cum vel in ipsa praevisione boni, seu iucunda, continuanda inhaeremus, seu illius praesentem intuitum iucundum continuamus. Verum ex hoc ipso patet, illum, dum actu existit, utrobique a gaudio vix separari.

59.

*Odii complacentiae* pariter duo tantum affectus simplices possibiles sunt, nimirum *tristitia*, quae est odium mali cogniti ut praesentis; ac *fuga*, quae est odium mali ut absentis et praevisi. His respondet *odium displicentiae* analoge contrarium *amoti complacentiae* (praec.)

60.

*Compositi affectus homogenei* sunt, qui aut gemino simul amore, gaudio nimirum et desiderio, constant; et talis est *spes*, quae est desiderium boni absentis, cum gaudio de praesente aliqua eius consequendi certitudine coniunctum: aut qui gemino simul odio, *tristitia* nempe et *fuga*, constant; et talis est *timor*, qui est fuga mali absentis, cum *tristitia* ex certitudine aliqua praesentem coniuncta, quod impediri non possit.

61.

*Compositi affectus heterogenei* sunt, qui ex affectibus simplicibus amoris et odii diversis constant, uti *desperatio*, quae desiderio et *tristitia*, *audacia*, quae fuga mali et gaudio de certitudine eius impediendi, *zelus*, qui gaudio de bono praesente, et fuga iacturae praevisae, *ira* denique, quae ex *tristitia* et desiderio immunitatis a malo praesente, constat.

62.

Ex affectibus ii vocantur *primitivi*, qui a nullo alio affectu tanquam a priori naturae ad existendum

C 4

dum

dum determinantur; *derivativi* ex adverso, seu *imperati*, qui ab alio affectu natura priore ad existendum determinantur: et respectu istorum ii affectus, qui eos a priori determinant, *imperantes* vocantur: atque ex ipsis imperantibus is, qui ceteris imperantibus omnibus natura prior est, *affectus praedominans* appellatur.

63.

I. *Affectus primitivus imperans idem est, ac praedominans, respectu eorum, quos imperat.*

II. *Non omnis affectus imperans est primitivus, et praedominans.*

III. *Affectus idem imperatus et imperans esse potest.*

IV. *In affectibus compositis vulgo alter componentium imperans, alter ab eo imperatus est; quod consideranti ultro patebit.*

V. *Primitivus imperans affectus semper est amor voluptatis, vel odium taedii; 2) ex adverso amor boni utilis, et odium mali noxii semper est affectus imperatus (49.)*

64.

i. *Motus isti animi omnes, si nullo adhuc de veritate boni vel mali obiectivi, in quod feruntur, praemisso etiam confuso tantum iudicio, id est, ante omne interveniens motivum a superiore facultate cognoscendi circa eos propositum, in mente exoriantur, praevementes rationem, seu indeliberati (a veteribus *affectus hominis non humani*) appellantur, ceu a natura quidem hominis tanquam a principio, sed non a iudicio et ratione humana in specie profecti, ac brutis etiam suo modo*

modo (quamquam non sine discrimine) communes.

2. Quodsi eiusmodi motibus primis aliquantisper iam continuatis superveniat initio confusa quaedam adperceptio de veritate aut falsitate boni vel mali obiectivi, in quod feruntur, qua, ceu motivo contrario, mens ad eos concipiendos, vel omittendos, impellatur; motus eis analogi porro in mente consequentes vocari solent *motus semideliberati* (vulgo *motus primo secundi*, vel *secundo primi*.)

3. Volitiones denique, nolitiones, aut utrumvis omissiones, quae post distinctum iudicium seu post deliberationem, uti vocant, de veritate aut falsitate boni, vel mali obiectivi exercentur, in quod illae feruntur, aut non feruntur, *actus humani, deliberati, secundo secundi* communiter appellantur.

\* Ceterum *deliberatio*, seu distinctum illud iudicium, *gradus seu partes veluti suas habet, vel certe habere potest*; siquidem 1.) de bonitate et falsitate boni vel mali obiectivi, 2.) de bonitate obiectiva ipsorum actuum eliciendorum, eaque vel physica, 3.) vel morali, iudicium precedere posse, et vulgo primo semel positae cetera quoque in homine libero paene necessario accedere, suoloco videbimus.

65.

I. *Volitiones et nolitiones perinde, atque affectus animi, primitivae, vel derivativae, imperantes, aut imperatae esse possunt.*

II. *Affectui succedere volitio, vel nolitio, consentiens, vel dissentiens potest, superveniente nimirum animi deliberatione post affectum iam semel conceptum.* ◀

C 5

66. Fi.



*Finis* est bonum (formale, vel obiectivum), cuius nondum existentis praevisio appetitum (sensitivum, vel rationalem) stimulat, vel movet, ad idem praesens efficere volendum. *Medium* est, quod cum alio est a priori connexum.

*Finis proximus* seu *immediatus* est, cuius praevisio movet ad eum efficiendum, seu effectum actionis proximum, seu immediatum; *mediatus* seu *remotus*, qui movet ad efficiendum sui medium, qua tale.

*Finis ultimus* est, qui movet praevisioe bonitatis suae absolutae, et non ratione praevisi nexus sui a priori cum alio fine mediato seu remoto. *Finis non ultimus*, qui movet praecise praevisioe bonitatis suae respectivae, seu nexus cum alio fine mediato.

I. *Fines proximi sunt media finium remotorum.*

II. *Medii, qua talis, omnis bonitas est respectiva* (20.).

III. *Voluptas praevisa ex praesentia finis est stimulus immediatus vel motivum immediatum, desiderii* (sensitivi, vel rationalis, ) *ipsius finis efficiendi.*

IV. *Voluptas ex praeviso nexu medii cum fine non est se solo sufficiens motivum desiderii medii efficiendi, tanquam finis proximi; sed una cum desiderio finis mediati, tanquam motivo partiali, movet ad desiderium medii efficiendi.*

V. *Omne bonum utile, qua tale, rationem medii habet* (43. et praec.), *et non finis ultimi: ex adverso*  
omne

omne bonum delectabile, quae tale, tantum rationem finis ultimi per se habet, non item medii (cit.).

VI. Omne itaque gaudium, circa bonum praesens delectabile (seu absolutum) quae tale versans, est affectus primitivus, vel volitio primitiva: et omne gaudium ac desiderium, versans circa bonum utile, seu respectivum, praecise quae tale, est effectus imperatus, seu volitio imperata ab alio affectu versante circa bonum delectabile seu absolutum, vel immediate, vel mediate (62.).

VII. Amor complacentiae de praevisione finis ultimi (58. not.) est affectus primitivus, vel volitio primitiva, et imperans omnes alias appetitiones (seu affectus, seu volitiones), circa finem et eius media, quae talia, versantes.

VIII. Similiter odium displicentiae ex praevisione mali absoluti (59.) aliquando potest esse affectus primitivus, imperans omnes alios affectus, aut volitiones, circa idem seu finem impediendum, et circa media ejus impediendi, quae talia, versantes.

IX. Amor complacentiae de praevisione finis ultimi, seu boni absoluti, etiam imperat odium displicentiae, et quosvis alios affectus odii, versantes circa ea, quae fini eidem, seu contradictorie, seu contrarie, opponuntur.

X. Similiter odium displicentiae de praevisione mali absoluti imperat quoque amorem complacentiae, et quosvis alios affectus iucundos, versantes circa ea, quae eidem malo absoluto saltem contrarie opponuntur.

\* Dixi, quae saltem contrarie malo absoluto opponuntur: tamen enim odium displicentiae aliquando possit esse affectus primitivus (VIII.); non tamen ipsum imperat amorem complacentiae de praevisione boni eidem malo absoluto contradictorie oppositi; qui semper est affectus primitivus, et potius, seu praecedat

dat omne odium de illo malo absoluto, seu post illud iam primitive conceptum primum consequatur, ipse imperat novum odium displicentiae.

68.

*Stimuli primitivi, et motiva primitiva, appetitus et voluntatis humanae* vocantur, qui cient, ac determinant appetitiones primitivas, seu sensitivas, seu rationales; qui vero solum derivativas seu imperatas (62.), *stimuli derivativi, et motiva derivativa, seu proxima* appellantur.

69.

*Stimuli et motiva primitiva omnium appetitionum et aversationum humanarum sunt solummodo amor complacentiae de bono absoluto habente rationem finis ultimi, seu praesentis, seu praevisi, et odium displicentiae de malo absoluto seu praesente, seu praeviso. Sequitur ultro ex Corollariis §. praec. incipiendo a quinto etc. etc.*

\* Miram sane, quod recentissimi Scriptores Philosophiae moralis de Protestantium numero hanc propositionem, veluti quaestionem difficilem, et nondum satis explicatam, disquisitioni novae commendare voluerint: cum reipsa nihil sit ea ex ipsis notionibus evidentius.

70.

*Affectus inordinatus seu praeposterus* dicitur, qui merae apparentiae, non veritati boni, aut mali, seu voluptatis, aut taedii, conformatur. *Affectus ordinatus seu rationalis* proinde est, qui vero bono aut malo, seu verae voluptati, aut vero taedio, respondet.

71.

*Si amor complacentiae de aliquo bono ceu sine sit affectus inordinatus, et ex voluptate mere apparente ortus,*

ortus, pervertit omnia iudicia, et inordinatos reddit omnes affectus, circa media eiusdem versantes. 2) Similiter odium alicuius finis, ceu mali absoluti, si inordinatus fit, ex taedio mere apparente ortus, pervertit omnia iudicia et affectus circa media versantes. Cum enim media respectu finis semel affectati nullam bonitatem habeant, nisi respectivam, quae in eorum nexu seu aptitudine ad finem efficiendum consistit (67. II.): si amore praepostero tibi complaceas in bono aliquo ceu fine efficiendo, quod mere apparens, et re ipsa verum malum est; is amor finis erit imperans respectu omnium affectuum circa media versantium, ac proin isti omnes merae apparentiae boni conformabuntur, et media ad verum malum efficiendum apta perverso iudicio apparebunt bona; cum vere mala sint. Idem est de odio mali absoluti ordinato ob 67. VIII. et X.

## 72.

*Bonum meum* est, quod est ratio sufficiens bonitatis absolutae mihi intrinsecae: si est realiter eadem, seu item intrinseca mihi, et tantum formaliter diversa; dicitur *bonum meum intrinsecum*: si est ratio sufficiens causalis seu existentiae eiusdem, realiter ab ea distincta, dicitur *bonum meum extrinsecum*. Eodem sensu dicitur quid esse *bonum alterius, eique intrinsecum, vel extrinsecum*. *Bonum intrinsecum cuiusque* esse potest vel *essentiale, vel accidentale*. Eodem porro sensu dicitur quid *malum alicuius intrinsecum, extrinsecum, etc.*

## 73.

I. *Omnia bona extrinseca, quae amantur ut mea, eatenus sunt bona tantum utilia et respectiva* (praec. & 43.).

II. Ta-

II. Talia ergo sunt omnia bona externa; fortunae, et famae.

74.

*Amor concupiscentiae* est affectus iucundus de bono accidentali ut meo, cognito qua tali. *Amor benevolentiae* est affectus iucundus de bono accidentali alterius, cognito qua tali. Hic posterior purus dicitur, si non imperetur ab amore concupiscentiae; eo quod nempe bonum alterius simul sit bonum meum extrinsecum; non purus, si dicto modo imperetur etc. Eodem modo definitur contrarie odium concupiscentiae erga se ipsum, et odium malevolentiae erga alterum.

\* *Amor concupiscentiae* vulgo amor proprius dicitur: de quo multa apud Protestantium Morales Philosophos disputatio, an sit pro stimulo primitivo et primo principio omnium desideriorum et affectuum humanae voluntatis habendus.

75.

*Amor concupiscentiae non potest esse affectus primitivus.* Vel enim esset simplex amor complacentiae, vel gaudium, vel desiderium, vel ex his compositus? Non primum: quia complacentia de bono accidentali, quod est meum, et cognoscitur esse meum, nondum hoc ipso intelligitur esse complacentia de eo bono, ut meo, vel quatenus meum est. Idem est de gaudio, ac desiderio, et de quovis affectu ex his composito. Ergo, ut amor concupiscentiae proprie talis, seu de bono ut meo, sit possibilis; alia ratio possibilitatis natura prior, praeter voluptatem de eo bono secundum se, id est, amor aliquis mei ipsius, requiritur, qui ad illum concupiscentiae amorem instar affectus imperantis moveat a priori.

76. Si-

76.

*Similiter affectus primitivus non est amor benevolentiae. Eadem est demonstratio; modo notioni boni mei, ut mei, notio boni alterius, ut alterius, substituitur.*

77.

*Amor concupiscentiae omnis ab amore complacentiae de bono meo essentiali, aliunde mihi quidem intrinseco sive cognito, sive non cognito, qua meo, imperatur. Amor enim concupiscentiae amat bonum meum accidentale, quatenus meum est, id est, quia et quatenus vel est, et cognoscitur esse, idem realiter cum reliquo meo bono intrinseco cognito secundum se absolute; vel quia, et quatenus est talis boni ratio existentiae (74. 72.). Atqui non potest cognosci ut meum, vel ut causa alicuius boni, qua mei, nisi in me ipso secundum ordinem conceptus prius aliquod bonum intrinsecum concipiam, quocum bonum illud meum, circa cuius rationem, vel formalem, vel causalem affectus concupiscentiae versatur, etsi formaliter distinctum, realiter tamen idem sit (me enim prius concipere conceptu positivo debeo, antequam bonum aliud ad me, tanquam meum accidentale bonum, referre queam): ac proinde affectu illo concupiscentiae natura prior esse debet amor aliquis gaudii, seu (quod idem est 58. not.) complacentiae de bono illo mihi aliunde iam intrinseco; ut amor concupiscentiae sit possibilis. Itaque per §. 62. affectus concupiscentiae omnis ab amore complacentiae de bono aliquo meo aliunde mihi intrinseco imperatur. Porro si istud bonum aliunde mihi intrinsecum semper itidem cognosci ut meum deberet, rursus alio bono natura eodem*

eodem priore opus esset ad illud cognoscendum, ut tale, ac proin procedi deberet in infinitum ob paritatem perpetuam rationis eiusdem cognoscibilis in bono, ut meo. Ergo opus non est, ut bonum intrinsecum, cuius amor complacentiae imperat amorem concupiscentiae, cognoscatur ut meum, quatenus est eius amoris complacentiae obiectum.

78.

*Similiter omnis amor benevolentiae ab amore aliquo complacentiae de bono aliquo personae alterius, ipsi aliunde quidem intrinseco, sive cognito, seu non cognito ut tali, imperatur. Demonstratio omnis eadem cum priore est, si modo notioni boni mei, qua talis, notionem boni alterius, qua alterius, substituas.*

79.

*Itaque et odium concupiscentiae, et odium malevolentiae (74.) itidem ab odio displicentiae de aliquo malo meo, et alterius, intrinseco, sed non cognito qua tali, semper imperatur: cum eadem oppositorum sit ratio.*

80.

*Si amor benevolentiae purus non est (74.), amor ipse complacentiae de bono alteri intrinseco est amor boni alicuius respectivi seu mihi utilis, et imperatur ab amore meo concupiscentiae (cit.)*

81.

*Possibilis est purus amor benevolentiae. Possibilis est enim amor complacentiae de bono alterius accidentali mere absoluto, et nullo pacto mihi utili, e. g. de virtute hominis mihi cetera ignoti, et longissime remoti; et idem amor complacentiae*

tiae me movere potest ad amorem benevolentiae erga eundem hominem, quo ipsi desiderem aliud bonum e. gr. sanitatem (78.) etc. Atqui talis amor benevolentiae purus erit (praec. et 74.). Ergo &c. &c.

## 82.

*DEVS, nisi fictione quadam conciperemus in illo bonum quoddam accidentale, non nisi amore complacentiae et gaudii, non item amore benevolentiae propria tali, a nobis amari posset.* Nullum enim revera in DEO bonum inest accidentale, quo eius absoluta bonitas intrinseca augeatur, nec possibile est DEI utile bonum extrinsecum (72.)

\* Neque suspiceris, gratis a me additam esse (74.) in definitione utraque restrictionem boni voliti ad *accidentale* bonum. Si enim etiam *essentiale* bonum amore concupiscentiae et benevolentiae nos velle nobis aut aliis posse existimes: attende, illud non nisi fictione porro referri ceu *meum* ad *me*, tanquam ad subiectum saltem formaliter distinctum, posse. Idem est de bono alterius *essentiale* referendo porro ad alterum.

## 83.

*Ob eandem rationem nec DEVS ipse se amat amore concupiscentiae; qui enim in nobis esset amor benevolentiae erga DEUM ratione alicuius boni DEO a nobis voliti, is amor in DEO, tendens in idem accidentale bonum sibi, vel ut suum, volendum, esset amor concupiscentiae (74.)* Atqui nullum est in DEO bonum DEI *accidentale* &c. &c.

## 84.

*Affectus primus et ultimus circa finem ultimum est amor complacentiae de eius bono absoluto obiectivo praeviso.* Nam *primus* non potest esse gaudium de ipso fine ut praesente; quia finis nondum est

Stattler Eth. christ. univers. D praes-



praesens; nec desiderium; quia isto prior est amor complacentiae de ipsa praevisione finis ut possibilis intrinsece et extrinsece; nec affectus alius ex gaudio et desiderio compositus ob easdem rationes; neque demum affectus aliquis molestus, quorum primus esset aliquis molestus, quorum primus esset odium displicentiae de absentia finis, quod tamen amore complacentiae de eodem prius non est (67. not.), sicut nec tristitia de eadem &c. &c. Ergo amor complacentiae est affectus primus circa finem. 2.) Antequam finis fiat praesens, amor complacentiae de eius praevisa possibilitate quidem quosvis alios affectus simplices et compositos circa eundem finem imperare potest; at in finis praesentia, seu praesente pleno intuitu, ac fruitionis possessione iam obtenta, complacentiae amor, seu gaudium (a quo ille amor complacentiae re non distinguitur 58. not.), tanquam de bono praesente, locum solummodo habet, quin porro aut desiderium, aut spem, ipsius finis per se imperare queat, nisi in casu affulgentis periculi, aut saltem incertitudinis, de fruitione finis denuo amittenda. Tum vero amor complacentiae idem imperabit quidem denuo alios affectus, e. g. timoris, audaciae, fugae &c.; at in nullo ceu ultimo quiescet; nisi obtenta securitate possessionis demum in amore solo complacentiae acquiescat. Ergo &c.

## 85.

Continuatus, nec sponte abruptus, complacentiae amor, seu gaudium, de praesente secura fruitione finis, quatenus est affectus ultimus circa finem eundem ultimum, *mentis in fine acquiescentia*; affectuum vero ab ista acquiescentia distinctorum

storum absentia in mente, *quies mentis* simpliciter appellatur.

86.

*Desiderium finis efficax* dicitur, quod imperat actu usum omnium mediorum necessariorum ad efficiendum eundem finem; *inefficax*, quod nullius usum actu imperat; *imperfecte efficax*, quod imperat usum aliquorum, sed non omnium.

87.

*Desiderio finis vel imperfecte solum efficaci semel concepto, quies nulla in mente est, dum in fine actu acquiescat; quamdiu manet desiderium illud primo conceptum.* Desiderium enim tale, si saltem imperfecte sit efficax, imperat usum aliquorum mediorum (praec.): ac proinde spem, vel timorem de consequendo fine exfuscat; audaciam ingerit, si spes consequendi; desperationem, si certum periculum non consequendi se monstret; tristitiam, si conatus frustraneus sit; fugam, si difficultates in usu mediorum occurrant &c.; zelum denique, aut iram, si, cum iam paene quis potitus est fine, aut excidendi periculum, aut iactura actu, eveniat (60. et seqq.)

88.

*Appetitus innatus*, sive, ut aliqui technica magis quam latina voce appellant, *elicivus*, est ipsa facultas appetendi enti alicui substantialis; estque vel *sensitivus mere*, uti in brutis animantibus, vel *rationalis*, ut in spiritibus imperfectis, vel *intellectualis* ut in spiritu infinite perfecto, DEO videlicet, simplici distincto intuitu cuncta intuenste. *Appetitus elicivus* dicitur ipsa appetitio obiecti cogniti (50.). *Appetitus elicivus naturalis* proprie vocatur,

D 2

qui

qui ab appetitu innato vi solarum naturae appetitas legum physica saltem necessitate hypothetica elicitur. Quodsi ipse appetitus elicitus aliquis in ente, non solum necessitate physica, et per modum attributi, insit, quod per entis essentiam determinatur; *appetitus elicitus innatus* appellari solet.

89.

*Bonum purum* est, quod caret omni malo (seu defectu), sive hoc sit mere apparens, seu verum; *bonum non purum*, quod defectui, seu malo, simul commixtum est, seu mere apparenti, seu vero &c. Eodem sensu *voluptas pura*, et *non pura*; *taedium purum*, & *non purum*, dicuntur, prout vel una sine altero, et vicissim, vel simul, in eodem obiecti intuitu commixta sunt.

90.

*I. Bonum utile, qua tale, purum non est*: defectum enim boni eius finalis supponit, ad quod consequendum ipsum est medium utile (67. V.).

*II. Bonum obiectivum purum est bonum mere absolutum et delectabile, qua tale*: quia inter hoc et utile bonum medium non datur (43.).

91.

*Bonum purum, cognitum qua tale, averfari nullus appetitus potest*. Bonum enim purum, cognitum qua tale, quamdiu sub ea ratione cognitioni substat, tantum stimulos, vel motiva appetitionis, nullos vero averfationis suppeditat: atqui nulla possibilis averfatio sine stimulo vel motivo sibi proprio, taedii alicuius videlicet (53.): ergo &c.

92.

*Bonum purum, cognitum praecise qua tale, nisi accedat nova ratio mali cogniti, orituri saltem ex ipsa appetitione*

*tionem illius, non possumus voluntarie omittere sic, ut nec appetamus.* Quam parum enim appetere et averfari quid possumus sine ullo stimulo et motivo appetitionis, vel averfationis; tam parum bonum iam semel cognitum, qua tale, possumus mera voluntaria omissione non appetere; nisi adsit aliquis stimulus seu motivum id nec appetendi: secus appetitus iam sine stimulo se determinare posset; nec appareret, cur non item sine ullo stimulo conveniente posset idem obiectum omnino averfari.

## 93.

*Appetitus elicitus in bonum purum, cognitum qua tale quocunque genere cognitionis, omni enti facultate appetendi praedito naturalis est, & necessitate physica hypothetica vi legis naturae inest.* Lex enim naturae omnis appetitus est, ut in hypothese actualis cognitionis boni puri, qua talis, id nec averfari, nec non appetere possit, sed actu appetat (praec.): ergo per 51. l. &c. &c.

\* Facile intelliges, eadem ratione ostendi, *mali puri averfationem naturalem in eadem cognitionis hypothese omni appetitui inesse.* Nimirum facultas appetitus per se ad appetendum bonum per essentiam determinata est, nec nisi ratione completa possibilitatis appetitionis et absentia omnis impedimenti indiget, quo minus exeat in actum suum naturalem necessitate naturae suae. Atqui impedimentum solus intuitus mali est, nec aliud fingi potest. Hoc ergo absente, et praesente actu boni intuitu, facultas efficiens appetitionem completa est, eique effectus non responderi non potest. Profecto quemadmodum voluntas re ab intellectu non distinguitur, sed solum per modum attributi a nobis ratione distinguitur, quatenus est possibilitas eorum actuum, seu conatum cognoscendi, quos appetitiones vocamus: ita, sicuti intellectus ratione sufficiente veri cognita necessario assentitur, sic et volun-

tas ratione sufficiente boni praesente, sine motivo ullo absterrente, necessario illud amat, et appetit.

\*\* Porro hoc sensu, in hac propositione determinato, verissimum est, finem ultimum, id est, purum bonum, necessario appeti, et ad eum cuncta ordinari.

94.

*Boni puri absoluti praevisione semel in mente exorta, mens porro quiescere non potest, donec in eius praesente intuitu, veluti in fine ultimo, acquiescat.* Ex ea enim praevisione desiderium talis boni, ceu finis, necessario exoritur (praec.), idque ob possibilitatis intrinsecae et extrinsecae, seu potestatis propriae illud consequendi, praevisionem (49.) saltem imperfecte efficax (86.). Itaque quies, nisi praesente eius intuitu obtento, ceu in fine, esse non poterit (87.); idemque ceu bonum absolutum habebit hoc ipso rationem finis ultimi (66.).

### C A P V T III.

DE ESSENTIA SEV POSSIBILITATE INTRINSECA  
BEATITUDINIS, VT FINIS HOMINIS ABSOLVTE  
ULTIMI.

---

#### ARTICVLVS I.

QUALIS SIT, DEMONSTRATUR PRIMO A POSTERIORI.

95.

*Bene esse alicui subiecto dicitur, quatenus gaudet voluptate; male esse, quatenus taedio tristatur. Vere bene est illi, qui vera, apparenter tantum, qui mere apparente voluptate gaudet. Similiter alicui aut vere, aut solum apparenter male esse potest.*

96. Sta-

96.

Status voluptatis verae, cognitae qua talis, isque aliquo pacto perdurans, *felicitas* appellatur; *infelicitas* vero status analogus perdurantis taedii veri. *Felicitas* vel *pura* est, quae scilicet nulli taedio simul coniuncta est, vel *impura et mixta* taedio simultaneo.

97.

*Felicitas* pura per se talis *beatitudo* appellatur. Haec dicitur *formalis beatitudo*, quatenus est ipse status voluptatis verae perdurans, seu ipsa cognitio et intuitus boni obiectivi; seu quatenus est bonum formale subiecti beati: *beatitudo obiectiva*, vocatur ipsum bonum obiectivum, in cuius intuitu *beatitudo* formalis subsistit (42.).

98.

I. *Brutis animantibus bene et male esse potest; felicitatis autem capacia non sunt.*

II. *Hominibus, vere, vel apparenter, bene et male esse potest: at non nisi quibus vere, et aliquo saltem tempore constanter, bene est, felices reipsa sunt; ceteri solum esse felices apparent.*

III. *Felicitas pura, solum per accidens, e. g. ex ignorantia mali imminentis orta, beatitudo non est, sed solum apparet esse.*

IV. *Beatitudo perinde, atque felicitas pura, gradus magnitudinis pro varia voluptatis perdurantis magnitudine habere potest. Potest enim eiusdem puri boni cognitio esse clarior intensive et extensive: ergo (39. 96.).*

V. *Beatitudo minor, modo taedium positivum ex intuitu defectus maioris possibilis voluptatis absit, et*

D 4

per

*per ipsam naturam beatitudinis excludatur, vera erit beatitudo. Erit enim adhuc pura felicitas per se ipsam talis.*

*VI. Beatitudo absolute summa erit, si tanta est pura felicitas, quantae subiectum absolute est capax.*

99.

*Felicitas pura, ac proinde beatitudo ipsa, quietem mentis per se afferre debet. Est enim quies mentis absentia affectuum, a gaudio de praesente secura fruitione finis diversorum (85.). Atqui haec absentia adesse in beato debet. De affectibus molestis per se clarum est. Ex iucundis desiderium si adsit, patet, id in intuitu absentiae boni desiderati fundari; ac proin praesentem molestiam involvere, quae purae felicitati et beatitudini opponitur (96. 97.). Praeter desiderium alius affectus iucundus, nisi gaudium de bono praesente, non superest (58. et seq.). Istud denique gaudium, nisi cum securitate coniunctum sit, rursus taedio miscebitur, ac proin puram felicitatem non afferet. Ergo gaudio securo, seu timoris experte, id est, quiete mentis, ad beatitatem est opus.*

100.

*Felicitas pura et beatitudo ipsa non nisi ex puri et absoluti boni, cogniti qua talis, intuitu praesente consistere potest. Quodsi enim impurum esse cognoscatur; taedium voluptati vere miscebitur (89.), nec pura felicitas erit. Si non cognoscatur ut absolutum, sed solum ut respectivum, seu ut utile; finis ultimi rationem non habebit (67. V.); nec proin mentis quietem afferre poterit (87.), sine qua felicitas pura et beatitudo non datur (99.). Si adhuc ut absens solum praevideatur, quies abest.*

\* Dixi





omnis non nisi bonum utile quoque est (47. II.); ac proin neque ipsum purum bonum est. Denique 4) *mens ipsa* secundum essentiam finita est, nec eatenus se ipsam omnino cognoscit, nec cognoscere, ac proin nec voluptatem ullam inde ex se ipsa capere potest: 5) *accidentia menti intrinseca* sunt *partim cognitiones rerum externarum directae*, id est, non nisi bonorum talium, quae et singula et omnia impura sunt, et ut talia cognoscuntur ipso usu et experientia; *partim reflexae cognitiones* ipsarum cognitionum directarum, elicitaе a sensu intimo sive per abstractionem, sive per compositionem aut notionum, aut ratiociniorum, quae universe omnes *scientiae* innituntur; et istae omnes in directis reflexe intuentur taedia, impuritatem obiectorum externorum repraesentantia; *partim appetitiones et aversationes*, quae tendunt ad efficiendas, vel continuandas illas ipsas cognitiones directas, vel reflexas (50.); ac proin tam parum atque illae purum bonum esse, aut non sentiri taedio mixtae esse, possunt. 6) Superest sola *cognitio et appetitio DEI*, ceu puri boni et absoluti (praec.). At enim haec omnis DEI cognitio, quam de DEO in vita praesente habemus, mere abstracta est, summe confusa (quippe nihil exprimens fere, nisi cumulum omnium realitatum, sed paucissimas realitatum istarum qualitates), boni, non praesentis intuitus, sed obscura solum praevisionis: ergo bonum purum non est, et sensu ipso intimo cognoscitur non esse. Itaque res omnes creatae etc. etc.

\* *De fama et honore* dubites, utrum solum utilis et non item delectabilis boni rationem habeat. Videmus enim multos, qui opes et voluptates ceteras omnes profundant ad solam famam conquirendam, qua unice, ceu sine ultimo, acquiescunt. Sed non est, cur in

in ista re explicanda tantam, quantam nonnulli, nobis difficultatem inesse fingamus. Imo alteram quaestionem prorsus affinem de *amicitia* huic item coniungere solvendam possumus; siquidem eadem multi ut sine acquiescere, alii etiam famae studium atque gloriae ad hominum amicitias ex ea consequendas ceu finem ordinare, solent. Atque *inprimis* raro a studio famae et amicitiae studium utilitatis apertae abest. *Deinde* amicitia, quatenus non desiderium alieni amoris, sed amor alterius est, ex amore complacentiae in bono alieno nascitur; uti (74.) iam dictum est, siquidem purus sit benevolentiae amor. *Quando* vero vel maxime nulla utilitas in fama et amicitia aliena, seu nostri amore, quaeri videtur; tunc semper ipsa aliorum de bono nostro opinio, testimonium veritatis et excellentiae boni nostri intrinseci est, quo certitudo de eius veritate et excellentia confirmatur, et augetur, sicque nostra ex eo voluptas crescit (39.). Vnde si conscius simus, famam bonam de nobis falsam esse, de ea non nisi ut utili gaudemus.

## 103.

*Sensus communis naturae dicitur nobis, fieri posse, et aliquo pacto in nostra esse potestate, ut DEO, quem purum et absolutum in se bonum esse cognoscimus (101.), aliquando actu fruamur.* Sola enim DEI notione, ceu entis infinite tam absolute quam respective boni, omniscii, et omnipotentis, semel concepta, omnes constanti, nec voluntaria, inclinatione ad hanc veritatem asserendam inclinamur; quin aut eius distinctam rationem edicere possimus, aut ad eam asserendam seu sensatione aliqua externa, seu auctoritate quadam, vel humana institutione, moveamur. Atqui talis inclinatio sensus naturae communis est, sensu intimo cuique notus; etsi liberum maneat, eidem inclinationi actu assentiendo cedere atque obsequi. Vide Logic. 282. 283.

\* In procinctu sumus, ut mox eam ipsam veritatem, quam sensus naturae, seu ratio confusa, in obscuris

scuris adhuc ideis et notionibus involutam (quin scilicet de DEI fruitione, de nostris ad eam consequendam viribus, de DEO ipso fruendo, distinctos conceptus habeamus) nobis iam anticipato omnibus dictat, accurata demonstratione firmemus et penitus in plenam lucem evolvamur. Praemittamus nihilominus quorundam huius sensus naturae in nobis effectuum demonstrationem, et analysin nostri status praesentis, indeque originem praesentis inhábitatis ad veram beatitudinem absolvamus.

## 104.

*Ordo appetitionum nostrarum naturalis, experientia intima teste. est sequens.*

1.) *Percipimus omnium primo voluptatem ex rebus externis, ceu bonis delectabilibus (102, n. 1.); eoque ceu stimulo primitivo (69.) excitatus appetitus conatur praesentem earum intuitum cum gaudio continuare (58.).*

2.) *Quiescimus aliquamdiu in hoc fine ultimo, tum prosequendo eius fruitionem (45.), quamdiu licet, tum*

3.) *Percepta utilitate rerum externarum, ceu mediorum ad eum finem (opum praecipue 102. n. 2. et 3.) istas finis illius ultimi, voluptatis scilicet sensuum, causa desideramus. Idem est de sanitate corporis.*

4.) *Vsu ipso voluptatum sensibilibus, et conquista mediorum externorum ad eas consequendas, augendas, et continuandas, boni istius impuritatem summam experimur cum taedio, ac nauseare incipimus (102. n. 1.).*

5.) *Mens sensu boni delectabilis, seu voluptatis, semel imbuta, et iam taedio sensibilibus bonorum oborto, nec istorum bonorum fruitione acquiescit, nec a prioriore*

riore inquirendo bono *quiescit, sed, sensu communi naturae sese* (utut sub obscurissimis adhuc ideis) *exerente, de ipsius capacitate ad purum bonum fruendum* (praec.) *transit ad istius boni puri semel cogniti ac praevisi desiderium* (58. 93.); ac proinde alibi idem porro, reflexionis et attentionis ad se ipsam adminiculo, *inquirit.*

6.) *Mens ad se ipsam attenta* in cognitione abstracta a sensibus, in scientia videlicet, *novam percipere voluptatem ex suae ipsius perfectionis internae intuitu incipit; ea, ceu sine ultimo novo, acquiescit primo cum gaudio; perceptaque simul quorundam mediiorum utilitate ad illud scientiae bonum in se augendum* (meditationis videlicet, et quorumcunque scientiae adminiculorum, opum etiam et sanitatis) *eadem media desiderat finis illius ultimi causa*, id est, ut eorum ope augeat ipsam scientiam; cuius semel voluptatis excellentiam gustare inceptit.

7.) *Aucto non nihil istius intrinseci nobis boni, scientiae nimirum, gradu, amplius istius boni praesensuum bono excellentiam ex distinctae cognitionis, scientiis propria, delectandi virtute insita ad percipimus* (39.); ac proinde voluptatis tam pulchrae (33.) *augendae omnem occasionem arripimus, indeque ad scientiae famam desiderandam, percepta eius* (ceu medii) *ad augendum eius voluptatis sensum utilitate* (102. not. in fine), transgredimur.

8.) *Desiderio augendi boni tam nobilis acrius intenti, studio ipso nos fatigari, succumbere corpus, sanitatem delabi, diffluere vires, cum taedio persentiscimus; indeque refrigerii, seu voluptatis alterius, suppetias exoptare, et, memoria praeteritas sensuum voluptates iam expertas revocante in animum, voluptates sensuum desiderare de novo incipimus*

*pimus, ceu iam omnino ad nostram quietem necessarias; sicque puri boni desiderio semel in animis nostris excorto (hic n. 5.) saltem ex coniunctione bonorum geminorum delectabilium, sensualium nimirum et rationalium seu spiritualium, puram felicitatem ceu finem inquirimus; famam quoque et amicitiam, ceu ad ambarum incrementa utiles (102. not.), captamus.*

9.) *At enim omni hoc studio, et gemini boni desiderio simul coniuncto, non nisi malorum intuitus cum taedio augetur: bonae opinionis et amicitiae desideratae in locum invidia, obtrectatio, aemulatio aliena, obtingit nobis, et inde taedia ingentia nobili alias gaudio de propriae scientiae excellentia semiscent; cui sensus atque taedium ipsius imperfectionis scientiae, et multo maioris ignorantiae, accedit. Opes, scientiae et voluptatum sensualium adminicula, saepe deficiunt; morbi et contentionem studiorum interrumpunt, et voluptatis eorum frustrationem etc. Accedunt malorum hominum iniuriae, violentiae, odia, bella, infortunia etc. etc.; contra quae omnia mala vires nobis ad defendendum minime sufficere, ac proin inter qualiacunque modica bona et gaudia mala ingentia multoque maiorâ, in exigua valdeque impura felicitate ingentem nostram multoque maiorem infelicitatem, cum ingenti taedio, et inquietudine, intime persentiscimus.*

10.) *Sensu naturae nihilominus boni puri fruendi possibilitatem nobis semel suggerente (103.), a desiderio eiusdem, et studiosa conquisitione non quiescimus (94.); atque inprimis (nisi iam tum ex sensu naturae dictamine ad DEVM nos convertere cogitatione nostra coeperimus: quod haud dubie communiter iam post primum rationis diluculum fieri solet; non tamen sine variis et iteratis ad*

terrena

terrena diverticulis); imprimis, inquam, secundum mere naturalis ac gentilis Philosophiae dictamina ad moderandum utrumque appetitum, concupiscibilem et irascibilem convertimur, immoderationi iucundorum atque ac molestorum affectuum remedia allaturi: ex qua immoderatione tam de bonorum quaesitorum frustratione, quam de perpeffis malis, immodica taedia, et merito obiecti maiora, cum inutili infelicitatis et cruciatus nostri incremento, non sine magna imprudentia nostra oriri denique animadvertimus. *Alienae quoque hominum nobiscum viventium felicitati promovendae pro virili studere incipimus; tum ut ex eius augmento, vices illis nobis amoris benevolentiae reddentibus, nostra quoque felicitas crescat; tum ut ne ullo pacto homines alios irriteremus ad mala nostra, iracunda odii infectatione exaugenda. Philosophi Ethicam, Atheis quoque ipsis consentaneam aut scirbentes, aut etiam sectantes re ipsa, hunc prudentem propriae felicitatis amorem, ad moderandos affectus inordinatos, et ad amandum proximum post se ipsum, tum minuendae infelicitatis, tum utcunque augendae felicitatis propriae (tanquam finis ultimi) causa impellentem, virtutem moralem appellant; ceu qua voluntas perficiatur, ut ceterae hominis perfectioni, ex voluptate sensuum et scientia iam acquisitae, consentiendo et perfectionem et felicitatem, ceu plurium una bonorum consensu, auget. Ut adeo demum ex huc usque dictis omnibus summa quaedam, seu complexus, felicitatis humanae ex voluptatibus sensuum, ex scientiae perfectione, et virtutis moralis mere philosophicae coniunctione, nascatur.*

II.) *Verum quotidiana experientia satis hominum quemque edocet, etiam studio Philosophicae illius virtutis quamcunque perfectio immoderationem qui-*

quidem taediorum ex malis internis et externis concipiendorum, quantum licet, imminui, at nec mala ipsa vere talia idcirco tolli, nec sensum ipsorum ac taedii molestiam, quantitati ipsorum reali commensuratam, depelli omnino; ac proinde *hoc omni qualiumcunque bonorum complexu non nisi felicitatem ingenti infelicitati perpetuo et omni momento permixtam posse obtineri* (96.). Itaque vel nolens denique, vero clarius semper ex multa bonorum et malorum huius vitae meditatione illucescente, *communem naturae sensum sequi denique compulsus humanus appetitus, omnem mentis intuitum* (nisi iam prius factum sit) *nunc demum ad DEVM, ceu unicum purum bonum* (101.), *intuendum convertit, in eoque invenire quietem, quam nullo in creato bono reperire huc usque potuit, denique allaborare incipit* (92. 94.); ac proinde per dicta (87.) ab hoc momento *hoc ipso quiescere iam non poterit, donec in eius puri boni divini praesente fruitione acquiescat* (94.); aut certe ista inquisitio ultro cum vita hominis finitur; de quo inferius porro disseremus.

\* Ecce tibi ex ipsa vulgata etiam ethnicos inter homines experientia aperte relucentem originem praecipuarum opinionum de hominis vera beatitudine, quam quidem alii cum Aristippo in deliciis sensuum, alii cum Stoicis in virtute, alii cum Peripateticis in complexu ex utrisque constituebant. Recte nimirum sapiens Ecclesiasticus Cap. I. v. 14. testatur: *Vidi cuncta, quas sunt sub sole, et ecce! universa vanitas et afflictio spiritus.*

## 105.

*Non est possibilis quies, nec pura felicitas, nec vera beatitudo pro homine, nisi in aliqua, qualicumque stabili et secura fruitione DEI. Solus enim DEVS et in se purum ac absolutum bonum est, et esse tale cognoscitur* (101.); *creata vero omnia bona non*

non sunt pura bona (102.), et experientia ipsa, impura illa esse admodum, eorumque fruitionem pura felicitate carere, docemur (praec. n. 11.). Ergo per 94. extra DEVM nulla, in DEO autem solo, teste ipso sensu naturae (103.), pura felicitas, quies, et vera beatitudo possibilis est, si modo eius fruitio stabilis sit et secura.

\* Nondum plus demonstrari hoc quidem iam loco potest, e. g. an in hac vita, quo modo etc., ista beatitudo possibilis sit: ad ista per gradus deinceps progrediendum. Interim tota demonstratio huc usque deducta potissimum a posteriori est, *notionibus boni et mali, felicitatis purae, et beatitudinis*, et qualicunque *notione confusa DEI*, a priori suppositis. Superest, ut iam etiam a priori *ex distinctiore paullo DEI notione* non modo unius istius beatitudinis potestatem, verum etiam futuram aliquando realem existentiam ostendamus, quoad illa ex sola ratione etiam ostendi potest.

## ARTICVLVS II.

VERA HOMINIS BEATITUDO ET FINIS CREATIONIS  
ULTIMVS IN QVO CONSISTAT, DEMONSTRATVR  
A PRIORI, EX DEI NOTIONE.

106.

**S**ufficientissimus sibi ipse is dicitur, qui omnis perfectionis absolutae iuxta atque felicitatis sibi compossibilis maximae (98. IV.) rationem ultimam existentiae sufficientissimam ita in sua essentia ipsa continet, ut extra se re nulla prorsus indigeat, per quam illa ratio ultima sufficientissima primum compleatur.

107.

I. DEVS sibi ipse sufficientissimus est.

II. DEVS beatitudine absolute summa per se ipsum beatus est.

Stattler, Eth. christ. univers.

E

III. Res



*III. Res finitae omnes possibiles omni ratione boni respectivi relate ad DEVM carent, qua alicuius boni, alicuius novae felicitatis etc. ratio existentiae DEO esse possent.*

108.

*DEVS nullius rei finitae existentiam amore concupiscentiae velle, seu appetere, aut hoc appetitu ad creandum aliquid extra se impelli potuit. Qui enim amore concupiscentiae quid vult, aut ad aliquid volendum movetur, is rem talem velle debet, ut sibi respective bonam (74.). Atqui res nulla finita, ulla respectiva bonitate relate ad DEVM gaudet. Ergo etc.*

109.

*Praecise itaque DEVS puro benevolentiae amore ferri, et ad rei cuiuscunque finitae existentiam volendam moveri potuit, quo tum existentiam rei, ceu ipsimet, tum quo eandem ceu alteri rei finitae respectivo bonam, vellet. Sunt enim res finitae tum absolute in se bonae (22.), tum capaces accidentalis novae perfectionis, si existant (cit. IV.), tum etiam respectiva bonitate aliqua respectu sui invicem praeditae (23.). Ergo si eas DEVS creare voluit; cum ratione sui ex amore concupiscentiae creare, id est, earum existentiam efficaciter velle non potuerit, ex amore benevolentiae id velle debuit etc.*

110.

*Amor benevolentiae imperfectus est, quo quis vult alteri, ut eidem utcunque bene sit (95.); perfectus, quo eidem vult felicitatem veram (96.); perfectissimus, quo eidem vult beatitudinem maximam, cuius est capax.*

-III: Amor

## III.

*Amor benevolentiae perfectus in creaturas irracionales nec active cadit, nec passive, sed solum in racionales. Non enim illae, sed istae solummodo, felicitatis seu capiendae, seu alteri volendae capaces sunt, sicuti cognitionis distinctae (98. I.).*

## III 2.

*DEO amor benevolentiae perfectissimus, quantumcunque possibilis, tribuendus est. Est enim omnis bonitas respectiva simul pars bonitatis absolutae (21. II.); cum sit ratio sufficiens existentiae boni, quae non bonum esse non potest. Porro omne bonum in DEO purum a defectu omni maioris boni, in ea ratione DEO compossibilis esse debet; quia DEVS est bonum omnimodis infinitum.*

## III 3.

*I. DEVS si quid creare voluit extra se, racionales creaturas creare debuit: quia hae solae, uti verae felicitatis, ita amoris benevolentiae, capaces sunt.*

*II. Creaturas racionales, quas DEVS actu creavit, non nisi eo fine creavit, ut felicitatem et beatitudinem, quantae absolute capaces essent, et quoad penes ipsum staret, aliquando consequerentur. Nullo enim concupiscentiae, sed tantum benevolentiae, et quidem non nisi perfectissimae (praec.) amore DEVS ferri ad eas creandas potuit (108. 109). Ergo ex eius vi bonum eis accidentale omne, id est, omnem beatitudinem, quantae essent capaces, omnique efficacia, quoad penes ipsum staret, velle debuit etc. secus benevolentia eius quoad se infinita non foret, sed possibilis maioris gradus defectu laboraret.*

\* Superest modo tamen videre, an penes solum DEVM stet, ut actu omnes felices et beati aut iam nunc simus, aut aliquando simus futuri.

## 114.

*Nisi res creatae, rationis expertes, saltem mediis aliquis rationem haberent atque aptitudinem, qua rationalibus creaturis ad beatitudinem, seu finem, consequendam servire possent, DEVS eas creare omnino non potuisset.* Amore enim benevolentiae, nec erga ipsasmet, nec erga rationales creaturas directo, moveri ad eas creandas potuisset: ergo nec simpliciter eas creare (108.).

## 115.

*Res alias quascunque, rationis expertes, DEVS non nisi eo fine creavit, ut bonitate sua respectiva, mediis inftar, creaturis rationalibus servirent, ad maximam, quantae omnes et singulae capaces essent, beatitudinem consequendam.* Nec enim sine ullo motivo seu sine DEVS eas creare potuit (53. 66.), nec nisi ex motivo amoris benevolentiae erga creaturas rationales (\*108. 109.): cum ergo res omnes creatae aliqua aptitudine mediis inftar polleant ad felicitatem hominis utcunque promovendam (114. 2. 3.); praecise eo fine eas sine dubio creavit, ut creaturis rationalibus seu media ad hunc finem servirent, quantum aptae essent.

\* Videndum modo, quo pacto creaturae omnes saltem *mediis* inftar homini servire ad felicitatem puram ac beatitudinem possint; postquam toto Articulo praec. ostensum, istam ex earum *fruitione, finis* rationem habente, obtineri nullo pacto posse.

## 116.

*Omne bonum creatum, et omnis perfectio creata, essentialis, et accidentalis, non est, nisi participatio quae-*

quaedam finita similitudinis alicuius cum bono DEI infinito. DEVS enim, ceu bonum infinitum, continere in se omnis boni finiti, qua talis, rationem formalem debet, et istius sufficientem existentiae rationem ultimam, ceu creans omnia et conservans.

## 117.

\* *DEVS infinite ex se et per essentiam beatus est (107. II.) per cognitionem adaequatam et distinctissimum intuitum propriae perfectionis suae infinitae, huius magnitudini infinitae et toti cognoscibilitati commensuratum: nequaquam vero per intuitum cuiuscunque felicitatis possibilis creatae; quippe qui solum est attributum scientiae divinae. Nihil enim novi boni absoluti aut respectivi videt DEVS in creaturis, quod non iam videat in se ipso; etsi videndo se per essentiam, ceu intuitu, qui primus in DEO, ac proin ceu nota essentialis, concipi debet, non possit non videre ex vi infinita huius intuitus omnes posibles suae perfectionis participationes finitas in creaturis a se producendis. Porro intuitus boni infiniti, isque constans et absolute in DEO immutabilis, puram, veram, absolute perdurantem, eamque infinitam, voluptatem, id est, felicitatem, ac beatitudinem infinitam, conficit (96. 97.).*

## 118.

*I. Creaturae rationales non nisi similitudine et participatione quadam finita beatitudinis divinae absolute infinitae vere felices ac beatae esse possunt (116.).*

*II. Itaque nec vere beatae esse et ipsae possunt, nisi facili quodam, inimpedito, constanti, eoque, quoad eius capaces sunt, maxime distincto et completo divinae perfectionis intuitu, ceu vera puri et infiniti illius boni*

divini (101.) fruitione (45.). Affectiones enim istae omnes univérse ad beatitudinis verae rationem absolute requiruntur (97.).

*III. Res omnes creatae, rationis expertes, eatenus sunt medium creaturis rationalibus ad veram beatitudinem consequendam (115.); quatenus aptitudine gaudent eas ad disinctum illum DEI intuitum et divini boni fruitionem constantem promovendi.*

\* Et vero experimur etiam a posteriori, omnes illas nobis servire aliquo pacto ad hunc finem; quatenus ex mundo corporeo, et ideis sensualibus, eius impressione in organa sensuum, et horum in ipsam animam preceptis, concipimus ideam ipsius DEI, eam successive perficimus etc. Sed nihilominus verus modus, quo ad eum finem, verae beatitudinis nostrae rationem completam habentem, nos creaturae omnes promoveant, nondum isthic definiri atque explicari potest.

*IV. Ratio, cur in fruitione creaturarum nullam veram felicitatem puram, nec adeo beatitudinem, aut mentis quietem (secundum dicta 105.) invenire sit, est haec ipsa; quod non nisi ut media respectivam respectu nostri bonitatem habeant et aptitudinem, nos promovendi ad intuitum et fruitionem DEI, seu beatitudinem finalem in bono divino puro et absoluto inveniant.*

*V. Proinde in usu creaturarum, seu istiusmodi mediolorum, omni studio inquiri in hanc eorum aptitudinem et medii rationem oportet, ut recte et secundum veram talis medii rationem eis utendo, re ipsa ad veram beatitudinem, in DEI fruitione repositam, illarum ope promoveamur.*

\* Superest, ut porro inquiramus, an ista beatitudo, in DEI fruitione nobis reposita, habeat rationem finis omnino ultimi, tum respectu DEI nos creantis, tum respectu nostri; an vero eadem porro, seu medium,

dium, ad finem adhuc alium ulteriorem et a DEO dirigatur, et ad DEI exemplum a nobis sit dirigenda, e. g. an ad DEI gloriam.

## 119.

Iudicium certum, quo alii eximie bonum esse iudicant id, quod nobis inesse certo cognoscunt, *gloria nostra* dicitur. Unde *gloria DEI* est distincta et certa cognitio perfectionis excellentis divinae. *Gloriae ignominia* contrarie opponitur, estque certa et distincta cognitio de nostra imperfectione non vulgari.

*Gloriam alterius promovere* is dicitur, qui est ratio sufficiens, cur alterius eximiae perfectionis notitia certa et distincta in aliis crescat, seu *intensive* in uno eodemque, seu *extensive*, diffundendo eam eodem gradu in plures.

\* *Gloriam*, quae cupidinis obiectum est, non affectum *gloriationis*, hic definimus. Nec decet cum Ill. Wolfio definitionem istam etiam a bono aliorum iudicio *de nostris factis* repetere; quippe quod non nisi medium est ad iudicium bonum de nobis ipsis, eorum auctoribus, ac nostra perfectione intrinseca ferendum, in quo immediate gloria nostra consistit.

\*\* Porro ad rationem *gloriae* duplex illa certitudo, tum quod perfectio nobis insit, tum quod ea eximia et vera perfectio sit, plane requiritur: siquidem, quamdiu de alterutro dubium superest, tamdiu, et tantum, gloria nostra vacillat.

## 120.

I. *Beatitudo vera creaturae rationalis est ipsissima et formalis summa DEI gloria, quae oriri DEO ex creatione potest.* Est enim ipse formalis distinctissimus, certissimusque intuitus infinitae bonitatis et perfectionis divinae (118. II.).

II. *Res omnes creatae sub eadem ratione formalis nobis media sunt, ut DEI gloria in nobis exoriatur, sub qua media nobis sunt, ut vere ex DEI fruitione evadamus beati.*

III. *Non solum res creatae, rationis expertes, sed etiam ipsae creaturae rationales sibi invicem media sunt tum beatitudinis consequendae, tum promovendae in se ipsis gloriae DEI: siquidem omnes aptitudinem habent, uti notitiam certam de infinita DEI perfectione sibi invicem communicandi, sic DEI gloriam, et mutuum beatitudinem promovendi (118. III.).*

IV. *DEI gloria non, ut bonum aliquod DEI (extrinsecum nempe 72.), sed omnimodis, ut summum bonum ipsarum creaturarum rationalium, atque ut earundem formalis summa beatitudo, finis creationis absolute ultimus DEO fuit. Patet ex modo dictis, et ex notione finis ultimi (66.) tradita.*

V. *Attamen finis iste ultimus non est praecise beatitudo absolute maxima possibilis unius hominis, et DEI gloria in ea relucens; sed beatitudo summa totius generis humani, ut possibilis in universo nexu rerum in praesente mundo, et DEI gloria ex ea universe relucens. Perfectissimus enim amor benevolentiae bonum maximum possibile, quantum penes ipsum stat, intendit. Atqui hoc non consistit in privato unius, sed in universali omnium bono, et quidem, supposita semel huius mundi creatione, in bono maximo universali, quod vi nexus rerum in hoc mundo possibile a Deo praevisum fuit.*

\* *Qui gloriam DEI, seu bonum DEI, suspicientes pro fine ultimo creationis DEO supposuere; DEUM, ut ambitiosum non sine iniuria entis perfectissimi proposuerunt; iidemque admittere debuerunt, DEUM mala omnia in hoc mundo evenientia, ipsasque alterius vitae*

tae poenas aeternas, reprobis destinatas, gloriae maioris apud homines consequendae, ceu nescio cuius boni sui causa, unice ordinare, ut scilicet ex poenarum magnitudine DEI laesi Maiestas eo spectabilior illucesceret. Verum *imminuit talis idea*, ut parcissime contradicam, *imminuit amabilitatem, bonitatem, et perfectionem DEI: repugnat notioni entis ex se ipso abjunctissime perfecti et beati omnis ratio boni extrinseci, eo sensu, quod respective ad DEUM bonum sit: et licet officium sit naturale hominis, ac debitum absolutum, promovere in se et aliis DEI gloriam; attamen nec Deus intendit huius officii impositione, nec homo eius executione intendere debet aliquod cuiuscunque generis obsequium DEO utile: sed DEUS quidem intendit merissimam utilitatem ipsius hominis; hominis autem est complacere sibi absolute in DEO, ceu bono suo obiectivo absoluto et finali, post quod aliud iam non attendi mereatur. Denique Iustitiae divinae conceptus DEO quadrans, nisi mecum sentias, formari omnino non potest; imo nullus, nisi DEO summe indignus, locum potest habere, uti in Theol. Nat. §. 108. not. 3. demonstravi.*

**\*\* Qui dixerunt, gloriam extrinsecam DEO creandi finem ultimum fuisse excellentiae, non utilitatis, si ad distinctas notiones sensa sua revocent, aliud intelligere non voluere, quam non esse alium finem excellentiorem, quem DEUM deceat intendere, quam clarum sui intuitum et cognitionem in creaturas rationales diffundendam; attamen istum finem non intendere, ut sibi utilem, sed ut utilem solum ipsis creaturis rationalibus. Vnde et sequetur, DEUM cetera quoque omnia, et ipsa mala aeterna, non ordinasse, nec permisisse, nisi ut media quocunque modo necessaria ad hanc summam ipsarum rationalium creaturarum utilitatem promovendam: id quod suo loco infra uberius demonstrabitur.**

**\*\*\* Dixere alii, gloriam a DEO intendi non ut bonum quidem utile, sed ut bonum mere extrinsecum, excellentiae suae debitum. Resp. Si conceptus iste distinctus fiat, ac simul removeatur ab eo omnis imperfectio, non cadens in DEUM; aio, illum nihil a meo differre. Nam. 1.) bonum extrinsecum, nisi addas suum, respectu**



DEI aliud non sonat, quam bonum, a DEO adaequate et re distinctum, quale re ipsa est gloria DEI. 2.) Eadem est *horum DEO* a nobis *debitum*: siquidem eius promovendi obligationem nobis DEVS imponit, sed non ob ullum suum ex eo bono, vel ex ipsa obligatione, extitutum lucrum; sed unice, quia in ea ipsa DEI gloria formale bonum nostrum utile inest, et obligatio medium necessarium est, quo sufficienter urgeamur ad illud nobis acquirendum. *Denique* nota, res creatas omnes recte quidem dici *res DEI*, et respectu DEI quoque *res suas* esse, quatenus dominium absolutissimum seu ius habet de eis pro arbitrio disponendi: sed nondum idcirco recte vocari *bona DEI* in sensu (72.) definito; semper enim finis exercendi super eis domini DEO erit utilitas nostra, non sua.

\*\*\* *Quae porro obiici possent* contra assertum hic finem ultimum creationis, ut a DEO intentum, et quoad assertio ista componatur cum absolutissima puritate et infinitate perfectionum divinarum, ad ea *respondere* non huius est loci, neque instituti; sed ad Theologiam Naturalem pertinet, in qua l. c. in not. r. id abunde est factum; e. g. *quomodo* DEUS possit appetere aliquid extra se per modum finis, et ad eum finem media a se diversa ordinare; quin agat imperfecte: *quomodo* DEUS a se ipso moveatur, id est, a propria bonitate respectiva, non a ratione aliqua ultima motiva creata, ad creandum &c.: *quomodo* illud eveniat, ut, cum DEUS summa benevoli amoris efficacia nos omnes beatos velit, tam pauci tamen veram beatitatem attingant; aut unde sit, ut, stante ea DEI benevola voluntate, tot mala eveniant: an DEUS non possit aliter, quin omnipotentia praeiudicium patiat &c. &c. Quamquam posteriora isthaec omnia ex porro dicendis de nostra beatitudine in praesens futura ultro patebunt.

## 121.

*Finis absolute ultimus, in quo mens acquiescit plene, ac proin ipsa beatitudo formalis, non est DEI intuitus seu fruitio, cognita per modum boni nostri obiectivi intrinseci (72.), sed intuitus DEI, seu fruitio DEI*

**DEI, ut boni obiectivi absoluti.** Quodsi enim fruitio DEI, cognita per modum boni nostri intrinseci, esset beatitudo nostra formalis, non ipse DEI intuitus et fruitio, et gaudium ac quies in DEO, ut bono obiectivo, esset beatitudo nostra; sed fruitio et intuitus alicuius boni nostri accidentalis intrinseci, atque de eo gaudium ac quies, eam beatitudinem nostram formalem conficeret (97.); Atqui hoc est falsum et impossibile. Etenim primo gaudium ex tali bono nostro accidentali esset amor concupiscentiae (74.); ac proin non posset esse affectus primitivus (75.), sed necessario imperaretur ab amore complacentiae de bono aliquo meo, aliunde mihi intrinseco absoluto (77.); qui amor complacentiae, iunctus amori complacentiae ex ipsa fruitione DEI praesente, ceu bono meo accidentali concepto, esset primus et ultimus affectus circa tale bonum absolutum mihi intrinsecum (84.), in quo, ceu fine ultimo, proin mens primum acquiesceret (85.). Ergo inprimis fruitio Dei, ut cognita per modum boni nostri intrinseci, id est, fruitio fruitionis DEI, non se sola, sed non nisi una cum fruitione boni alicuius alterius absoluti mihi intrinseci (quod instar subiecti respectu istius fruitionis DEI, ceu accidentis, in me ipso conciperem) conficeret beatitudinem nostram formelem et finem ultimum. Deinde cum et haec fruitio DEI, tanquam bonum accidentale obiectivum, et eius subiectum, nimirum mentis substantia, ceu parziale bonum obiectivum huius existimatae beatitudinis formalis, finita sint et limitata, atque relata ad bonum obiectivum divinum, intuitu et fruitione DEI cognitum, necessario ut talia cognosceretur (maxime si DEI fruitio non esset respective summa, quantae scilicet mens per essentiam suam esset absolute capax)

capax), nec bonum istud obiectivum esset bonum purum, nec eius intuitus reflexus esset pura voluptas, sed taedio mixta; ac proin nec beatitudinem conficere formalem, ceu bonum formale purum, ullo pacto posset. *Denique* talis beatitudo non esset analoga beatitudinis divinae absolute summae; siquidem DEUS non amore concupiscentiae (83.), nec ex complacentia in aliquo *bono accidentali suo* (82.), sed unice per complacentiam ex intuitu suae perfectionis infinitae, ceu boni absoluti, beatus est (117.). Atqui creatura rationalis non nisi analoga beatitudine cum DEO, seu participatione similitudinis cum DEI beatitudine beata esse potest (118. I.). Ergo &c. &c.

\* Falsum ergo, a beato, qua tali, DEVM ordinari ceu medium ad se tanquam finem ultimum. DEVS ipse res creatas omnes ordinat ceu media ad cognitionem et amorem sui beatificum ceu finem ultimum formalem, non quidem ex aliquo utilitatis suae studio, sed ex bonitate respectiva unice ad utilitatem hominis: at hoc tam parum dedecet DEVM, quam, esse infinite etiam respectively bonum. Interim per hoc ipsum summa DEI dignitas et excellentia commendatur, quod nullum aliud bonum praeter ipsum sit, et appetatur, ceu *bonum absolute ultimum obiectivum*.

## 122.

*Finis ergo absolute ultimus creationis nostrae a DEO intentus, et ipsa vera essentia nostrae beatitudinis formalis est intuitus ac fructio DEI, ceu absoluti ac puri boni obiectivi, seu beatitudinis nostrae obiectivae* (97.). Habet enim omnia in se, quae beatitudinis et obiectivae et formalis rationem absolute conficiunt; ac simul est primum, quod in beatitudine concipitur, id est, et bonum obiectivum purum est, et formale, seu ipse intuitus, pura voluptas est (siquidem impossibile est, ut DEI, ceu puri boni abso-

absoluti, intuitus mali intuitus, seu taedio mixtus, esse possit); et denique est voluptas prima beatificans, in nulla alia priore habens rationem sui sufficientem. Ergo essentiam eamque totam beatitudinis formalis conficit; ac DEUS, ceu huius obiectum, est beatitudo obiectiva.

\* *Quaerunt 1.*), an beatitudo formalis consistat in sola visione seu intuitu DEI, an simul in amore. *Resp.* Cum intuitus DEI summe facilis, inimpeditus, constanter perdurans, non differat nec ab amore complacentiae, nec a gaudio de bono divino absoluto actu praesente (158. not.), recte dixeris cum Suario nostro, in utroque consistere, sed ceu unico actu; siquidem actu illo intellectus re ipsa praesente et necessitate quadam ultro continuo perdurante, cessat omnis appetitio, seu conatus ad eum continuandum, et oritur quies mera; per quam mutua actione, DEI ideam sui distinctam menti imprimendis, et ipsius mentis, in purum et ultimum suum bonum actu praesens necessitate nature ferri solitae, atque idcirco illam ideam continuo intuentis, mens DEO suo, quoad omnino possibile est, unitur (93.). Lege quoque de hac re, si lubet, Petavium L. VII. Cap. VIII. n. 5.

\*\*\* *Quaerunt 2.*), quid nomine ideae DEI in mente receptae intelligatur, cuius intuitu mens evadat formaliter beata. *Resp.* Intelligi necessario debere (si solum rationis lumen interim consulamus) vel ideam seu notionem abstractam, DEO singulariter dirigente, mentis ipsius industria et reflexione super perfectione creaturarum formatam (de qua tamen infra redibit peculiaris disquisitio, an sufficere aliqua eiusmodi idea, per naturae solius vires elaborata, ad beatum suo intuitu reddendum hominem possit); vel ideam distinctam satis, ac simul sat intensive claram, DEI ipsius aut spiritus alterius boni, DEO inferioris, actione transeunte nobis impressam. Infra (242. not. 4.) videbimus, *lumen gloriae*, quod, supposito dogmate fidei Christianae de visione DEI immediata, ceu nostra formali beatitudine supernaturali actu in hoc supernaturalis elevationis nostrae statu extitura, Theologi Catholici

tholici communiter afferunt, ceu medium istius visionis, ab eiusmodi idea, DEI ipsius immediata actione menti nostrae impressa, non distingui.

## 123.

*Intuitus reflexus, amor complacentiae, et gaudium de fruitione DEI, seu formali beatitudine, tanquam bono nostro accidentali, est attributum ipsius beatitudinis formalis.* Etsi enim essentiam ipsam constituere non possit (121. 122.); tamen ex intuitu DEI immediato, ceu bono obiectivo, tanquam ex ratione sufficiente per se oritur. Dum enim DEI bonitatem totam absolutam intuemur, etiam, quam bonus in se absolute sit, ex ipsa eius bonitate respectiva, qua nobis bonus esse appetitu innato vult (112.), intelligimus; siquidem ipsa bonitas, quae respectiva est respectu subiecti extranei, simul est bonitas absoluta respectu proprii subiecti sui (21. II.). Ergo ex DEI, ut simul respectiva boni, intuitu non potest non consequi intuitus eius effectus, quem DEI respectiva bonitas actu in nostra mente produxit, id est, ipsius fruitionis DEI, seu beatitudinis nostrae formalis, ceu boni nostri accidentalis: ac proinde ille intuitus reflexus ad directum divini boni intuitum se habet instar attributi.

• *Si quaeras, utrum non iste intuitus reflexus, eo quod per dicta in demonstratione (121.) taedio mixtus sit, maxime si fruitio DEI non est eo gradu perfecta, quem mens per se capere possit; utrum, inquam, non turbet felicitatis puritatem, ac proin ipsam beatitudinem: Resp. negando.* Ratio est, quod, etsi eam turbaret, si solus esset, aut in eo ceu fine ultimo quiesci deberet (quod ipsum impossibile est), non tamen turbat ullo pacto, ut compositus intuitui directo in bonum obiectivum divinum: siquidem in hoc obiecto intuebimur infinitam sapientiam, sanctitatem, bonitatem, et iustitiam, qua Deus tantam, nec magis perfectam beatitu-

itudinem singulis sit suae providentiae ordinatione impertitus, ita, ut minus tum ipse in se bonus esse debuisset, tum nos quoque minus in eo, ceu obiecto nostro beatifico, nobis complacere, quam nunc, deberemus, si aliter nobiscum egisset. Supplebitur itaque obiecti illius reflexi imperfectio et taedium, ex eius intuitu concipiendum, ex longe maiore perfectione bonitatis respectivae divinae, quam immediate ceu obiectum beatificum intuebimur.

\*\* Porro eadem est responsio, si quis opponat alios similes defectus boni creati, quos beatus, stante DEI intuitu ac visione, dari advertet seu in proprio subiecto, seu in alio, e. g. ob reprobationem et infelicitatem aliorum hominum sibi antea carorum, ob nondum factam resurrectionem et restitutam unionem corporis et animae.

## 124.

*I. Possessio beatitudinis actu praesentis in beato mere physica est, non moralis (46.): non enim stat cum libertate, sed necessarius est intuitus et amor puri boni (93.).*

*II. Beatitudo per essentiam perpetua esse, et cum scientia perpetuitatis coniungi in beato debet: secus enim per se defectui obnoxia esset, et non nisi per accidens, et ob ignorantiam forte, puram felicitatem beato afferret (98. III.). Nempe vel DEI intuitus coniunctus foret cum intuitu actualis defectus in bonitate respectiva DEI, eo quod DEUS aut nollet, aut non posset beatificum illum intuitum perpetuo conservare; vel de hac re omnino non cogitando, beatus praecise per accidens et ob futuri finis ignorantiam pura voluptate et taedii experte frueretur.*

\* Ista quidem citra ulteriorem disputationem evidentia per se ipsa sunt, et solummodo quaestio superest, infra examinanda: an DEUS perpetuo, id est, *vere* beatos nos facere actu velit, aut per se velle debeat; an possit; ac demum, quo id ipsum pacto possibile sit.

CAPUT

## CAPVT IV.

DE EXISTENTIA BEATITUDINIS, CEV FINIS VL-  
TIMI, QVOAD EX LVMINE RATIONIS NATVRA-  
LIS DE EA CONSTAT.

## ARTICVLVS I.

AN BEATITUDO IN PRAESENTIS VITAE STATV EXI-  
STERE, SEV CVM EO COMPONI QVEAT.

125.

**B**onum et malum accidentale (19.), si actu in-  
sit enti cuicumque, quin a libero arbitrio eius  
subiecti, cui inest, immediate dependeat, *bonum  
et malum physicum* dicitur; sin ab eo, qua tale, de-  
pendeat ceu ipsius immediatus effectus, *bonum et  
malum morale* appellatur.

Vtrumque *malum, physicum et morale*, dividi-  
tur in *mere negativum*, quod praecise negatio seu  
privatio est bono contradictorie opposita; et in  
*positivum*, seu contrarium bono praevie iam exi-  
stenti, vel extituro.

\* Sic omissio mera libera maioris conatus seu de-  
siderii ad cognoscendum completius ac distinctius di-  
vinum bonum, per se loquendo *malum morale mere  
negativum est*: ex adverso immoderatus amor rerum  
infimarum, ceu impedimentum contrarium iusti illius  
studii in DEO cognoscendo ponendi, ceu veri boni,  
*malum morale positivum est*.

\*\* Ceterum non aliam isthic quidem adhuc ratio-  
nem mali moralis attendere propositum est, nisi eam,  
quae actionibus nostris liberis ratione determinationum  
suarum intrinsecarum inest, et ratione cuius vi no-  
tionis mali accidentalis genericae (19.) in ratione mali  
cum imperfectione potius nostrae essentiae, quam in  
ratione

ratione boni cum perfectione eiusdem essentiae consentiant. Nondum vero ad malitiae rationem ullo pacto hic respicimus, quam ratione legis divinae praecipientis omissiones et actiones humanae moraliter liberae fortiuntur.

127.

Quoniam mundus iste est ens compositum, in quo tamen forma compositionis prima, ac proinde omnes reliquae compositiones, ex ea per mutationes continuas deinceps consecutae, et adhuc consecuturae, elementis sive substantiis simplicibus, illud componentibus, sunt mere contingentes et nullo pacto per eorum essentiam determinatae; idcirco 1) mutationes omnes et eventus in hoc mundo, ab actionibus hominum liberis distincti, nec per eas ad existentiam determinati, necessitate quidem physica per leges naturae eveniunt, quas DEVS in ipsa creatione, ordinando primam mundi eiusque partium compositionem, firmavit; 2) at tamen nulla earum absolute necessaria est, sed omnes mere absolute contingentes sunt, 3) atque etiam supernaturali DEI omnipotentis virtute per miraculum impediri et commutari cum aliis possent.

128.

Mens omnis hominis, in hoc mundo degentis, ex mutationibus, quas ipsa secundum leges naturae ex mutationibus, in hoc mundo per easdem leges naturae determinatis, in dies subire solet, molestias ac taedia innumera ac quotidiana, sensu intimo cuique contestata, percipere consuevit, tum ob animadversos defectus boni delectabilis, sive ex sensibilibus rebus externis, sive ex scientiis internis, quae nos deficiunt, exituri; tum ob animadversos defectus boni utilis, puta, bonorum fortunae et famae, quorum ope bona illa delectabilia comparari

Stattler Eth. christ. univers. F rari



rari possent; *tum ob innumera mala molesta* (34), uti sunt dolores, morbi, aliaque iniuriae tempestatum, quibus subiectum corpus est, et hoc mediante mens ipsa; item errores mentis; utriusque defatigationes etc.; *tum denique ob aequemulta noxia*, seu bonis famae et fortunae, seu bonis corporis, et sensuum; seu denique mentis ipsius bonis contraria, eaque destruentia, seu impediencia (43.).

Iam vero intuitus *nostri* defectus bonorum delectabilium aequae ac utilium in hoc mundo, qui nobis nullo pacto liber est, mali nostri physici negativi intuitus est (125. 126.), cum taedio nostro per se necessario coniunctus: intuitus vero etiam malorum positive *nobis* molestorum et noxiorum, ceu praesentia sua etiam veras nostras praesentes voluptates de bonis delectabilibus aequae ac utilibus aliis turbantium, malorum nostrorum physicorum positivorum intuitus est (125. 126.), cum taedio nostro necessario et a fortiori coniunctus. Et quoniam mala ista omnia, negativa et positiva, sensu externo aut intimo percipimus; eadem revera in mundo, eorum vero intuitum in mente nostra existere certum atque evidens est. Itaque *certum est atque evidens, in mundo actu plurima esse mala physica, tum mere negativa, tum positiva, atque mentes omnium hominum ex eis taedia plurima, et sane gravia, in dies percipere; quin liberare se ab eisdem, vel eorum sensu, sit in ipsorum aut libertate, aut physica potestate.*

129.

*Omnis omissio libera actionis, qua DEI distincta cognitio in nobis promoveretur, malum morale negativum; omnis vero libera actio, qua illius incre-*  
men-

*mentum aut impeditur, aut iam existens destruitur, malum morale positivum est. Patet ex 126. et ex eo, quod ipsa beatitudo nostra unice in DEI distincto intuitu consistat; et quod proin, quantum ab isto, tantundem ab summo bono nostro recedamus.*

## 130.

*Liberi sumus nos omnes homines in hac vita ad multas actiones et omissiones tum negative, tum positive malas, ac proinde ad malum morale negativum et positivum. Constat enim sensu intimo nobis, quod saepe libere omittamus studia et conatus, quos et adhibere possemus, et quibus plurima vera bona tum delectabilia, mentis nempe in DEI cognitione progressum, tum utilia ad eundem finem, nobis comparare possemus; ac proin quod ad malum morale negativum, seu ad boni omissiones, liberi sumus (praec.). Constat quoque, nos saepe immodico appetitu inordinato aut rebus infimis ac bonis mere apparentibus inhiare, quae veris bonis illis altioris ordinis, in quibus vera nostra felicitas et ad beatitudinem ipsam progressus certo consistit (118.), impedimento sunt, et mala molesta atque noxia post se trahunt; uti e. g. ex ingluvie nascuntur morbi, ex aliorum hominum laesione maligna inimicitiae et odia etc. nascuntur; quibus a DEI augenda in nobis aestimatione nimium quantum simul praepedimur.*

\* Quin opus sit alia moralitatis negativae et positivae principia et regulas iam isthuc praenosse; supposita sola intima experientia libertatis nostrae in id genus actionibus aut committendis, aut omittendis, sufficere ad physicam earum iuxta ac moralem malitiam, aut mere negativam, aut omnino positivam, discernendam, reflectere ad id solummodo, videlicet quo-

ties levi aliqua laboris molestia ad tempus libere suscepta ingentis boni possessionem, nempe divinarum perfectionum aut clariorem cognitionem, aut imitationem, consequi, et quoties, inani atque futili neglecta voluptate quadam, eiusdem boni impedimenta, id est, ingentia mala declinare possemus, si libertate ad id uti vellemus.

## 131.

*Necessitas moralis* est magna difficultas aliquid libere volendi, vel non volendi, orta ex magno excessu taedii in actione, vel omissione praevisi per motiva absterrentia, aut ex magno excessu praevisae voluptatis per motiva impellentia, salva tamen manente absoluta libertate ad volendum, vel non volendum, aut etiam nolendum.

\* Qui cum Ill. Wolfio per motiva fortiora determinari voluntatis arbitrium tenent, illis utique discrimen necessitatis moralis a physica necessitate quoad necessitatis rationem nullum superesse potest. At mihi hic supponere discrimen hoc licebit, salva absoluta libertate manente in compositione cum morali necessitate, non item cum physica: liquidem in Psychologia pridem demonstravi, non per motiva pugnancia, sed solum per consensum eorum, necessitate physica antecedente determinari voluntatem, sublata simul libertate.

## 132.

*Intima experientia teste in praesentis vitae decursu nos homines saepe necessitate morali ad malum morale tam mere negativum, quam positivum, urgemur.* Universe enim omnes experimur, ob confusas admodum et obscuras intensive nostras de vero bono delectabili et utili, praevisis quidem, sed adhuc absente, notionés, et ob ideas intensive admodum claras de bono infimo sensibili actu praesente, nos non nisi tenui ac obtuso sensu et praegustu

gustu verae voluptatis praevisae incitari ad verum bonum delectabile et utile, etiam huius solummodo vitae statui conveniens, nempe ad cognitionem et sensum intimum de divinarum perfectionum pulcritudine ex assidua earum imitatione consecrandum; vehementibus ex adverso stimulis ac praesente intensa voluptatis illecebra incitari ad indulgendum immodico amori infimi boni sensibilem delectationum, aut consecrationi bonorum ad istas consequendas utilium; item in priore illo vero bono conquirendo sentire magnas laborum difficultates, in istis multo maiorem facilitatem etc. etc.

## 133.

*Libertas ad malum morale negativum est verum malum physicum negativum.* Est enim defectus aliquis cognitionis distinctae de vero bono morali, eidem malo morali contradictorie opposito, sive de bonitate actionis, qua distincta DEI cognitio augetur; item est defectus facilitatis eius committendae ob nondum obtentum eius usum seu habitum.

## 134.

*Libertas ad malum morale positivum, et necessitas moralis ad istud committendum, sunt vera mala physica positiva.* Libertas enim pugnam appetitum positivam supponit, ex eo ortam, quod bona infima, quae sunt vera mala, per ideas deceptrices appareant bona, sicque alliciant appetitum sensitivum, ut ea optet praeferri etiam ab appetitu rationali veris bonis, per quae progressus daretur ad ipsam beatitudinem. Necessitas vero illa moralis insuper magnum excessum voluptatis, ex bonis illis mere apparentibus perceptae,

supra voluptatem, ex vero bono affulgentem, et vicissim magnum excessum praesentis taedii ex bono vero supra taedium ex illis veris malis, importat. Atqui haec positive impediunt veri boni electionem, per quam daretur ad beatitudinem progressus. Ergo (126.) etc.

## 135.

*Experimur in dies, committi et a nobis, et ab aliis contemporaneis nobis hominibus, plurima mala moralia negativa, et positiva: mala ista moralia utraque parere novos effectus plurimos physice malos, tum negative, tum positive tales (126.), seu ipsis mali moralis auctoribus, seu aliis hominibus, nobisque, summe noxios.*

\* Exempla sunt furta, rapinae, homicidia, odia, inimicitiae, laesiones in bonis fortunae et famae etc., bella denique, quibus gentes integrae per innumeras caedes et bonorum everisiones colliduntur, ultima ruina maxime innocentum inde saepe consequente.

## 136.

*Bono usu libertatis quidem mala moralia propriae ac personalia (tametsi non sine grandi labore) devitare possumus; at non impedire aliena, nec mala physica, tum mere naturalia, tum quae ceu effectus ex alienis malis moralibus in nos derivantur (praec.), subterfugere. Istud ipsum totum quantum tristi experientia cuilibet nostrum abunde est atque intime perspectum. Quis enim est, qui a morbis, a tempestatum iniuriis, ab infotuniis et casibus fortitutis fati se praemunire, aut ab hominum malitia defendere possit?*

## 137.

*Tempore solo, continuato licet semper bono libertatis usu, malorum physicorum, hominem quemvis in*  
huius

*huius vitae statu prementium, sensus leniri non potest, nec taedia illorum abstergi.* Continuato enim semper bono libertatis usu facilitas quaedam seu habitus quidem comparari potest, cuius ope homo in se ipso perficiendo per distinctiorem divinarum perfectionum cognitionem; et, quoad licebit, imitationem, semper cum minore difficultate progrediatur: verum tamen simul et sensus atque taedia ex malis physicis, tum mere naturalibus, tum aliena morali malitia obortis, nec ullo pacto declinandis, ipso temporis progressu necessario incrementa continua sumunt ex reproductis occasione malorum semper de novo succedentium a phantasia ideis taediorum praecedentium et antehac iam ingenti numero exantlatorum, tum vero etiam ex ipsa certa expectatione novorum futurorum malorum et praeterea exantlandorum; quae expectatio ipsa uniformi tam diuturna experientia praeterita magis identidem confirmatur.

138.

*Quam parum pura felicitas, tam quoque beatitudo nulla cum praesentis vitae statu, qualem omnes quotidie experimur, componi absolute potest.* Pura enim felicitas, quae, si per se talis sit, beatitudinem conficit (97.), statum perdurantis purae voluptatis, nulli taedio permixtae, importare debet. Atqui huius vitae praesens status, si illum omnes ex propria quotidiana experientia aestimemus, nec perdurantem ullam voluptatem habet, nec unquam diu taediorum experts est, nec esse potest: siquidem et mala physica, et aliena saltem moralia, si non nostrum ipsorum propria, eam turbant perpetuo (135.); quin tempus remedium afferre possit (praec.). Ergo etc. etc.

F 4

ARTI-

## ARTICVLVS II.

DE CERTITVDINE SECVTVRAE POST HANC PRAESENTEM  
ALTERIVS VITAE, ET EXITIVRAE IN EA AETERNAE  
BEATITVDINIS HVMANAE.

139.

**D**EVS sine creationis ultimo et adaequato sic frustrari omnino non potest, ut illum nullo pacto consequatur; id est, fieri non potest, ut nullae creaturae rationales beatitudinem veram reipsa unquam consequantur; cuius tamen unius causa, seu finis ultimi et adaequati, et ipsae, et res omnes ceterae, actu creatae a DEO sunt, et unice creari potuere (113. seq.). Si enim fieri id posset, vel ideo fieret, quod DEVS nullas earum vere beatas efficere vi suae facultatis seu potentiae posset, vel quod nollet, vel quod nullae ex eis essent illius per se capaces, vel, quod omnes aliquod eius impedimentum sua malitia morali et abusu libertatis ponerent. Atqui inprimis eius per se capaces sunt: cum beatitudo etiam summa non sit, nisi pura felicitas tanta, quanta, seu accidentis sibi compossibilis, essentia subiecti per se capax est (98. VI.). Potentia DEI infinita defectu virtutis laborare nequit in producendo effectu possibili, cuius subiectum capax existit. Voluntas DEI amore benevolo perfectissimo, ac proin, nisi impediatur aliunde, per se efficaci fertur ad hunc finem ultimum efficiendum, nempe beatitudinem creaturae rationalis (112.). Malitia denique moralis hominum nec tanta est in omnibus omnino, experientia teste (multos enim divinarum perfectionum studiosissimos imitatores fuisse, et esse, novimus, usque ad vitae finem), nec esse potest, ut effectus iste divinae benevolentiae, stante creatione iam facta, prorsus impediatur: si enim illa  
tanta

tanta esset re ipsa, creationem ipsam impedire debuisset, et efficere, ut, deficiente fine DEUS amore benevolentiae re ipsa moveri ad creandum mundum nequaquam potuisset. Ergo DEUS &c. &c.

## 140.

*Spēctato solo vitae praesentis statu, vix aliqui, vel certe paucissimi hominum sunt, qui non plus mali sustineant, quam percipiant boni; atque id maxime verum quoque est de ipsis primis divinarum perfectionum contemplatoribus et imitatoribus studiosis: vel certe plus boni quam mali vix quisquam percipit; multo minus summa bonorum maior est summa omnium malorum.*

## 141.

*Si post hanc vitam nulla superest alia vita melior et beata, DEUS necessitate ferri ad hunc mundum creandum non potuit. Solo enim amore benevolentiae moveri ad creandum simpliciter potuit (109.): atqui ad hunc mundum creandum amor benevolentiae necessitare DEUM non potuit, nisi alia melior et beata post hanc vita superfit; quippe qui amor, praevisis tot tantisque huius vitae malis, saltem illum tantundem abstertere a creando debuit.*

## 142.

*Impossibile est, ut DEUS infinite respective bonus malum quodcumque libere permittat, quod pro sua omnipotentia facile impedire potest: nisi ex eo, ceu medio per accidens necessario maius elicere bonum et possit, et actu certissime a se eliciendum praesciat. Pone enim, quod malum actu permittat in dicta hypothesis, ita, ut ex eo bonum aut non nisi aequale, aut omnino minus malo permisso, re ipsa absolute consequatur. Talis permissio DEI scienter et voluntate*



luntate facta in primo casu magis mala, quam bona, in altero saltem non magis bona, quam mala est; ac proin in ratione boni cum infinita DEI perfectione consentire, nec adeo Deo convenire ullo pacto potest.

## 143.

*DEUS neque plus mali ex fine maioris boni inde eruendi libere permittere potest, quam necessarium sit, ut bonum inde consequatur.* Permissio enim excessus ulterioris mali caret fine seu bono meliore, ac proin mere mala esset, et Deo infinite perfecto et bono non conveniens.

## 144.

*DEUS creare hunc mundum nequaquam potuisset, si post vitae praesentis statum nulla omnino vita melior, nec vera beatitudo, ulli hominum obveniret.* Quoniam enim in hoc mundo, quoad is praesentis praecise vitae humanae statu concluditur, saltem non plus boni quam mali perfecto hominibus universe se offerat percipiendum; vel certe hominibus vulgo non constet, sed potius contrarium plerisque certum videatur; et nihilominus mala saltem physica, ceu mere contingentia, nec absolute necessaria, a DEI infinita potentia impediri per miracula sane possent, vel certe alia compositione primitus mundo indita impediri potuissent: idcirco creando hunc mundum DEUS libere (141.) aut maiora vel saltem aequalia mala permisisset, quam sit bonum, quod inde eruitur in hac vita; aut mala plura et maiora, quam necesse erat, ut bonum, quod in hac vita consequimur, inde obtineretur. Atqui neutrum ex his Deo convenire potuit (142. 143.).

145. *Alia*

## 145.

*Alia quaedam post hanc praesentem vita evidenter sequi et existere alicubi debet, in qua beatitudo vera creaturis rationalibus saltem quibusdam evenire convenienter fini ultimo creationis debet.* Cum enim DEUS sine creationis ultimo plane frustrari non possit, qui finis est beatitudo creaturarum rationalium (139. 113.); nec creare mundum hunc omnino potuisset, si plus boni, quam praesens vita fert, ex creatione eisdem haud eveniret (144.), quae praesens vita beatitudinis nullius omnino capax est (138.): profecto, si alterius vitae post hanc alicubi prosequendae per se capaces hominum animi sunt, ea ut aliquando cum beatitudine aliquarum saltem creaturarum rationalium composita actu existat, necesse est. Atqui esse humanos animos vitae alterius post hanc prosequendae per se capaces, ex naturali ratione iam in Psychologia (225.) plane demonstratum est. Ergo &c.

## 146.

*Eadem beatitudo vitae alterius evidenter aeternum est duratura.* DEUS enim pro amore benevolentiae perfectissimo, semel coeptam sine terminare sine limitatione suae benevolentiae non poterit, quae non infinite perfecta esse non potest. Deinde ex eodem amore benevolentiae perfectissimo DEUS creando voluit sine dubio creaturas racionales, quoad per ipsum stabat, efficere vere et quam maxime beatas. Atqui sine securitate de perenni duratione eius vitae beatae, vere beatae omnino esse non possent (124. II.); et si etiam finem reipsa futurum aut ignorarent, aut ex quocunque casu de eo non cogitarent, non per se, sed per accidens tan-

tantum ad tempus, et hoc ipso nunquam vere beatæ futuræ essent (98. III.).

\* *Neque dicas*, posse DEVM pro supremo dominio indebitam beatitudinem æternam solo voluntatis suæ libero arbitrio finire. *Respondet* enim, id evidenter falsum esse idcirco, quod DEVS quoque nihil velle etiam libere sine motivo cum infinitudine perfectionis suæ consentiente possit, nec uti domino suo ad extra, nec potentia, nisi ex amore benevolo. Vide Theol. Natur. 235.

### ARTICVLVS III.

DE MEDIIS AETERNAM VITAE ALTERIUS SECVTURAE BEATITVDINEM, CEV FINEM VLTIMVM, CONSEQVENDI.

147.

*Præsens vitæ status, ut est ex bonis simul ac malis plurimis moralibus et physicis compositus, medium aliquod quocunque demum pacto necessarium esse ad futuram alterius secuturæ vitæ beatitudinem prævideri a DEO debuit; eoquod actu ille ante alterum istum beatum statum præordinatus a DEO fuerit.* Impossibile enim est, ut DEVS malum permittat, nisi cognitum a se ut medium aliquo pacto necessarium ad maius bonum, ceu finem, consequendum (142.). Atqui finis creandi hunc mundum fuit et esse potuit sola vera creaturarum rationalium beatitudo, non nisi in statu quodam alterius vitæ extitura (113. 138.), et ad hunc finem res ceteras creatas omnes universe ceu media ordinavit. Ergo etiam præsens vitæ status, tot relictus malis (128.), non potuit aliter præordinari, nisi quoad prævisus est a DEO esse medium quocunque demum pacto necessarium ad futuram alterius vitæ beatitudinem, ceu finem eius ope consequendum.

148. *Mala*

148.

*Mala physica, praesentis vitae status propria, absolute nequeunt esse media seu causae per se beatitudinis quocumque demum pacto in futura vita secuturae.* Causa enim per se est, quae per propriam aliquam sibi stabiliter insitam, seu substantialem facultatem est ratio sufficiens talis effectus. Atqui mala physica, ceu in defectibus metaphysice malis fundata (19.), nequeunt per se ipsa esse ratio sufficiens beatitudinis, quae, ceu purum bonum (97.), in meris realitatibus consistit, seu agatur de obiectiva, seu de formali: cum utique non ens entis existentiae ratio per se esse non possit.

149.

*Mala moralia, in hac vita ab hominibus liberis admitti solita, neque parum possunt esse media seu causae per se beatitudinis alteri vitae reservatae.* Non enim in ratione obiectiva differunt a malis physicis, nisi quod causam efficientem liberam habeant; ac proin perinde in defectibus seu malis metaphysicis fundantur.

150.

*Uusus rei activus* est actio determinans facultatem rei incompletam ad hoc, ut fiat immediata completa causa alicuius effectus: qui effectus si bonus est, *usus bonus*; si malus, *usus malus rei*, seu *abusus*, dicitur. Effectus ipse, ex tali usu activo consecutus, *usus rei passivus*; *res ipsa demum utilis*, appellatur. Ex quo intelliges ultro, *utilitatem rei* esse ipsam facultatem eius incompletam per se, compleri tamen capacem, ad causandum aliquem effectum. Interim nomenclatio haec vulgo

vulgo bono usui potius quam malo tribuitur, et si in sensu philosophico quadret utrique.

\* Res, quae usui est, vulgo *caussa* solum *instrumentalis*; qui vero ea utitur, *principalis causa* effectus est. Hinc obvia sunt exempla usus in instrumentis aequè omnibus, e. g. cultro, scalpro, calamo, penicillo etc. et in materiis, ex quibus aliquid fit, puta, ligno, limo etc., quibus utuntur statuarius, figulus etc. ad formandam statuam, vas etc. etc.

## 151.

*Facultas activa re aliqua utendi, bene, vel male,* est facultas determinandi pro arbitrio libero facultatem rei incompletam, de se aptam compleri tam ad bonum, quam ad malum effectum causandum.

\* Gladius e. g. instrumentum est habens aptitudinem ad usum bonum et malum, ad sui defensionem iustam, et ad iniustam aggressionem alterius; estque in libero arbitrio hominis eo utendi ad unum et alterum effectum.

## 152.

*I. Libertas completa est facultas bene et male utendi propria voluntate.*

*II. Competit per se homini libera facultas activa completa bene vel male utendi corpore proprio, et hoc mediante etiam toto munda, rebusque creatis omnibus, seu ad felicitatem suam et aliorum promovendam, seu non promovendam, seu omnino impediendam.* Competit enim menti humanae vis libera movendi corpus proprium et eius membra omnia (Psychol. 875.), huiusque vis motricis liberae adminiculo competit ei imperium indirectum in sensus externos eorumque organa (Log. 51.); vi cuius actiones corporum quorumcunque extraneorum, ex quibus mundus ipse componitur, in organa

gana sensoria, hisque iuxta ac cerebro mediantibus in ipsam mentem (Psychol. 42. seqq.) excipere, devitare, determinare varie, et mutare potest, tum vero etiam ex receptis inde ideis sensualibus notiones factitias, abstractas, simplices, et varie compositas (112. Log. 81. Psychol.) de Deo, de bono et malo (113. Log. 220. seqq. Psychol.) formare, indeque usu libero attentionis aut bonum morale, aut malum morale volendo et nolendo perficere (135. et 301. seqq. Psych.) sibi, aut aliis, utile, vel noxium (§. cit. hic). Iam vero bonum et malum morale, ceu menti intrinsecum, et in voluntatis determinatione consistens, ad bonum et malum intrinsecum, ac proin ad eius perfectionem vel imperfectionem absolutam pertinet (29.), atque adeo ad obiectum voluptatis vel taedii de se ipsa, id est, ad propriam felicitatem, vel infelicitatem. Quoniam itaque mens ad illud bonum, vel malum morale, ceu ad effectum in se ipso producendum, actione sua libera mundi corporei aequae ac proprii corporis (ceu caussarum remotarum primas boni et mali ideas in mente producentium per 42. seq. Psychol.) facultatem caussandi de se incompletam pro arbitrio determinat; idcirco competit eidem hoc ipso facultas activa eaque libera, utendi ad propriam felicitatem et aliorum promovendam seu non promovendam, seu omnino impediendam tum corpore proprio, tum hoc mediante rebus ceteris creatis omnibus mundum istum componentibus.

\* Dixi, *per se* hanc competere homini facultatem, si nempe rationis et membrorum usum naturalium habeat; quo quidem *per accidens* aliqui carere solent. Ceterum oportuit ad huius demonstrationis absolutionem, ne iusto amplior eius circuitus fieret, saepius remittere ad Philosophiam: sed rem intelligens facile necessitatem advertet; quae excusat omnia.

153.

*Medium physice sufficiens respectu finis cuiusque* voco, quod cum necessitate physica per realem existentiam suam est causa physica completa finis, tanquam sui effectus (264. Ont.). *Medium sufficiens morale respectu finis* cuiusque appello, quod bonitate sua cognita est istius causa moralis sufficiens, id est, sufficienter movens causam finis efficientem intellectu praeditam ad eundem finem reipsa efficiendum, salva semper istius libertate.

154.

*Mundus totus corporeus, ipsumque corpus proprium cuiusque hominis, non nisi causae instrumentales sunt, aequae boni ac mali usus capaces, respectu felicitatis humanae, tanquam finis, consequendae, ac proinde non nisi media physica insufficientia (praec.):* 2.) *ipsa vero facultas libera mundo utendi bene, vel male, competens homini (152. II.), est causa principalis istius felicitatis, seu purae seu impurae, per haec media physica efficiendae, tanquam finis.* Sunt enim illa boni et mali usus in ordine ad hunc finem per modum causae physicae (id est, per realem suam existentiam et actionem physicam in corpus et animam nostram) promovendum capacia, nec nisi a libera facultate activa mentis ad unum potius quam alterum effectum determinantur (152. II.). Vide 260. Ont., si lubet.

\* Dixi, *felicitatis purae, vel impurae*, ob mox dicenda.

155.

*Mundus hic totus corporeus sensibilis, et ipsa libera facultas eo bene utendi ad nostram promovendam qualemcumque felicitatem, non sunt media physice*

*Ipse sufficientia se solis ad consequendum finem creationis, id est, ad veram beatitatem, etiam in alterius cuiuscunque futurae vitae statu.* Neque enim vel mundus totus ipse corporeus secundum se per vires omnes suas naturales sufficit malis physicis tollendis; quippe quae per ipsas leges naturae necessitate physica, id est, tali determinantur, ut, nisi DEI virtute supernaturali per miraculum interveniente, impediri nequeant (127. n. 1.): neque libertatis humanae usus quamcunque bonus, seu de corpore proprio, seu de mundo corporeo factus (152. II.), etsi malum morale tollere absolute queat ex proprio subiecto, idem per se tollit ex omnibus aliis hominibus contemporaneis (136.); et tametsi ex omnibus tolleretur malum morale, tamen leges naturae mutare, ac proinde mala physica, huic mundo naturalia, nec nisi DEI miraculis tollenda, auferre, aut ab eisdem praeservare hominem potest; quae cum pura felicitate, atque adeo etiam cum beatitate vera, absolute componi nullo pacto possunt. Itaque mundus hic totus &c. &c.

156.

*Mundus idem totus corporeus, una cum libera facultate eo bene utendi, neque est medium necessarium in ratione medii seu causae physicae ad efficiendam hominis beatitudinem in altera quacunque secutura vita.* Quatenus enim malis essentialibus vi limitationis suae in ratione entis finiti, et malis physicis naturalibus, constat; eatenus nec potest esse causa efficiens boni simpliciter, multo minus puri boni, seu beatitudinis (148.): quatenus vero etiam ex parte bono metaphysico essentiali et physico accidentali constat more omnis boni finiti (22.); quidquid hac sua realitate, virtute, facultate, et aptitudine potest mundus corporeus efficere in

*Stattler Eth. christ. univers. G mente*



mente hominis, ceu beatitudinis subiecto, id omne sine dubio suppleri ex toto potest vel DEI ipsius (omnia bona et boni rationes sufficientes omnes eminente ratione in sua infinitudine complectentis) immediata actione, vel actione mundi cuiusdam alterius ab isto, in quo mala physica vel ipsius compositionis eidem naturalis virtute, vel per DEI miracula, constanter tollerentur; et in quorum duorum statuum alterutro, vel certe aliquo ex ambobus mixto, DEUS evidenter beatos in futura vita constituturus est (145.). Ergo &c. &c.

## 157.

*Pretium rei, vel actionis* alicuius, *physicum intrinsecum* est eius propria bonitas seu perfectio absoluta, vel respectiva, ratione cuius, ut aliunde existentis, apta est se cognoscenti ipsa sui cognitione afferre voluptatem seu in ratione boni delectabilis, seu utilis. *Pretium extrinsecum* vocatur, non, quod res in se habet, sed quod opinione hominum habere existimatur. Quod in rebus et actionibus pretium, idem in personis intellectu praeditis, *personae dignitas physica*, seu *meritum personae physicum* appellatur.

\* Vindicavi exactitudinem harum notionum in Theologia Naturali (712.) in scholiis, neque ibi dicta repetere hic opus existimo.

## 158.

*Pretium* seu *meritum morale* est bonitas moralis seu libera actionum vel omissionum, seu absoluta, seu respectiva (praec.), ab hac persona tanquam a causa per se et libera existens, ratione cuius istae aptae sunt ad ciendum amorem complacentiae. *Demeritum morale*, seu *meritum malum morale*, est mali-

malitia moralis, negativa, vel positiva, earundem actionum vel omissionum, odium displicentiae ciere apta &c.

\* Dixi, personam debere esse actionis *causam per se*, id est (263. Ont.) talis, quae bonitatem actionis vel omissionis intendat, ab eaque velut a motivo morali, aut finali, moveatur ad agendum: secus bonitas actionis se respectu agentis habebit per modum effectus per accidens, et aliunde connexi cum actione, cuius persona auctor liber non est. Vide etiam, si lubet, notionem *causae per se*, et *causae per accidens*, item notionem *auctoris* Theol. Natur. 432. not. 483.

159.

*I. Meritum morale et pretium actionis physicum, et libertatem simul involvit.*

*II. Meritum personae adaequatum ex merito tam personae physico, quam ex pretio physico actionum eius, et ex harum libertate componitur.* Consistit enim in vi movendi seu ciendi affectum amoris complacentiae, quae est bonitas personae atque actionis, et libertas, cognitae ab altero.

*Meritum utrumque, physicum, et morale, secundum rationem movendi ad amorem complacentiae, ceu effectum suum, habet rationem causae moralis; cuius nempe aptitudo causandi consistit in propria aliqua bonitate, cognita ut existente aliunde, id est, independenter ab illo amore complacentiae, ceu suo effectu. Vide, si lubet, de causa morali Ont. 265.*

160.

*Medium sufficiens morale respectu beatitudinis alterius vitae, ceu finis, consequendae non potest esse dignitas physica hominum, ita, ut ea sola, ceu causa morali sufficiente, DEUS moveatur ad tribuendam illis*

G 2

omni-

*omnibus in altera quadam futura vita beatitudinem.* Neque enim tale medium esse potest ipsa dignitas physica hominis iam beati, futura in ipso statu beato vitae alterius; haec enim, ceu non aliunde existens, potius est causa finalis, et verus effectus illius amoris complacentiae, quo DEUS sibi in eo, tanquam fine mere adhuc possibili, complacet: et exinde ad benevolentiae amorem movetur, quo finem istum in utilitatem hominis actu creando incipit efficaci virtute promovere. Neque tale medium morale sufficiens est dignitas physica hominis nondum beati, sed existentis adhuc in praesente vita mortali: quia neque ista, quatenus est mere physica (id est, per leges naturae et ultimo per DEI ipsius actionem creantem, legesque naturae determinantem, ad existendum determinata), potest DEUM movere ut aliunde existens, ac proin nullo pacto per modum causae moralis (praec. III.), sed solum per modum finis immediati (66.) seu medii necessarii, aliquo pacto praevisi ut talis, ad ipsam beatitudinem ceu finem ultimum. Unde dignitas ista mere physica hominum, sicut et pretium mere physicum actionum non liberarum intendi quidem a DEO poterat, ceu medium physicum ad beatitudinem tanquam finem ultimum, ac proin ceu finis proximus (67. I.); quatenus illam a priori naturae ad ipsam efficiendam esse necessariam praevidebat: sed nequaquam ab ea, ut actu existente, moveri potuit tanquam a causa morali ad amorem complacentiae talem, qui esset primus affectus efficaciter imperans amorem benevolentiae, quo beatitudinem actu homini tam digno impertiretur. Ergo &c. &c.

## 161.

*Nullum ergo aliud medium sufficiens in hac vita respectu beatitudinis in vita altera consequendae, ceu finis ultimi, superest hominibus, nisi meritum morale, actionibus eorum liberis intrinsecum (158.).* Nullum enim aliud causalis virtutis genus superest, nisi causae physicae, vel intentionalis (264. Ont.). Porro ex causis intentionalibus occasionalis et idealis locum habere non possunt, ut patet; finalis est beatitudo ipsa. Ex adverso meritum morale per se rationem medii seu causae moralis habet; ceu habens bonitatem aliunde existentem, quam a solo DEO, videlicet a libertate humana ceu ratione ultima saltem partiali, et causa per se (158.). Ergo &c. &c.

## 162.

*Bonum idem quodcunque subiecto rationali maiori gloriae et voluptati est, si eius causa per se (nec mere per accidens) et ratio ultima saltem partialis sit ipsum subiectum illius compos; quam si eius boni ratio ultima omnis et causa per se sit ens distinctum.* Iudicium enim certum ita locum habet non solum de inuito ipsi bono simpliciter, sed tale, quod id subiectum simul cognoscatur esse auctor eius boni sui, ac proinde proxime accedere ad similitudinem DEI ceu entis a se per essentiam, qui per se ipsum omnis infinitae beatitudinis suae ratio sibi sufficientissima est. Ergo tale iudicium in aliis maiorem gloriam, in ipso subiecto eius boni maiorem voluptatem conficit (119. 33.)

## 163.

*Praemium est bonum physicum, ab eo, qui de hoc libere et salva morali rectitudine disponere potest,*

potest, in alterum collatum ob istius meritum morale. *Poena* est malum physicum, alicui ob eius demeritum morale positivum ab alio cum rectitudine morali inflictum.

164.

*Beatitudo quandoque homini obventura longe maior respectu istius erit, si hic ipse fuerit sibi eiusdem auctor, et merito quodam morali illius causa per se, ceu fructus intenti et propria industria parti per modum praemii; quam si eadem a solo DEO sine ullo morali praecedente merito, non per modum praemii, sed doni mere liberalis, et mere per accidens obveniret. Erit enim exinde uti maior gloria, sic et voluptas maior (praec.).*

165.

*I. DEUS pro fine ultimo creationis virtute amoris sui infinite benevoli constituit beatitudinem, non quidem praecise unius hominis respectu, sed respectu universorum simul maximam, quantam ex nexu omnium libertate utentium per bona merita moralia per modum praemii promerendam, et ab ipsis hominibus, tanquam eius auctoribus et causis per se et destinato consilio ad eam consequendum nitentibus, determinandam ab aeterno infinita sua omniscientia praeviderat. DEUS enim infinite benevolus ex se maximum bonum vult, nisi impediatur aliunde: ex altera parte maius bonum est beatitudo proprio Marte et merito morali parata, quam mere liberaliter donata (praec.), eaque non praecise, quae talis est respectu unius vel alterius maxima possibilis, sed quae maxima possibilis praevidetur ex nexu omnium libertatum.*

*II. Ad finem ultimum talis beatitudinis, quae modo Cor. I. descripta est, merita moralia, ex intentione eius*

*eius consequendae posita, sunt medium morale tum absolute necessarium, tum saltem eatenus ad consequendum actus istum finem sufficiens; quatenus flante infinita DEI benevolentia et omnipotentia, cetera supplente, opus est. Necessitas ex ipsa notione meriti moralis, et beatitudinis proprio merito partae patet, cuius quis ipse sit auctor (158. 163.). Sufficiencia vero ex eo colligitur, quod non sit opus, ut meritum morale suae magnitudinis gradu et sufficientia moralis rationis adaequet bonum beatitudinis tanquam rationati, quae praemii loco danda est; eo quod id non sit ratio istius adaequata, sed solum partialis, cuius defectum abunde supplebit et potentia et benevolentia DEI infinita etc.*

\* Tantum praecise, nec amplius quid, ex solo rationis lumine de merito morali humano in ordine ad beatitudinis praemium affirmari potest. Cetera, quae de merito condigno, de praemii supernaturalitate etc. Theologia Christiana docet, omnia ad fidei dogmata et statum hominis supernaturalem pertinent. Vide, si lubet, in Theol. Nat. 726. seq.

*III. Merita moralia ad hoc apta, ut per ea homo sit beatitudinis suae futurae ipse auctor et causa per se, non sunt nisi actiones (vel omissiones) liberae, ex intentione beatitudinis tanquam finis posita ob ipsam suam bonitatem seu aptitudinem ad promovendum istum finem, ceu ob causam moralem. Secus enim per eas homo non esset finis istius sibi auctor, sed solum causa per accidens, si vel non sciret, haec esse media, vel non finis eius causa et ob suum cum eo aptitudinis nexum eas susciperet.]*

166.

Actiones (vel omissiones) liberae, ratione bonitatis suae aptas ad promovendam beatitudinem,

G 4

et

et simul cum huius bonitatis praevisione, et ex intentione huius finis positas, deinceps *merita moralia theologica* idcirco vocabimus; quia ad beatitudinem, id est, summam cum DEO similitudinem promovendi homines vi morali pollent; qua DEI amorem complacentiae cient.

167.

*Experientia certissima, interna, et externa, cuiusque constat, 1) in mundo praesente passim ex malis physicis, bono usu libertatis circa eadem, multa bona seu merita moralia etiam theologica (praec.) evenire, atque vicissim ex libertatis abusu circa eadem multa evenire mala, seu demerita moralia.*

168.

2.) *Experientia simili constat, ex adverso ex bonis physicis, item nunc bono, nunc malo usu libertatis, modo bona, modo mala moralia in diversis hominibus, ac saepe etiam in eodem diversis temporibus, tanquam ex causis occasionibus, vel tanquam ex causis per accidens (266. 263. Ontol.), in praesentis vitae decursu evenire. Tametsi enim nec malum boni, nec bonum mali causa per se esse possit; tamen posita semel hominis libertate, iste et bene et male uti rebus creatis quibusque potest, et ex malo occasionem boni moralis libertate bene utendo, et ex bono occasionem mali moralis abutendo libertate, sumere potest; quo utroque casu malum fit causa per accidens boni, et bonum mali.*

169.

3.) *Eadem experientia docet, etiam ex ipsis malis moralibus, sive propriis, sive alienis, pro diverso usu libertatis consequente ex eis, nunc bonum morale, nunc morale malum, seu proprium, seu alienum, itidem tanquam*

*quam ex causis seu moralibus, seu occasionalibus, aut certe ceu ex causis per accidens, passim in praesentis vitae decursu consequi.*

\* Triplicis huius experientiae exempla, licet per se nota et obvia sint, tamen speciatim afferre ob usum eximium mox faciendum iuvat. Quis neget, morbos corporis mala physica esse; contra sanitatem bonum physicum? Tamen constat, morbis iuxta atque sanitate homines alios ad morale bonum (e. g. illis ad conformandam suam cum DEI voluntate, hac ad exercendas alias virtutes); alios ad malum morale (e. g. ad DEVM execrandum, aut persequendum proximum) abuti. Idem de frugum, de divitiarum, de honorum affluentia, ac defectu, ex aequo valet. Quis ignorat, malum morale, quod cum iniuriis connexum est, queis probos improbi in hac vita perpetuo infectantur, nunc illorum patientiae et fortitudinis ex divinae providentiae omnia regentis amore exercendae occasione fervire, nunc vero imbecilliores animos a virtutis constantia abstertere etc.?

## 170.

*Tam bona, quam mala physica, imo ipsa mala moralia quaecunque in tota serie eventuum praesentis vitae in hoc mundo ita innectuntur bonis meritisque moralibus universis, quae inde eveniunt, et in eadem universa serie omnium mundi et huius vitae eventuum contingunt, ut bona seu merita moralia haec eadem, quae modo eveniunt, non existentibus malis, seu physicis, seu moralibus, omnino eisdem, nequaquam evenirent. Sunt enim mala ista utraque, aequae ac bona, causae per accidens, vel occasionales, ac saepe morales, plurimorum bonorum seu merituum moralium (167. et seqq.). Ergo, iis sublatis, bona eadem moralia, ceu ratione possibilitatis sublata, non evenirent. Porro quorum unius existentia tolli nequit, nisi sublata etiam existen-*



tia alterius, ea inter se nectuntur (195. Ontol.).  
Ergo etc. etc.

171.

I. Omnia itaque tam bona, quam mala physica, atque ipsa etiam mala moralia, quae in huius totius vitae decursu eveniunt, sunt media per accidens necessaria et immediata ad hoc, ut bona meritaque moralia, per quae beatitudinem ipsam, ceu verum finem ultimum, consequi ex DEI intentione debemus, evenire actu possint.

II. Ipsa libertas utendi bene vel male rebus omnibus creatis cum merito vel demerito morali medium necessarium et ratio possibilitatis est ad hoc, ut meritum morale, et beatitudo, praemii rationem habens, sint possibilis.

172.

III. Finis proximus, cur DEVS mala quaeque, physica, et moralia, evenire in hoc mundo permiserit, imò cur totum praesentis vitae statum felici illi alterius secuturo statui beatitudinis praemitti voluerit, fuere merita moralia hominum, ad quae illa mala omnia universe esse media per accidens necessaria, pro scientiae suae infinitudine praevideat (170. 171.); et quae ipsa merita moralia in altero illo felicitatis vitae statu, ob sublatam in puri divini boni claro intuitu libertatem (124. I.), porro possibilis non forent, ac proinde necesse habuere, ut praesens vitae status illorum colligendorum causa praemitteretur.

173.

IV. Merita ipsa moralia sunt quidem etiam finis, qui in istius vitae statu ultimus est efficiendus, sed simul sunt immediata media moraliter sufficientia ex parte hominum ad finem absolute ultimum, qui est vera beatitudo per modum praemii consequenda in vita futura; quatenus istius existentia ab ipsis hominibus dependet.

Dixi,

\* Dixi, esse sufficientia moralia, quatenus beatitudinis existentia pro futura vita ab ipsis hominibus dependet: quia sine dubio merita hominum moralia beatitudinis existentiam per se sola, etiam ut causa moralis, non determinarent, nisi DEVS ipse infinite ex natura sua benevolus esset, et ad istud praemium retribuendum promptissimus, nec tam spectaret meriti sufficientem ad hoc dignitatem, quam quid deceat se ipsum.

\*\* Interim utique amplius quid de dignitate meritum nostrorum moralium dogma Christianum docet in statu supernaturali, ad quem elevati in praesens sumus; videlicet eam esse dignitatem hominis probi in DEI amicitia constituti, ut eius merita moralia ex ea dignitate, simul et ex influxu gratiae supernaturalis, per Christum DEI Filium nobis promeritae et applicatae, eum boni moralis gradum attingant, ut veram meriti rationem, ac, quod inde consequens est, dignitatis moralis aequalitatem quamdam respectu praemii futuri, atque consequendae reipsa beatitudinis, contineant.

## 174.

*Evidens est, quod DEVS universis in hac vita constanter ad mortem usque libertate, quam possunt optime, utentibus ob merita moralia collecta beatitudinem, quantae maximae singuli capaces sunt, per modum praemii in altera secutura vita reipsa sit collaturus. Evidens enim est, ex parte DEI nihil seu efficaciae potestatis physicae, seu voluntatis deesse posse ad beatitudinem maximam possibilem, per modum praemii (quippe quae sola maxima possibilis est 164.) cuivis homini retribuendam, si modo ex parte hominis seu creaturae rationalis nullus defectus sit in capacitate ad eam beatitudinem per modum praemii recipiendam; siquidem DEI amor benevolus de se est infinite perfectus (112.). Atqui nihil deest ex parte hominis illius cuiuscunque, qui semper constanterque in omni vita optime*

me usus est libertate: cum enim aliud medium in ipsius potestate non sit, quam solum modium moraliter sufficiens, videlicet merita moralia; quae vero ad bona et mala mere physica pertinent, per leges naturae aut libertatem alienam determinantur; si optime semper utendo libertate tantum meritorum moralium collegit, quantum in ipsius erat libera facultate: tunc nec ex parte ipsius deest aliquid de ratione sufficiente (moralis videlicet, quae merito morali propria est), per quam DEVS ad summam per modum praemii retribuendam beatitudinem moveri debeat, et possit. Ergo evidens est etc. etc.

## 175.

Ratio sufficiens physica et causa efficiens futurae beatitudinis in viribus naturae huius mundi praesentis evidenter non inest per 138.: ac proinde *DEVS per vias alias, ab huius mundi natura diversas, in vitae alterius quocunque statu futuro beatitudinem nostram certissime efficiet.*

## 176.

*I. Sicut nulla erat DEO necessitas creandi, ita nec fuit necessitas absoluta perducendi ullam creaturam rationalem ad beatitudinem.*

*II. Posita creatione DEVS quidem ex hypothesi necessitate tenetur ad beatitudinem, moralibus meritis hominum libertate ad mortem usque bene utentium per modum praemii tribuendam: sed haec necessitas non ab extra ei advenit, nec ex ipsis meritis humanis oritur, sed ex solo infinito benevolò DEI amore.*

*III. Nullum itaque debitum DEO oritur, sed mera gratuita DEI benevolentia est, tum quod ad beatitudinem creaturas rationales creando destinet, tum quod bene utentes libertate reipsa perducatur. Debitum*

tum enim est necessitas ab alio imposita: atqui DEO necessitas nulla ad hoc imponitur ab alio, nec a meritis creaturae rationalis; sed unice is a propria bonitate respectiva, infinite creaturis rationalibus benevola, ad hoc movetur.

*IV. Itaque etiam ex sola DEI essentiali bonitate respectiva infinita secundum rationem naturalem demonstrari tam existentia futurae beatitudinis alterius vitae, quam aeternitas eiusdem, tanquam praemii meritorum moralium, potest.*

\* Vide, si lubet, in Theol. Natur. 726. et seqq.

177.

Ex huc usque demonstratis iam sequentia quoque *Corollaria* per se fluunt.

*I. Deus serio vult, ut creaturae rationales tum propriis facultatibus intellectus et voluntatis, tum etiam (mediante indirecto in sensus externos imperio, quo polent) mundo corporeo isto, utantur bene ad merita moralia, quanta maxima possunt, in hac vita cumulanda, atque ad finem ipsum ultimum creationis suae, veram nempe alterius vitae secuturae beatitudinem, in quanto maximo possunt gradu, consequendam. Qui enim omni efficacia voluntatis, quantum per se stat, vult finem, etiam vult media a se ipso, vel aliis, adhiberi, quantum per ipsum stat.*

*II. DEVS aequè serio vult, ut quaelibet creatura rationalis iisdem facultatibus suis omnibus utatur non solum ad propriam suam, sed etiam ad aliarum creaturarum sibi conviventium aeternam vitae alterius beatitudinem promovendam.*

*III. DEVS serio vult, ut semper moraliter bene, imò quam optime, idque constanter operemur. Qui enim vult finem serio, aequè serio vult media necessaria-*

cessaria: atqui bona moralia sunt media necessaria ex parte nostra ad beatitudinem per modum praemii ob eadem, ceu ob nostra bene merita, obtinendam, et beatitudo ipsa est finis ultimus, quem nobis DEVS suo amore infinite benevolo maxime ferio vult. Ergo etc.

*IV. DEVS non solum vult nos esse omnes quam maxime beatos in vita altera, sed ferio etiam vult, ut tam ad propriam, quam ad alienam felicitatem etiam temporaneam in hac vita promovendam, quantum possumus, contendamus.* Vult enim, ut semper moraliter bene, imo optime operemur (Cor. praec. IV.): atqui bene semper moraliter, imo optime operari non possumus, nisi verum bonum nostrum et aliorum semper pro viribus promoveamus; in quo bono vero, actu possessio, vera felicitas consistit (97. 26.), et hominis similitudo cum DEO in agendo.

*V. DEVS itaque nos omnes etiam in hac vita felices esse vult eatenus, quatenus felicitas nostra quaecunque summae communi beatitudini nostrae, per merita moralia instar praemii obtinendae, non obflare ab ipso praevideatur, id est, quatenus praevidet felicitatem nostram temporalem maximo bono meritorum moralium, tum cuiuslibet seorsim, tum inprimis universorum simul sumto, non oblituram: 2.) ex adverso si maxima illa communis beatitudo aliter, nisi mediante quadam nostra temporali infelicitate, non obtinenda ab ipso praevideatur (propter abusum scilicet libertatis a quocunque homine ex temporalis felicitatis occasione, ceu causa per accidens, faciendum); DEVS eam temporalem infelicitatem permittit ceu malum minus, boni maioris, id est, maximae beatitudinis inde per maiora merita moralia eruendae causa (142.).*

**ARTICVLVS IV.**

DE NECESSARIA ET EVIDENTER FUTURA INFELICITATE EORVM,  
QVI BONO LIBERTATIS VSV BEATITVDINEM VITAE  
ALTERIVS SECVTVRAE MERERI IN HAC  
VITA NEGLEXERINT.

178.

*Res omnes creatae, quae liberae non sunt, seu anima-  
tae, seu inanimae sint, per se fini creationis et se-  
riae circa hunc voluntati divinae resistere, seu impedi-  
mento esse, non possunt: at libera voluntas cuiusque  
creaturae rationalis sola resistere utrique potest quan-  
tum ad beatitudinem a se consequendam. Ceterae  
enim omnes creaturae agunt secundum leges na-  
turae, ipsius DEI voluntate per primum composi-  
tionis mundi modum determinatas; ac proinde  
eidem divinae voluntati consentiunt, qua DEVS  
vult finem creationis ultimum, nec adeo resi-  
stunt, aut impedimento sunt. Ex aduerso volun-  
tas libera creaturae rationalis nulla necessitate  
physica, nec naturae legibus ad obsequendum di-  
vinae voluntati benevolae adstringitur, sed rebus  
creatis omnibus, ceu mediis finis ultimi, bene  
vel male moraliter uti potest, ac proin vel bono  
morali, ceu merito, finem illum ultimum promo-  
vere, aut malo ac demerito morali impedire.*

179.

*Malum morale felicitati nostrae verae in vita prae-  
sente contradictorie opponitur, si est mere negativum;  
contrarie, si est positivum (126.). Vtrumque enim  
est nostrum malum accidentale intrinsecum, illud  
negativum mere, hoc positivum. Itaque ipsius  
sensus seu intuitus taedio carere non potest, vel  
ex mero defectu cogniti boni, si est mere nega-  
tivum; vel ex cognito malo eodem ut positive  
con-*

contrario nostro bono. Atqui primum felicitati, id est, voluptatis verae statui contradictorie, alterum contrarie opponitur (96.). Ergo etc. etc/

180.

*Necessitas moralis, quæ a bono morali abstrahimur, et trahimur ad malum morale etiam positivum, crescit non solum ex difficultatibus ac taediis, quæ bono morali per se inhaerent, et ex voluptatibus, quæ inhaerent malo morali (132.), sed etiam ex malis physicis tum univèrse, tum etiam iis vel maxime, quæ ex ipso malo morali alieno, ceu istius effectus, nobis passim eveniunt ex occasione ipsius exercitii boni moralis. Crescit inprimis excessus taediorum, quæ a bono morali absterrent, et excessus voluptatum, quæ alliciunt ad malum morale, ob reproducta per phantasiam phantasmata ex præteritis actibus, in quibus seu bonum seu malum morale operando ea taedia aut voluptates, actu percepimus, secundum legem notam Psychologiae (Psych. 326.). Præterea constat vulgatissima ab experientia, eos, qui bonum morale perfectius et uniformius in hac vita operantur, non solum malis physicis communi forte cum improbis hominibus premi, sed etiam vulgo cum multo maioribus malis, ex ipsa morali malitia improborum sibi accitis, et ipsius probitatis odio illatis, conflictari. Itaque hoc etiam nomine excessus taediorum a bono morali absterrentium, et spes immunitatis cum voluptate coniuncta, ac ad malum morale invitans crescit: cuius excessus magnitudini moralis illa necessitas, a bono abstrahens, et ad malum trahens, magnitudine et incrementis suis ex aequo respondet (131.).*

181.

181.

*I. Mala moralia felicitati non solum ea perpetrantis, sed etiam aliorum ei conviventium, in praesentis vitae statu obsunt.* Augentur enim ex eis mala physica non solum respectu perpetrantis eadem, sed et respectu istorum (135.); atque ipsa necessitas moralis porro male moraliter agendi ex eis multiplici nomine crescit (praec.).

*II. Mala moralia opponuntur voluntati DEI, et beatitudini ea perpetrantis, ceu fini ultimo.* Vult enim DEVS ferio, nos et in hac vita esse felices, et in altera vita per bona seu merita moralia, ceu media proxima, fieri beatos (177. V.). Atqui mala moralia et felicitati nostrae in hac vita (179.), et meritis moralibus opponuntur, ac proin etiam horum effectui, seu fini ultimo, nempe beatitudini ea perpetrantis.

182.

*Promovere aliquem effectum est determinare existentiam mediorum sufficientium ad eundem producendum. Impedire eundem est determinare existentiam sufficientium impedimentorum actionis eiusdem productivae.* Si media et impedimenta sint physice sufficientia (153.), id est, si rationem causae physicae completae, vel impediementi physici sufficientis, habeant, dicitur *effectus physice promoveri, vel impediri*; sin illa habeant rationem mediorum, seu impedimentorum, solum moraliter sufficientium, *effectus moraliter promoveri, vel impediri, dicitur* (cit.).

183.

*Permittere quis quid dicitur, si, quod ipsi ita displicet, ut id propterea nequaquam ullo pacto*  
*Stattler Eth. christ. univers. H ipse*



ipse optet existere, tamen, etsi probe praevideat, citra suam voluntatem id esse eventurum, non vult impedire (praec.). Quodsi ideo non velit impedire, quia scit, se non posse; *permissio involuntaria* dicitur; *voluntaria* vero, si non velit impedire, tametsi posset.

## 184.

Porro quemadmodum actiones et effectus liberae voluntatis impediri possunt vel physice, vel moraliter tantum (182.): ita cum quis, ceteris, uti praec., iisdem positis, tantum non vult impedire physice *actiones et effectus liberae voluntatis creatae*, vult tamen eas impedire moraliter; *physice tantum, non item moraliter, permittere* eas dicitur. Contra *actiones liberas physice simul et moraliter permittere* ille dicitur, qui nec physice, nec moraliter vult eas impedire.

## 185.

*Permissio involvit* 1.) *praevisionem eventus sine nostro proposito exituri*: 2.) *displicentiae odium de illo secundum se spectato*: 3.) *omissionem actionis contrariae impeditura eillum eventum, vel quod illa actio non sit in potestate; et tunc involuntaria permissio est; vel quod suppetant motiva alia eam omittendi, etsi esset in potestate; et tunc voluntaria permissio est*: 4.) *omissionem seu absentiam omnis desiderii talis eventus*.

## 186.

*Deus adu voluntaria permissione permittit physice, et, supposita efficaci voluntate ac intentione finis ultimi, seu beatitudinis maximae per modum praemii nobis conferendae, necessitate tenetur, ut physice permittat, omnia mala non solum mere physica, sed*  
*etiam*

nam moralia, tum mere negativa, tum positiva, uti et ea mala physica, quae ex malis moralibus tanquam istorum effectus porro nascuntur (135.). Praevideat enim ea omnia haud dubie cum odio displicentiae ex eis secundum se concepto; omisit physice impedire, cum potuisset (127.); quin tamen ea optaret, ceu felicitati nostrae per se opposita (179.); ergo *inprimis* permisit physice voluntarie (183.). Deinde, cum ita illa innectantur seriei eventuum in hoc mundo, ut sine illis nec merita moralia, nec ex istis beatitudo, in praesens extitura per modum praemii, existere re ipsa possent (170.); supposita seriatim intentione huius beatitudinis et meritorum moralium tanquam finis, non potuit non permittere omnia ea mala, seu physica, seu moralia: siquidem secus contra sapientiae consilium media ad finem necessaria sustulisset.

187.

*Decere aliquid facere ens intellectu praeditum dicimus, si volitio id faciendi cum eius perfectione essentiali in ratione boni consentiat, sive si id velle possit cum rectitudine positiva (2.); non decere, seu minus decere, si salva quidem rectitudine negativa id velle vel non velle possit, sed non cum rectitudine aequali positiva, atque eius oppositum; dedecere denique, si ne salva quidem rectitudine negativa velle illud possit, sed non nisi voluntate positive mala.*

188.

*I. DEVS facere aut velle non potest, seu quod ipsum minus deceat, seu quod dedecet. Nam etiam, quod minus decet, defectum maioris boni in eo importaret (2.).*

H a

II. DEVS

II. *DEVS* vult, et facit necessario omne id, quod sic ipsum facere decet, ut eius ommissio contradictorie opposita ipsum minus deceat. Cum enim inter contradictoria a parte rei medium non sit, et ommissio minus decens in *DEVM* cadere non possit (Cor. I.); hoc ipso velle id debet, quod non velle minus deceret.

189.

*Supposita creatione, eiusque fine ultimo in praesens constituto in beatitudine communi maxima tali, quae meritis bonis moralibus per modum praemii retribuat; necesse erat, ut DEVS bonum usum libertatis humanae et bona merita moralia, seu media proxima necessaria ad illum finem, mediis moralibus, univ[er]se respectu omnium libertate utentium sufficientibus, promoveret, 2.) nec mala moralia, seu demerita, et abusum libertatis etiam moraliter permetteret, sed potius mediis moralibus, respectu omnium libertate utentium sufficientibus, impediret.* Cum enim, salva libertate, et possibilitate talis finis ultimi, physicis sufficientibus mediis promovere bonum usum libertatis, seu bona merita moralia, et impedire abusum ac demerita moralia, salva sapientia (non nisi apta media ad finem suggerente), non posset (186.); alia apta media, quam moralia, non supererant. Iam vero sapientiae infinitae, qualis est divina, repugnat, media aut nulla, aut non sufficientia, ad finem optimum suggerere; repugnat vero etiam sanctitati infinitae, seu rectitudini absolute summae, qualis item divina est, non adhibere media optima et sufficientia, quae sapientiae consilium reipsa, ut unice sufficientia et apta, suggerit. Non itaque decebat *DEVM*, aut non promovere mediis moralibus univ[er]se sufficientibus bonum usum libertatis, aut ab-

abufum non impedire (187.): ac proinde bonum ufum eisdem mediis a DEO promoveri, et abufum impediri reipfa, neceffe erat (praec.).

190.

*Media moraliter fufficientia ad bonum ufum libertatis promovendum, et ad impediendum abufum eiusdem in vitae praefentis ftatu, non funt, nifi motiva a malo morali abfterrentia et impellentia ad bonum morale; quae taedia gravia, ceu effectus praevifos ex malo morali orituros, et voluptates, ceu effectus orituros ex bono morali, proponant.* Patet ex 153. Talia enim motiva, et praevifi tales effectus, funt cauffae intentionales, quae cognita bonitate fua, aut malitia, abfterrent a malo morali, ceu praevifarum voluptatum aliunde (fcilicet ex bono morali oppofito) extiturarum impedimento, et impellunt ad bonum morale, quo non peracto taedia aliunde praevidentur nobis certo oritura. Interim cum motiva ifta, utcunque taedia cum malo morali, et voluptates cum bono morali, coniungentia, componantur cum neceffitate morali, qua per taedia, bono morali, et per voluptates, malo morali adhaerentes, abftrahimur a bono, et trahimur ad malum: idcirco non nifi pugnam appetituum, ceu motiva contraria, determinant; ex qua pugna confirmatur ipfa libertas. In id genus motivis itaque totum id habetur, quod in notione mediis moraliis refpectu finis (qui in praefente negotio eft meritum morale) fupra 153. occurrebat. Ergo etc. etc.

191.

*Motiva, ad bonum morale impellentia, et abfterrentia, a malo morali, queis ceu mediis intentionali-  
bus unice ad finem aptis (praec.), DEVS bonum  
ufum*

H 3

usum libertatis promovere, et abusum impedire in praesente vita debet (189.), ut sint media moralia, universe respectu omnium hominum libertate utentium sufficientia, taedia cum malo morali connedenda, et voluptates connedendas cum bono morali (ceu istorum praevisos effectus) eo gradu magnitudinis insignita proponere debent; ut, spectata conditione huius vitae et respectu ad omnes circumstantias habito, in quibus bonum morale operandum, et malum morale cavendum est, in quovis particulari casu omnes homines respective ad necessitatem moralem, qua actu trahuntur ad malum morale, et a bono morali abstrahuntur, vicissim sufficienter et cum iusta motivi proportionem absterreantur a malo morali, et impellantur ad bonum morale oppositum. Vt enim motiva quaevis sufficientem vim intentionalem causandi et movendi ad actum liberum quemcunque determinatum habeant, ejusdem vis proportio quaedam ad vim motivam motivorum oppositorum, ab eodem actu libero secundum omnes circumstantias determinato absterrentium, et vicissim esse debet; ac proinde in praesentis vitae conditione motiva illa eam vim habere debent, quae proportionem habeat ad omnes difficultates in boni moralis exercitio occurrentes, quibus ab isto absterri homines solent, et ad omnem facilitatem et voluptatem, qua iidem ad malum morale rapiuntur, id est, ad omnem gradum necessitatis moralis, qua abstrahuntur in quovis particulari casu a bono morali, et trahuntur ad malum morale.

192.

*Motiva sufficientia, absterrentia a malo morali, et impellentia ad bonum morale, quae, ceu media sufficientia moralia, decet DEVM suppeditare hominibus un.versis libertate utentibus in praesentis vitae statu*  
(praec.

(praec. et 189.), *non sunt bona physica, quae ex bono morali, ceu effectus istius excituri in hac vita, vulgo praevidentur, nec sunt mala physica oritura in hac vita ex malo morali.* Experientia enim quotidiana prorsus compertum est, multo maiora esse mala, quae hominibus probis ob malitiam moralem improborum hominum occasione ipsius boni moralis, quod probi operantur, perpetienda identidem sunt, quam sint ea bona physica, quae, ceu effectus naturales, ex ipso bono morali lege naturae consequuntur. Vicissim quoque eadem experientia notissimum est, improbos virtute ipsius potentis et impudentis malitiae suae sibi multo maiora bona physica huius vitae pro sua violentia conquirere, quam sint mala illa, quae ex malo morali, ceu istius effectus naturales, lege naturae eidem nascuntur. Ergo magis effectus accidentales physice mali, qui bono morali coniunguntur in hac vita, ab hoc absterrent, quam ad id invitent effectus naturales physice boni: ac vicissim effectus accidentales physice boni, qui cum malo morali per accidens connectuntur, magis ad hoc invitant, quam ab eo absterreant effectus physice mali lege naturae eidem connexi. Ergo etc. etc.

\* *Neque dicas, bona malo morali, et mala bono morali connexa per accidens in hac vita, non esse nisi mere apparentia. Nam, nisi impediant cum bono morali beatitudinem ipsam vitae alterius, non iam mere apparentia, sed solo huius vitae statu spectato, saepe vera bona evadent; vel certe vim moventem maiorem prae bono morali eiusque naturalibus effectibus semper habebunt. Quodsi ea consideres simul ut impedimenta beatitudinis, vis motivi sufficientis ad bonum morale iam non inerit solis illis bonis et malis physice, quae naturales boni et mali moralis effectus in hac vita sunt; sed ipsa beatitudo, et eius iactura, ceu*

effectus morales boni et mali morales, vi sua motrice intervenient. Vnde porro ulterius sic statuo.

193.

*Sed neque ipsum bonum morale (virtus vulgo dici solita) secundum se, neque malum morale secundum se praecise spectatum ut finis ultimus (nisi nempe illud ut medium necessarium ad beatitudinem vitae alterius, et hoc ut eius absolutum impedimentum spectetur) motiva sufficientia sunt, ut illud homines libere operentur, hoc fugiant.* Quamvis enim bonum morale secundum se verum bonum creaturae rationalis sit, et malum morale verum eiusdem malum, etiamsi utrumque praecise in se spectetur, et non ut medium ad beatitudinem vitae alterius; tamen idem utrumque in praesente vitae statu homini libero sic proponitur, ut ob excessus taediorum ei tum per se, tum per accidens (ob malitiam scilicet improborum bonos infectantium) connexorum, et ob excessus voluptatum similiter connexarum cum malo morali, detur necessitas moralis, neglecto bono morali operandi morale malum; quae necessitas nullo sufficiente motivo contrario eliditur, nisi boni moralis exercitium et fuga mali morales porro referantur ad beatitudinem vitae alterius sub ratione medii necessarii ad illam tanquam finem ulteriorem.

194.

*Necessitas moralis, abstrahens a bono morali et trahens ad malum morale, nullo sufficiente motivo et medio morali elideretur, imo in dies immensum cresceret, si tam, qui semper malum, quam, qui semper bonum morale in hac vita operantur, perinde essent alterius vitae beatitudine aliqua absolute potituri.* Cum enim in huius vitae statu improbi ut plurimum probis  
feli-

feliciores sint; si insuper utrorumvis fors in vita etiam futura foret, et sciretur posse esse satis beata: spectata illa morali necessitate ad malum aliunde iam urgente, nullum iam ullo pacto aptum et sufficiens motivum absterrens a malo et ad bonum impellens suppeteret. Pronum ergo foret, ut passim homines, boni moralis cura omni neglecta, malum libere sequerentur. Constat porro, ex mali moralis frequentatis actibus non modo novas necessitates morales similes ex pravis habitibus nascituras; sed etiam probis nova et semper graviora mala physica ex improborum aucta malitia exoritura, ex quibus item boni moralis exercitium probis etiam volentibus identidem magis difficile ac demum moraliter prorsus impossibile redderetur. Ergo revera necessitas moralis &c. &c.

## 195.

*Itaque medium morale et motivum unicum sufficiens et ad promovendum bonum morale, et ad malum positivum morale impediendum in hac vita, ac proinde ad homines libertate utentes univcrse sufficienter promovendos ad beatitudinem vitae alterius per modum praemii consequendam, non est nisi subtractio beatitudinis ipsius praedictae, in poenam statuta a Deo iis, qui malum morale constanter ad vitae finem sectantur, et affectatio eiusdem beatitudinis facta iis solummodo, qui bonum morale constanter usque ad finem huius vitae operantur. Sequitur hoc ultra ex dictis huc usque inde a 189.*

## 196.

*Decebat DEVM statuere iacturam beatitudinis in vita futura pro hominibus semper in malo morali positivo usque ad mortem perseverantibus, ita quidem, ut oppositum dedeceret. Cum sapientia enim et sanctitate*

H 5

tate



tate seu rectitudine absoluta, essentiali DEO, eaque infinita pugnat, tum ut non cum omni efficacia congrua et sufficiente malum morale positivum, ceu finis ultimi impedimentum, aversetur, nec mediis sufficientibus impediatur (186.), tum ut non sufficientia motiva, seu media moralia, ad bonum morale, ceu medium proximum necessarium eiusdem finis ultimi consequendi, subministret. Atqui istud tamen re ipsa eveniret, nisi improbos intentata in poenam iactura beatitudinis a malo morali absterreret, et veluti contraria imposita necessitate morali impelleret ad bonum; id quod inde a 192. huc usque ostensum est. Ergo cum DEI perfectione essentiali pugnat id non facere, hoc est, ita decet DEUM statuere improbis iacturam illam beatitudinis in poenam, ut oppositum dedecet (187.).

## 197.

*Ex iactura absoluta beatitudinis in vita sequente ab improbis facta, si modo DEUS illorum animas conservare pergat, infelicitas positiva gravissima per se et naturaliter consequetur.* Est enim positiva infelicitas ipse intuitus propriae imperfectionis et mali accidentalis, tum mere physici, semper perdurantis ob dicta 135. seqq. Art. I. huius capituli, tum etiam moralis praeteriti, ceu causae moralis iacturae in perpetuum factae circa beatitudinem, quae deinceps reparari non possit; ex quo porro secundum leges naturae, voluptatem et molestiam, hisque respondentium affectuum speciem determinantes (59. seqq.), nascetur status perdurans tristitiae, ex boni amissi magnitudine et aeternitate metiendae, ac proin gravissimae; status simul omnis spei expers ac plenus desperatione: qui status, si convictum praeterea plurimum in eadem infeli-

felicitate immutabili constitutarum creaturarum rationalium importet, quae pravis habitibus, ex multo praeterito malo morali contractis, in ingenti quodam gradu necessitatis morales, ad malum porro trahentis, sint confirmatae, non potest non novo hoc titulo esse immensum molestus; siquidem id genus creaturae rationales, omni iam motivo sufficiente contrario ad bonum agendum ob amissam spem beatitudinis destitutae (195. 53.), non nisi sibi et ipsis mutuo propter mutuam odium displicentiae summe molestae (135.), et hoc ipso mutuo malevolentiae odio infestae esse possunt. Itaque ex iactura absoluta beatitudinis &c. &c.

\* Id genus hominum status, a malitia morali istius vitae ad physicam boni impotentiam vere transeuntium et in intuitu istius status sui immutabilis defixorum, in quo omnis felicitatis expertes sunt, totum enim vero id iam complectitur, quod nomine *inferni* Christianae religionis aeternae complectimur (solo ignis supplicio excepto; de quo suo loco), quodque etiam gentiles ipsimet Philosophi sub hoc nomine iam intellexerunt; cum impios in inferorum sedibus a furiis discerpi credidere.

\*\* Superest solum videre, utrum Deo re ipsa suppetat secundum sapientiae suae consilium ratio quaedam naturalis atque necessaria, cuius causa ipsum absolute deceat, ut ipsas improborum animas, perinde atque proborum, in vita quadam altera post hanc continuo secutura, insuper habita earum praevisa summa infelicitate conservare, idque aeternum ac sine fine, velit.

198.

*Sola iactura mere negativa omnis felicitatis, quaerens sequeretur ex ipsa annihilatione, vel morte saltem animae cum morte corporis coniuncta, quae simul impediretur omnis sensus positivae infelicitatis, eius nempe, quae, stante ulteriore vita animae, naturaliter ex iactura*

*iactura privativa beatitudinis consequeretur (praec.), talis, inquam, mera negatio vitae et felicitatis non esset motivum ac medium morale sufficiens ad homines in hac vita absterrendos a malo positivo morali.* Medium enim morale seu motivum sufficiens tale esse debet, ut cum necessitate morali, qua trahimur ad malum, hoc est, cum excessu illo voluptatis praesentis, quae malo morali, et cum excessu taedii praesentis, quod bono morali inest, in omni emergente casu proportionem quamdam conservet (191.). Tale porro haud esse potest, nisi adversus mali morales praesentes voluptates saltem item positiva quaedam taedia futura, ac pariter adversus taedia boni morales praesentia futuras positivas voluptates aut taedia longe maiora opponat, et tanto maiores futuras voluptates, quanto maiorem vim voluptas (ac taedium) praesens, iam experientia comperta, atque insuper ex ipso praeterito usu per phantasiam aucta atque exaggerata (226. Psychol.), in animum exercet, quam voluptates ac taedia solum praevisa (228. Psychol.). Sola ergo iactura mere negativa felicitatis &c. &c.

199.

*Decet DEUM conservare animas racionales etiam eorum hominum post huius vitae finem, qui in vita praesente constanter malum morale positivum operati sunt; nec decet eum omnino eas annihilando impedire, quo minus in vita altera infelicitate positiva involvantur, quae ex praesente vita semper male acta in futura naturaliter consequitur (197.).* Talis enim annihilatio et subtractio hominum malorum a sensu infelicitatis positivae, in vita altera univere statuta, cederet in summum malum ac damnum tum ipsorum improborum male viventium in hac vita, tum etiam proborum. Siquidem neutris  
DEUS

DEUS sufficiens medium morale seu motivum sup-  
peditaret, quo, stante necessitate morali sibi innata  
(132.), satis absterrentur a malo, ac satis allice-  
rentur ad bonum morale (praec.). Vnde multo  
plures perseverarent ad vitae finem usque in malo  
morali operando; neque bene operantes satis de-  
fenderentur a malitia imbroborum (135.). Atqui  
debet DEUM media utrisque moraliter ad hos fi-  
nes sufficientia suppeditare (189.), et ita qui-  
dem decet, ut dedecet absolute favorem malis  
cum maiore bonorum detrimento praestare, imo  
cum detrimento multorum ex ipsis improbis; qui  
infelicitatis positivae metu absterrendi a malo, et  
ad ipsam felicitatem veram vitae alterius perven-  
turi essent. Decet ergo DEUM conservare animas  
improborum etiam in vita altera, ac positivae  
suae infelicitati relinquere, ita, ut oppositum de-  
decat.

200.

*Evidens ergo etiam ex solo naturali lumine est, creaturas racionales, quae in praesente vita constanter ad finem usque malum morale positivum operantur, in vita altera secutura non solum omnis beatitudinis, quae finis creationis ultimus est (113.), iacturam passuras, sed positiva infelicitate esse cruciandas. Consequitur enim positiva haec infelicitas naturaliter ex ipsa vita male acta, et ex iactura omnis verae felicitatis in vita altera (197.); et ex parte altera dedecet DEUM, annihilando improborum animas, aut omni vita privando, istam sequelam impedire (praec.). Porro quod DEUM absolute dedecet, id nec facit unquam (187.). Ergo evidens est &c.*

ARTI-

## ARTICVLVS V.

DE AETERNITATE POENAE IMPROBIS IN FUTVRA VITA A DEI  
IVSTITIA CONSTITVTAE, QVOAD EX IPSO LVMINE RATIO-  
NIS NATVRALI DE EA CONSTET.

201.

**A**mor complacentiae conceptus ex his, quae ali-  
cui personae inesse certo noscuntur, idem-  
que eximius, id est, talis, quo eiusmodi persona  
aliis rebus multum voluntate praefertur, *honor*,  
seu *honoratio*, talis personae dicitur. Porro *honor*  
*directus et formalis* vocatur, si immediate in ipsam  
personam eiusque intrinseca fertur: *indirectus* ve-  
ro est affectus amoris, vel odii, erga rem perso-  
nae illi quidem extraneam conceptus, sed impera-  
tus ab amore complacentiae erga illam, ceu affe-  
ctu praedominante (62.), sive ob cognitam simi-  
litudinem talis rei cum bono illi personae intrin-  
seco, sive ob cognitam dissimilitudinem ab eo-  
dem. Quodsi amor complacentiae de persona  
imperans efficacia sua actualement electionem deter-  
minet, qua res talis, vel ut bonitati personae pla-  
centis consentanea ac similis, praeferatur aliis, vel,  
ut opposita eidem, repudietur, *honor efficax*, seu  
*practicus* vulgo, appellatur. Sin idem in solo in-  
efficaci affectu complacentiae, vel displicentiae,  
erga rem talem sistat, *honor inefficax et mere specu-  
lativus* appellatur. Potest demum omnis iste ho-  
nor esse vel *mere internus*, atque absolvi solis men-  
tis affectibus, vel *externus*, quatenus signis exter-  
nis simul alteri proditur.

\* Si in honore practico amori imperato compla-  
centiae (vel odio displicentiae) erga rem personae illi  
similem extraneam (vel dissimilem) aliud motivum  
accedat, a similitudine cum persona amata (vel a dissi-  
militudine) diversum, e. g. si simul placeat ob con-  
nexionem cum bono eius personae intrinseco (vel di-  
spliceat

spliceat ob connexionem cum eiusdem malo, e. g. taedio); tunc honori affectus benevolentiae miscetur, ceu ab eodem imperatus, Potest vero honor esse sine isto benevolentiae affectu, e. g. erga DEUM, cui, nisi fictione quadam, quam cognitio distincta non sustinet, proprie bene velle non possumus (82.).

## 202.

Vicissim odium displicentiae conceptum ex his, quae alicui rei vel personae inesse, pro certo habetur, quoque illa idcirco aliis rebus voluntatis affectu seu studio posthabetur, *contemptus* tans rei vel personae vocatur: qui item *formalis et directus* dicitur, cum in ipsam rem seu personam, ceu obiectum odii immediatum, fertur; *indirectus* vero, et vulgo *materialis*, appellatus, est affectus amoris, vel odii, erga res, rei vel personae tali extraneas, natura sua cum illius personae honore, vel rei aestimatione, positive pugnans, eique contrarius (24. II.); sive sit affectus amoris complacentiae erga rem aliquam, cognitam ut ei dissimilem; sive sit affectus odii erga eandem, cognitam ut similem eidem. Quodsi affectus eiusmodi amoris, vel odii, erga rem praedictam ita sit efficax, ut electionem determinet, qua illa vel, insuperhabita oppositione suae dissimilitudinis cum bono illius personae, complacentiae amore efficaci appetatur, vel, insuperhabita similitudine cum eisdem personae bono intrinseco, displicentiae odio efficaci reiiciatur, *contemptus practicus et efficax* dicitur; contra *mere speculativus et inefficax*, si in simplici inefficaci affectu complacentiae, vel displicentiae, sistatur.

\* *Omnis personae honor directus haud dubie cum gloria, contemptus directus cum ignominia coniunctus est. Unde uterque, sicut ipsa gloria et ignominia (119.), certum iudicium praeivium tum de eximio bono, vel*  
malo

malo personae intrinseco, si directus sit, tum de relatione similitudinis aut dissimilitudinis rei extraneae cum eodem supponit, si indirectus sit. Uterque tamen gloriae, aut ignominiae, ceu meris intellectus actibus, actum voluntatis superaddit, cuius directum, aut indirectum obiectum persona honorata, vel contempta, sit. Qualis iste sit, hic ex proposito explicatur. Nimirum qui me eximie amat, amat et alia quaevis, quae, et prout ad me ceu personam amatam referuntur. Amor complacentiae, ex perfectione intrinseca absoluta alicuius personae conceptus, vulgo est amor imperans (84.); et, si sat intensus et efficax sit, amorem complacentiae omnium post se trahit, quae ad talem personam referuntur relatione similitudinis; et, si eidem utilia simul esse possint, etiam amorem benevolentiae. Idem imperat odium displicentiae de omnibus, quae eidem personae placenti dissimilia sunt &c. Quamdiu amor complacentiae in ipsa perfectione tali personae intrinseca, velut in obiecto suo adaequato et immediato, sistit id praefereendo aliis; *directus honor* est: cum vero ad alia extranea aliis praeferenda ob personae similitudinem movet; *indirecte* in personam tendit, quatenus eius amoris effectus est. Contemptus directus ex opposito se habet uti honor directus. *Quod vero contemptum indirectum spectat*, necessarium non est, ut res similis odium vel rei dissimilis amor ab odio personae indirecte contemptae imperetur; sed ipsa inefficacia honoris et amoris directi erga eam, quae non impedit vel electionem et amorem rei eidem contrariae ac dissimilis, vel odium rei similis, est id, quod contemptum indirectum formaliter constituit; quatenus videlicet ratio negativa est, cur amor, aut odium, talis rei extraneae non impediatur.

203.

*Quisquis hominum in hac vita semper moraliter bene agit, atque suam aliorumque communem tum huius vitae felicitatem, tum futurae beatitudinem promovet, nec huic fini ultimo creationis suae quidquam contrarium sciens ac volens unquam committit, is tali actio-*

actionum suarum omnium moralium rectitudine, quoad potest, ad DEI similitudinem ac proinde beatitatem (118.), libere et voluntarie accedit. DEUS enim et hunc finem ipse omnibus suis ad extra actionibus liberis intendit, et ei convenienter nunquam non cum infinita sapientia, rectitudine, ac sanctitate operatur: proinde homo idem agendo DEUM imitatur, et constanti id genus actionum uniformitate ad DEI agentis similitudinem proxime, quoad potest, accedit.

## 204.

*I. Qui sciens, hoc pacto accedi ad similitudinem cum DEO (praec.), et ad finem ultimum a DEO intentum in creatione, hancque esse DEI agendi constantem rationem, ac simul seriam voluntatem, ut omnes homines huic creationis fini convenienter agant; qui, inquam, haec probe sciens, ex eo ipso scientiae huiusmodi motivo constanter bene moraliter agit, finisque creationis suae ac DEI voluntati se liberis omnibus in actionibus et omissionibus conformat; id est, quicumque merita moralia theologica ponit (166.); is DEUM in cunctis suis actionibus directe, vel indirecte, honorat.*

*II. Contra, qui similitudini divinae, ac proinde fini creationis suae contrarias actiones vel omissiones liberas, seu moraliter positive malas, committit; is DEUM in singulis istis actionibus vel omissionibus praedice seu indirecte contemnit.*

*III. Idem si actionibus suis vel omissionibus moraliter malis non solum suae propriae, sed etiam aliorum hominum seu felicitati temporanae, seu etiam beatitati aeternae impedimentum aut detrimentum afferat, DEI voluntati iuxta atque communi hominum bono adversatur instar communis hostis. Patent omnia ex 201. 202. 203.*

Stattler Eth. christ. univers.

I

IV. Qui



*IV. Qui perseverat in morali malitia actionum vel omissionum, etiamsi sciat probe, non posse DEUM permittere, ut ad alterius vitae beatitatem sic unquam perveniat (196.); imo DEUM non posse non ipsum in altera vita infelicitate positiva macerare (200.); is totam DEI bonitatem respectivam infinitam, quanta ex se est, practice contemnit. Patet ex 201.*

205.

*I. Qui totam DEI bonitatem respectivam, quanta ex se est, sciens volensque contemnit, ex parte sua non meretur, ut ullum illius ipse porro experiatur effectum. Nec enim illi suffragatur pretium physicum seu dignitas personalis, eo quod nihil in eo bonitatis inlit, quod existentiam aliunde, quam a DEI bonitate respectiva, habeat (157.), nec meritum morale, quo caret; imo demeritum morale summum inest ipsi huic absoluto contemptui divinae bonitatis, quod sua malitia DEO odium displicentiae creet (158.)*

*II. Non itaque meretur talis absolutus divinae bonitatis contemtor obstinatus, ut DEUS illius infelicitati positivae, qua post hanc vitam naturaliter est macerandus (198.), cessando a conservatione vitae eius finem imponat. Haec enim cessatio ab actione conservatrice vitae eius, qua a sensu infelicitatis omnis talis improbus liberaretur, revera ingens bonitatis divinae respectivae effectus foret. Atqui talem effectum is nullum meretur (praec.). Ergo &c. &c.*

*III. Ipse itaque est auctor moralis et causa per se non solum praesentis dissimilitudinis ac difformitatis suae a DEO per ipsam actionem moratiter malam, cum tali scientia commissam; sed etiam per se causa moralis est tum positivae suae infelicitatis post mortem; tum aeternae ipsius durationis.*

IV. Ra-

*IV. Ratio itaque demeriti illius moralis, quo quis ipse meretur iacturam beatitudinis aeternae, et infelicitatem positivam aeternum duraturam, quove huius est auctor moralis et causa per se, praecise in libero quodam DEI contemptu consistit, quo liberam quamdam actionem (vel omissionem) committit, sciens, se per eam futurum causam suae dissimilitudinis cum DEO, partim praesentis, quae ipsi actioni inest, partim futurae, per iacturam videlicet beatitudinis, et positivam infelicitatem aeternum duraturam.*

\* Hanc nos rationem demeriti moralis deinceps *demeritum morale Theologicum* appellabimus; id nimirum, quod in ea malitia liberae actionis consistit, quod quis libere ac sciens in se dissimilitudinem cum DEO determinet, eoque contemptu DEI sciat se promereri id odium displicentiae a DEO, quo omnis efficax benevolentiae amor DEI erga se impediatur (158. 204. 205.).

## 206.

*Evidens est, multo plures homines a malo morali, vel saltem ab obstinata perseverantia in malo morali absterrendos, ac proinde temporalem aequae felicitatem communem, atque beatitudinem aeternam reipsa et cum certo incremento maximo promovendam ex eo, ceu medio morali omnium sufficientissimo, fuisse, si DEUS decerneret, obstinate in morali malitia ad finem vitae usque perseverantibus illum bonitatis suae respectivae effectum nunquam indulgere, ut, cessando a conservatione vitae, finem infelicitati eorum positivae, ex ipsa illorum morali malitia naturaliter oriturae (197.), ipse imponeret. Evidens enim est, hoc medio necessitatem illam moralem male agendi, hominibus innatam (132.), veluti gravissima necessitate morali contraria (131.), omnium potentissime elidi, nec modo pugnam seu vim motivorum contrariorum ad aequilibrium reduci, sed magno excessu in*

1 2

melior-

meliores partes inclinari. Evidens itaque hoc ipso est, universe moralem hominum istud motivum cognoscentium malitiam multo futuram fuisse minorem, proindeque minuendam temporalem proborum inprimis infelicitatem (135.), imo ipsam difficultatem boni moralis, quae ex infelicitationibus improborum mirifice crescit; plures item a malo morali, vel certe ab obstinata in eodem perseverantia et extremis malitiae excessibus absterrendos; ac proinde aeternam quoque beatitudinem tum numero beatorum, tum gradu beatitudinis incrementi plurimum consecuturam.

207.

*Sapientiae infinitae consilium ac summa sanctitas a DEO etiam infinite respectivo bono exigebat prorsus, ut maioris communis boni causa decerneret non indulgere obstinate improbis hunc suae bonitatis respectivae erga illos effectum, ut, cessando a conservatione vitae, infelicitati positivae eorum, in futura vita certissimo eventurae, finem imponat; sed potius durationem aeternam illius in demeriti eorum poenam permittere.* Sapientiae enim consilium est, media optima ad finem suggerere; sanctitatis vero eadem cum summa ac perfectissima rectitudine reipsa exequi in ordine ad finem creaturis rationalibus optimum consequendum. Atqui medium optimum evidenter erat permissio aeternae durationis infelicitatis improborum in futura vita ad finem seu beatitudinem maximam totius communitatis hominum consequendam (praec.); et ex parte altera non merebantur improbi, ut eorum DEUS potius rationem habens, hunc bonitatis suae effectum ipsis indulgeret (207.); imo potius maius commune bonum, ex subtractione privati immeriti favo-

favoris certo extitutum (praec.), effectus erat bonitatis divinae longe maior, ac proin maiore rectitudine a DEO confectandus, ita, ut eius neglectu DEUS revera minus bonum ad extra se exhibuisset, quam exhibere sese poterat. Cum ergo minus deceat DEUM, quod minore rectitudine fieret (187.), nec facere, aut permittere unquam DEUS possit, quod minus eum decet (188.): evidens est, et sapientiae consilium et summam sanctitatem a DEO exegisse &c. &c. Porro malum physicum, nempe aeterna duratio infelicitatis positivae, ob improbi morale demeritum cum morali rectitudine a DEO immissum, rationem poenae habet. Ergo &c. &c.

208.

*Iustitia* est constans benevola voluntas ex pluribus personis felicitatem unius prae altera non promovendi, nisi secundum perfectae sapientiae consilium et cum summa sanctitate seu rectitudine morali. Unde evidens est, ipsam perfectissimam iustitiam in DEO exegisse, ut in poenam obstinatae moralis malitiae improborum decerneret poenam permittendae aeternae eorum positivae infelicitatis in futura vita (praec.). 2. Proinde ex ipso naturali lumine rationis evidens est, poenas improbis in futura vita aeternum duraturas a DEI iustitia esse constitutas.

209.

*Gratia* est benevolentia per se efficax erga personam alteram, sic, ut eius nulla ratio sufficiens moralis huic alteri personae insit: quod si ne quidem insufficiens aliqua talis ratio moralis respectu eius benevolentiae in hac persona insit; *mera gratia* appellatur; *non mera gratia* contra, si huic

13

insit

infit illius ratio saltem insufficiens. Porro ipsa *benevolentia*, eiusque effectus, eodem sensu *gratuita*, *mere gratuita*, *non mere gratuita*, vocatur.

\* Tametsi omnis amor benevolentiae se priorem supponat amorem complacentiae (78.), a quo impetretur: tamen nisi iste amor complacentiae pro obiecto habeat bonum morale personae, in quam tendit benevolentia, cuius bonitas moralis obiectiva, cognita ut aliunde existens, ceu libera (158.), moveat ad eum ipsum benevolentiae amorem; iste benevolentiae amor erit mera gratia.

\*\* Porro ratio moralis ad obtinendum ab alio effectum sibi utilem cuique personae varia inesse potest. Si ius illi ad eam actionem sibi utilem consequendam infit, simulque potestas coactiva, *debiti* rationem illa habebit, et etiam sine ulla benevolentia, seu ex amore ipsius iustitiae, seu ex metu coactionis et poenae, exhiberi poterit. Si non ius, sed solum dignitas, at non moralis, sed solum physica, personae tali infit; iterum ex motivis extraneis, atque aliquando etiam sine benevolentia erga talem personam, actio utilis et secundum se benefica eidem personae ab alio exhiberi poterit; ut si alicui ob habilitatem mere physicam munus proficuum in republica a principe tribuitur non tam ex benevolentia erga ipsum, quam ex studio communis boni. In quo casu, nisi persona de se habilis ad tale munus simul iam sit bene merita de principe, vel republica, si princeps simul ipsi bene velit, muneris collatio erit *mera gratia* respectu talis personae; ex adverso debitum respectu reipublicae: si denique ea persona iam alioquin sit bene merita, non iam *mera gratia* erit, sed *iustitiae remunerantis effectus*.

\*\*\* Unde ad gratiam tria requiruntur, 1) bonum alteri efficaciter, quantum per se fiat, volitum, 2) benevolentia erga eundem in affectu volendi illud bonum, 3) ut tamen eius benevolentiae motivum seu affectus imperans, non sit amor complacentiae ex bono morali alterius, sed mere ex aptitudine physica ad tale bonum recipiendum, ita, ut reliquam veluti rationem movendi suppleat ipsa promptitudo ad benefaciendum.

210. Me-

## 210.

*Meritum morale* (158.) *condignum*, respectu alicuius determinati amoris benevolentiae alterius personae adversus bene merentem, tunc vocatur, si eius meriti moralis bonitas, absoluta, vel respectiva, satis complete cognita, et amor complacentiae inde ortus, se solo sit ratio sufficiens moralis eius totius amoris benevoli (78.) secundum omnem suam efficaciam: si vero sit solum per se ratio insufficientis se solo, *meritum congruum* solummodo appellatur.

Vicissim *demeritum morale condignum*, respectu alicuius determinati odii malevolentiae alterius personae, illud dicitur, cuius moralis malitia, absoluta, vel respectiva, satis complete cognita, et odium displicentiae ex eo ortum, se solo est ratio sufficiens moralis eius totius odii malevoli: si vero sit solum ratio insufficientis se solo, *demeritum non condignum* simpliciter vocatur.

## 211.

*I. Praemium condignum est, ad quod, bono merito morali retribuendum, huius condignitate spectata omnis sapiens moveri potest: idem de poena condigna valet relate ad demeritum morale.*

*II. Praemium supra condignum est, quod magnitudine boni absolute excedit rationem boni, quae inest merito morali: et poena infra condignum est, quae in ratione mali minor adhuc est malo absoluto, vel respectivo, quod inest demerito morali (Cor. I.) etc.*

*III. DEVS infinite bonus morale demeritum ultra condignum punire non potest. Ens enim infinite bonum, ex se ipso rationes sufficientes ad odium malevolentiae habere non potest, sed solum ab extrinseco. Porro extrinseca ratio magnitudinis poenae, qua talis, non nisi demeritum morale*

est (163.). Atqui ratione sufficiente adaequata rationatum nullum maius esse potest.

*IV. DEVS, ut infinite bonus, necessario infinite ex se promptior est ad remunerandum praemio meritum morale utcunque parvum etiam ultra condignum ex mera gratia, quam sit per se promptus ad puniendum morale demeritum etiam tantum secundum condignum, nec nisi ex necessitate ipsius poenae, seu sufficientis motivi et medii moralis ad finem ultimum et commune generis humani bonum beatitudinis consequendum, ad eam reipsa infligendam impelli potest.* Promittitudo enim illa benevolentiae DEO inest ex se infinita; ex adverso determinatio divinae voluntatis ad puniendum solum fit ex cognitis rationibus finitis necessitatis ad summum commune bonum.

*V. Malum universum poenae aeternae, reprobis universis post hanc vitam infligendae, non potest esse ullo pacto magnitudine in ratione mali aequale, sed evidenter sine comparatione minus esse debet, quam universum bonum praemii aeterni, probis a DEO infinite bono retribuendi (142.).*

\* *Neque opponas numerum reproborum, qui spectata etiam fors sola experientia et ratione naturali videtur fore multo maior quam electorum. Nam is ipse solum evincit, tanto maiora electorum gaudia et respective ad haec tanto minora reproborum supplicia esse debere, si inter se praecise illa et ista comparentur, quanto maior est istorum prae illis numerus: etiam et gaudia et supplicia caritura sint sine,*

*VI. Beatitudo infimi gradus electi futura est maior in ratione praemii et boni, quam poena supremi gradus reprobis cuiusque: secus DEVS non foret infinite promptior ad remunerandum meritum morale utcunque parvum etiam ultra condignum, quam*

quam ad puniendum demeritum morale secundum condignum (II.).

*VII. Beatitudo omnium electorum excedit rationem praemii condigni, quamdiu spectantur ipsorum merita moralia, ut determinata in ratione talis meriti per vires solum naturales. Evidens enim est, ea in ratione boni immensum esse minora beatitudine aeterna; etsi simul et personae dignitas, et pretium physicum actionum moralium bonarum, huic comparetur (159. II.).*

*VIII. Tam poenae universae reprobatorum simul omnium, quam cuiusque reprobi singillatim, non assequuntur condignitatem, sed sunt infra condignum, comparate ad eorum demerita moralia tam universa, quam singulorum. Cuiuslibet enim singillatim demeritorum moralium malitia tanta est, ut ratione contentus totius bonitatis divinae respectivae (204. n. 4) opponatur tum propriae suae beatitudini, quae in ratione boni longe maior est, quam cuiusque reprobi poena aeterna sit magna in ratione mali (hic Cor. VI.), tum ut plurimum etiam beatitudini aliorum proborum augendo in eis difficultatem boni moralis exercendi, et necessitatem ad malum morale (180.). Atqui omne malum magnitudine commensuratur bono, cui per se opponitur. Ergo sicut beatitudo singulorum reprobatorum maior futura erat, quam modo erunt singulorum poenae: ita et poenae istae in ratione mali minores sunt, quam erat singulorum malitia demeriti moralis; ac proinde per praec. singulorum poenae sunt infra demeritum condignum, atque adeo idem dicendum de omnium poenis univarse.*



## ARTICVLVS VI.

DE SORTE NATVRALI ILLORVM HOMINVM IMMEDIATE POST  
MORTEM, QVI NEC SEMPER BENE MORALITER EGERVNT  
IN HAC VITA, NEC IN MALITIA MORALI OBSTINATI  
HAESERE AD MORTEM VSQVE.

212.

**M**isericordia est promta et constans voluntas ad  
impedienda et amovenda mala aliena vere  
talia.

*I. Misericordia est pars bonitatis respectivae.*

*II. Quo excellentioribus remediis, quove certioribus, impedire et amovere aliena mala quis paratus est, quove ad hoc promptiore voluntate, et quo plurimum miserabilium respectu; eo magis misericors est.*

213.

*Ad perfectam misericordiam non pertinet (etiam cum spectata sola physica potestate quis id absolute posset) impedire, et amovere etiam ea aliena mala, licet secundum se vere talia, quae per accidens ita bonorum maiorum fore causae certo cognoscuntur, ut sine ipsis maiora illa bona obtineri nequaquam posse intelligantur* Est enim misericordia pars bonitatis respectivae, quae ut maxime perfecta sit, studio boni minoris non debet impedire bonum multo maius: est vero immunitas a malo minore minus bonum, quam aliud bonum multo maius eo, cui malum minus opponitur.

214.

*I. Misericordia itaque absolute summa est, et omnis defectus expers, quae perfecta promitidine voluntatis, et quantum est in sua potestate, impedit, et amovet omnia ab aliis mala, sine quibus felicitas communis maxima scitur esse obtinenda.*

*II. Mife-*

II. *Misericordia DEI, quae, ceu infinita, sine dubio absolute maxima est, omnia ea mala, physica et moralia, impedit, ne unquam eveniant, quae maximae communi creaturarum rationalium beatitudini consequendae obfutura praevidit; nec nisi ea permittit, sine quibus, ceu conditionibus et causis per accidens, finem illum ultimum haud consequendum reipsa praevidit.*

III. *Vnde DEI misericordia aequae ac ipsa bonitas respectiva per infinitam sapientiam perfecta reditudine ac sanctitate temperatur, ita, ut iustitiae, etiam poenas aeternas obstinatis improbis decernenti (210.), locum relinquat.*

## 215.

Qui natura sua infinite misericors est, id est, promptus ad impedienda et amovenda mala aliena, is nullo pacto facilis ac praeceps esse potest ad mala, praesertim ultima et insanabilia, aliis etiam commeritis in poenam irroganda, etsi ab eis contemptu affectus fuerit; maxime si per essentiam simul ita beatus ipse sit, ut molestiam ex id genus contemptu persentiscere talem omnino ne capax quidem sit, qua ipse in absolutissima beatitudine sua vel minimum turbetur. Quapropter, cum aeternae beatitudinis iactura et poenarum aeternarum irrogatio mala rationalis creaturae ultima et insanabilia sint, *evidens est, DEVM summe ac infinite misericordem nullo modo posse facilem aut praecipitem esse ad beatitudinem aeternam ulli creaturae rationali subtrahendam, et ad actu irrogandas ei poenas aeternas (210.); etiamsi ab ea malorum moralium perpetrationse extremo contemptu affectus fuerit (204.), illaque id genus poenam prorsus mereatur (207.).*

**I. DEVS** virtute misericordiae suae infinitae non nisi tunc et eatenus aeternam beatitudinis iacturam et poenas alterius vitae aeternas permittere, ac a se non impediendas decernere potest; quando et quatenus secundum infinitae scientiae et sapientiae suae consilium scit, ac praevidet, id esse necessarium ad finem optimum seu summam communem beatitudinem obtinendam. Si quid enim ultra hanc absolutam necessitatem permetteret in his malis tam grandibus, facilis iam esset in malorum permissione, nec misericors infinite.

**II. DEVS** ad mala moralia, communi felicitati non nisi leviter adversa et noxia, impedienda non potest uti intentatione malorum tam extremorum, quale est poena aeterna, ceu medio morali, nec istas poenas eis irrogandas decernere. Permittendo enim malum maius ad minus impediendum misericors omnino non esset; sed praeceptum ad male faciendum: impediret etiam magis, quam promoveret bonum commune, si levissimis defectibus moralibus, quos in tanta morali necessitate ad malum vix quisquam diu subterfugere solet, aeternam continuo poenam seu felicitatis omnis amittendae, seu tolerandae positivae infelicitatis decerneret. Atqui neutrum DEO convenit (praec.).

\* Ecce tibi in hoc secundo Corollario evidens fundamentum distinctionis inter peccatum veniale et mortale, quod vocamus, ab ipso manifesto rationis lumine supeditatum! Evidens enim est, DEI infinitae benevolentiae, qua sola ad agendum extra se movetur, repugnare, ut ad impedienda levia mala moralia, e. g. otiositatem, utatur medio morali tam severo, quam est poena aeterna, idque sine ulla necessitate, et cum detrimento communis boni.

217.

Qui tardus et minime facilis est ad vindicandum contemptum sui, aut quamcunque molestiam sibi illatam, *patiens et longanimis*, et, si omnem irae perturbationem in eo casu cohibeat, *mansuetus* dicitur. *Clemens* vero appellatur, qui facilis etiam est ad poenae commertitae irrogationem condonandam, cum citra communis boni periculum potest; aut saltem ad poenas minuendas, si remitti citra communis boni detrimentum ex integro non possunt.

218.

*Implacabilis severitas in quovis malo morali, utut de se gravi, per aeternas poenas sine remissione puniendo neque medium morale necessarium est ad impedienda mala moralia in vita praesente, neque aptum ad promovendam maiorem communem hominum beatitudinem in futura. Non est medium necessarium; quia sufficit incertitudo, in qua improbi omnes sunt, an non morte praeveniendi sint, antequam recto usu cuiuscunque demum remedii sibi adhuc relictis aeternae poenae condonationem a Deo contempto sint reipsa denuo obtenturi: siquidem mali aeternitas sufficientem movendi et a malo morali absterrendi vim semper habet in omni casu; etsi non absoluta certitudo, sed vel remotum solum periculum eius incurrendi cum mali moralis perpetrato coniectum esse intelligatur; praesertim si modus obtinendae condonationis poenae aeternae, simul ac ipsius amissae beatitudinis recuperandae, non sit nimis facilis. Sed multo minus est medium aptum ad maximam communem hominum felicitatem ac beatitudinem promovendam: siquidem si malo cuivis morali vel semel ad-*

admisso irreparabilis iactura beatitudinis et poena aeterna inevitabilis responderet; et ipse beatorum numerus in tam proclivi ad malum morale patrandum infirmitate (132.) nimium quantum minueretur, et ipsa desperatio, primo cuique piaculo succedens, non modo ipsos improbos ad ultima scelera obfirmaret, sed et ad multo acrius infectandos probos incitaret, cum summo periculo constantiae istorum labefactandae, atque adeo etiam beatitudinis ab istis amittendae. Ergo etc. etc.

219.

*Dubitari non potest, quin DEVS etiam summe clemens sit et facilis ad ignoscendum per omne vitae tempus iis, quicunque post mala moralia gravia perpetrata ante vitae istius finem de eisdem seriam atque efficacem poenitentiam agunt.* Evidens enim est, DEVM infinite misericordem sola medii istius necessitate ad maiorem communem salutem adigi posse ad mala ultima insanabilia, id est, ad poenas aeternas creaturae rationali, male licet de se meritae, irrogandas (216.). Vbi ubi ergo haec necessitas iustitiae suae vindicis exercendae bonitatem et misericordiam non temperat (210.); ibi misericordia haec mala ultima impedit, et soli venturae necessitati reservat. Atqui adeo implacabilis id genus iustitiae severitas universe necessarium medium non est ad maius commune bonum, imo nec medium aptum ad eum finem (praec.); ut potius patiens longanimitas (mortis et temporis misericordiae incertitudini ac qualicunque veniae impetrandae difficultati coniuncta), veluti medium morale apprime aptum et sufficiens, improbos ad emendandum errorem invitet, ac probos ab eorundem desperata malitia liberet. Ergo etc. etc.

220. Pro

## 220.

*Pro vehementia et frequentia actuum voluntatis, quae quisque in malum morale a se perpetratum ferebatur, remanent in mente hominis ac phantasia mali habitus ac dispositiones ad similes inordinatos affectus (70.); quibus deinceps semper pro gradu eius vehementiae et frequentiae crescit necessitas moralis ad idem malum morale saepius perpetrandum (132.).* Constat ex Psychologia.

## 221.

*Non decet DEVM eam reddere facilitatem obtinendae plenae condonationis demeriti illius moralis, quo quisque male moraliter operans ipsum contemnit, et communi felicitati adversatur (204.), ut non sufficientibus mediis moralibus promoveat extirpationem ac destructionem pravorum habituum, ex praeteritis actibus moraliter malis relictorum, et ad iteranda eadem mala moralia necessitatem moralem innatam intendentium.* Non enim decet DEVM infinite sapientem facilitate veniae promovere relapsum in antiqua mala moralia, et cum istis in ipsam aeternam ruinam; ex quo utroque communis salus et beatitudo communis demum consecutura minueretur. Atqui id ipsum faceret, si veniam obtinendae plenae condonationis demeritorum moralium ita facile impertiretur, quin mediis moralibus sufficientibus promoveret extirpationem et plenam destructionem pravorum habituum, ex praeteritis malis actibus moralibus in mente relictorum, atque pro vehementia et frequentia istorum necessitatem moralem agendi moraliter male intendentium (praec.). Ergo etc. etc.

222. Ex-

222.

*Extirpatio pravorum habituum, ex praeteritis actibus moraliter malis contractorum, naturali lege non fit, nisi per actus contrarios directe, vel indirecte. Vide Psychol. 352.*

223.

*Itaque DEVS medijs moralibus sufficientibus post mala moralia perpetrata promovere debet actus, eisdem malis moralibus directe, vel indirecte contrarios, quibus pravi habitus ex eis relictis destruantur; nec nisi sub conditione pravorum habituum istorum, per actus contrarios plene destructorum, plenam demeriti moralis condonationem impertiri secundum sapientiae suae consilium debet (221. 222.).*

224.

*Post mortem corporis si supersint in homine pravi habitus, ex malis moralibus relictis, soluto inter corpus et animam commercio, et facultate sublata utendi, seu bene seu male, mundo hoc universo corporeo (152. II.), nihil aliud naturali lege superest, nisi taedium ex intuitu propriae imperfectionis et pravorum habituum, ex praeteritis malis moralibus perpetratis contractorum, magnitudine sua eidem imperfectioni propriae et intuitus claritati commensuratum (39.); quae intuitus istius claritas ex attentione ad hoc obiectum unicum, ceu nullis aliis praesentibus obiectis turbata, intenditur. Ad id genus enim intuitum tum ratio possibilitatis, tum existentiae, completa suppetit in ipsa substantia et dispositione praesente mentis ceu in obiecto, et in facultate sensus intimi, quo se ipsam secundum accidentia sua immediate intueri anima potest. Praeter ista autem, soluto inter animam et corpus commercio, et destructis organis, queis mundum istum eiusque*

que actiones sentire distincte anima possit, distinctae sensationis aut cognitionis superesse nihil admodum potest, deficiente facultate seu organo omni distinctae sensationis.

• Imperfectio propria ex comparatione ad contentam DEI excellentiam, super cuius magnitudine tunc reflectendi summum otium erit, mirifice illustrabitur.

## 225.

*Sublatio omni usu istius mundi atque proprii corporis post mortem, ex ipso taedio, ab intuitu imperfectionis propriae nascente (praec.), cuius levamen aliud iam non superest, desiderium fruendi DEO, seu sine ultimo obiectivo, singularem quemdam in modum excrescat necesse est.* Quamquam enim mens humana, gustata semel per communem naturae sensum (103.) possibilitate fruendi DEI, ut sine obiectivo ultimo, porro nusquam quiescere possit (94.); nihilominus in vita praesente, in qua liber usus mundi istius totius corporei eidem superpetit, utcunque inquieti desiderii sui diverticula et solatia in voluptatibus, seu veris, seu apparentibus in mundo praesente obviis, in promptu habet; ubi ex adverso non alias malorum sensus molestior et taedium acutius esse solet, quam si omne attentionis in proprio malo defixae diverticulum et levamen absit. Quodsi itaque, mundanis omnibus diverticulis sublatis, in una propria praesente imperfectione mens solitaria defixa haesura post mortem sit, pro magnitudine taedii eo intuitu percepti profecto desiderium crescet unius illius obiectivi boni, DEI videlicet, intuen- di, eiusque intuitu beatifico fruendi; quod unum verum purumque bonum sibi superesse pro illo otio clarissime et evidentissime intelliget.

*Statler Eth. christ. univers.*

K

226. *Ne-*



226.

*Necessitas disiunctiva, aut pravos habitus ex praeteritis actibus moraliter malis contractos per actus contrarios destruendi in hac vita (222.), aut in huius omissi officii poenam sentiendi tristes effectus dilatae ad tempus proportionatum beatitudinis post mortem, est medium morale aptum et sufficiens ad promovendos actus pravis illis contractis habitibus contrarios, ac proinde a DEI iustitia conditionis instar ad plenam malorum moralium veniam obtinendam per se constitutum. Est medium aptum; quia virtute motivi impellentis instructum. Est sufficiens; quia dilationis tempus, pravorum habituum post mortem residuorum magnitudini et multitudini proportionatum, vim quoque movendi proportionatam fini habet, ad quem movere debet. Itaque uti hoc medio DEI iustitiam decet (223.), quin misericordia, aut clementia obstare possit (213. 221.).*

227.

*Itaque etiam solo naturali lumine evidens est, iis omnibus hominibus, qui post varia mala moralia in hac vita perpetrata tam efficacem poenitentiam non egere, ut actuum, directe, vel indirecte, contrariorum studio relictos ex iis malis moralibus pravos habitus plene extirparint, per se loquendo (nisi videlicet DEVS lege positiva alia ipsis plenae condonationis media sufficiat) post hanc vitam temporalem poenam dilatae ad proportionatum tempus beatitudinis, et oriturae exinde gravis tristitiae (225.), luendam superesse.*

\* Dixi, per se et nisi etc. siquidem constat utique ex religione Christiana revelata, varia alia media, ab ipsis actibus hominis poenitentis diversa, modo DEI largitate nobis concessa esse ad alterius vitae poenas penitus extinguendas. Quamquam de his ipsis mediis uni-

universis facile esset demonstrare, singula saltem indirecte ad eundem finem valere, nimirum ad cavendum relapsum, ex aucta per pravos habitus necessitate morali oriturum, vel quod supernaturales gratias producant, vel quod id genus opera coniuncta habeant, quae ipsa quoque indirecte, vel directe, pravis habitibus et actibus adversentur.

\*\* Ecce itaque *demonstratam* modo aequae purgatorii, ut vocant vulgo, *existentiam*, atque poenarum improbis ad mortem usque obstinatis constitutarum aeternitatem (210.). Nec vero plus dogmatis instar hac de re proponit religio Christiana, nec Ecclesia Catholica. Vnde non capio, quo fundamento dogmati, tam per se convenienti cum lumine naturali, se tam obstinate opponant protestantes: nisi forte ea sint in errore, ut putent, omnia, quae nimis creduli et indocti homines Catholicos inter de purgatorio opinantur, ad fidei Catholicae dogma pertinere, aut a cordatis Theologis Catholicis pro tali haberi.

## CAPVT V.

DE SVBSTANTIA CONSEQVENDAE REIPSA A  
PROBIS IN FVTVRA VITA BEATITVDINIS,  
QVOAD ILLAM NON IAM EX SOLA RATIONE  
NATVRALI, SED EX DEI MAXIME  
REVELATIONE DISCIMVS.

### ARTICVLVS I.

AN PER SOLAS VIRES NATVRAE VEL AD DEI IMMEDIATVM  
INTVITVM, VEL AD VERAM BEATITVDINEM, RATIONALIS  
CREATVRA ALIQVA ABSOLVTE PERVE-  
NIRE POSSIT.

228.

*Per immediatum DEI intuitum intelligi aliud non potest, nisi intuitus sensus interni mentis creatae in ideam immediate repraesentantem ipsum DEVM.* Non enim

K 2

enim datur in mente creata aliã facultas cognoscendi, nisi sensus internus, et intimus. Sensus internus pro obiecto habet ideas ab extrinseco per organa sensuum acceptas, in quibus res extraneas, ceu earum idearum causas, cognoscit, et super quibus ideis reflectendo intuitus varias simplices et compositas abstrahendo et componendo ideas efformat. Sensus intimus pro obiecto habet ipsos actus seu intuitus sensus interni, in eisque, ceu effectibus suis immanentibus, mens se ipsam cognoscit veluti causam. Non itaque sensu intimo, sed solum sensu interno res a se distinctas ope idearum ab extrinseco acceptarum mens intueri potest. Porro nisi idea quaecunque, ceu obiectum immediatum sensus interni, DEVM immediate repraesentaret, in ea DEVM immediate mens sensu interno intueri non posset, sed id solummodo obiectum immediate in ea idea intueretur, quod haec immediate repraesentaret. Ergo per immediatum DEI intuitum etc. etc.

\* Suppono id, quod iam in Logica demonstravi, nullas dari ideas innatas.

229.

*Nulla idea ab extrinseco accepta DEVM immediate repraesentare potest, nisi ab ipso DEO, tanquam causa immediate efficiente, in mente producat. Quod si enim talis idea immediate sit a causa quacunque creata efficiente, more omnium effectum repraesentabit solummodo immediate aliquam perfectionem causae suae efficientis, non vero causam remotam, quae DEVS est respectu omnium rerum creatarum.*

230. Ita-

230.

*Itaque evidens est, ad immediatum DEI intuitum per solas vires naturae nullo pacto hominem, aut creaturam ullam rationalem aliam, pervenire posse, sed sola ipsius DEI, sui ideam claram et distinctam menti creatae actione immediata immittentis, omnipotenti facultate ad illum nos perductum iri.*

231.

*Ex universis ideis, quas de rebus creatis et hoc toto mundo ipsarummet actione mens nostra acquirit, reflexione mentis, abstractione, et compositione, non nisi factitia quaedam et abstracta DEI notio acquiri a quacunque mente creata potest, quae, ceu obiectum immediatum, perfectiones in hoc universo mundo dispersas utcunque distincte repraesentet, et, quod ultra has omnes mundi finitas perfectiones in DEO, ceu ente infinito, perfectionis superest, reiectis omnibus defectibus creaturarum propriis, confusa realitatum purarum notione exprimat. Constat hoc ab ipsa experientia intima ex modo, quo DEI et entis infiniti notionem in hac vita formamus: quae ex incremento distinctionis, qua spiritus creatus quiscunque perfectior pro sua perspicacia res creatas super acceptis per eas ideis intimius reflectendo pervidere potest, crescere quidem perfectione potest; sed nunquam ultra id aliquid distincte de DEO exprimere, quam quod in mundo ipso universo participatae a DEO perfectionis reipsa inest: cum effectus causa sua utique perfectior esse nequeat.*

232.

*DEI cognitio, quaecunque perfecta, ope notio- nis abstractae, per vires naturae creatas possibilis sit (praec.), beatitudinem formalem proprie talem nulli creatae menti constituere omnino potest. Est enim*

K 3

omnis

omnis beatitudo formalis status verae et purae voluptatis perpetuo perdurans, et instar purae felicitatis, nulli taedio mixtae (97. 96.), quae mentis omnimodam quietem per se afferre debet. Atqui DEI cognitio seu intuitus non immediatus, sed in idea solum a mundi istius actionibus in mente producta ope abstractionis et compositionis solummodo a mente ipsa ex hac idea ceu obiecto immediato formatus, cum intuitu imperfectionis cuilibet obiecto mere finito et creato insitae (22.), necessario coniunctus, imo ipse ob confusionem suam (praec.) imperfectus, ac proinde taedio mixtus est, ac ne quidem per se perpetuo perdurans, nec difficultatis ob reflexionis conatum expers etc. etc. atque adeo purae felicitatis statum, seu beatitudinem proprie talem (97.) conficere nunquam potest. Sed nec idem afferre menti quietem potest, sensu ipso quippe communi naturae omnibus dictante, DEVM infinite erga creaturas suas rationales benevolum non defuturum auxilio suo etiam supernaturali, quo ad ipsum eius immediatum beatificum intuitum perducamur; si ex parte nostra non fuerit ex morali aliquo malo nostro defectus (103. 105. 112.). Ergo DEI cognitio etc. etc.

\* Quod itaque S. Augustinus dixit L. I. Conf. c. 1., id etiam lumine naturali evidens est: *Fecisti nos ad te, Domine, et inquietum est cor nostrum, donec quiescat in te.*

233.

*Itaque evidens est, sicuti non ad immediatum DEI intuitum, ita nec ad veram beatitudinem, per solas naturae vires quemquam hominum posse actu pervenire (230. 232.).*

\* Si

• Si quis sola ignorantia de possibilitate altioris felicitatis, in cognitione DEI abstracta atquiesceret, vere beatus non foret (98. III.).

234.

*Facta historica quaedam, ad Christianum dogma quoque pertinere assertum 230. de immediato DEI intuitu per naturae solius vires non possibili, ostendunt* Nam. 1.) vertente quarto Ecclesiae Christianae seculo (uti refert testis contemporaneus S. Epiphanius haeresi 76ta, et post hunc S. Augustinus haeresi 54ta.). Aëtius, huiusque discipulus Eunomius, asseruere, se virtute naturali DEVM tam perspicue, quam se ipsos, nosse et scire.

2.) Seculo ineunte quarto decimo in Concilio Oecumenico Viennensi damnatus similis error Beguardorum et Beguinarum a. 1311. sub Clemente V. Papa, qui praeter alia tenebant, *posse hominem in praesente vita beatitudinem finalem secundum omnem perfectionis gradum assequi, sicut eam obtinebit in vita beata; quodve quaelibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter sit beata, nec anima indigeat lumine gloriae ipsam elevante ad DEVM videndum, et eo beate fruendum.* Vide Clement. Lib. V. Tit. III. de haereticis Cap. 3.

3.) Errorem Aëtii et Eunomii (qui ambo natione Graeci, et ordine Episcopi fuere, Eunomius quidem Cycizenus; Aëtius ignoratur, ubi fuerit; etsi Philostorgius, testis proxime coevus, affirmet pro certo, eum sub Iuliano Imperatore Episcopatum accepisse una cum agro Lesbienfi), ut haeresin certam et S. Scripturae contrariam, acerrime impugnarunt *Patres Graeci* inprimis coevi ac illorum populares, nominatim S. Basilius in

K 4

libris

libris V. adversus Eunomium et Epist. 400. et 401. S. Epiphanius in haeresi 76ta, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. S. Gregorius Nyssenus lib. XII. contra Eunom. S. Chrysostomus Orat. 5. contra Anomaeos, S. Cyrillus Ierosolymitanus Catech. VI. Ex latinis Patribus eundem refutarunt S. Ambrosius, comment. in S. Lucae cap. 1. S. Augustinus L. XIX. de Civit. cap. 25.

4.) S. Scripturae loca sequentia praecipue Patres isti, et post illos Theologi communi consensu, adversus errorem illum allegant, atque ceu illi e diametro contraria intelligunt. a) I. Timoth. VI. 16. *Qui lucem inhabitat inaccessibleem; quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* b) Ad Rom. VI. 23. *Gratia DEI vita aeterna in Christo IESU, Domino nostro.* Atqui secundum illud Ioan. XVII. 3. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum DEVM.* Ex quibus, cum S. Augustino Ep. 112. cap. 14. arguunt, DEVM demonstrari, viribus naturae invisibilem esse: cum certum sit, supernaturalem DEI visionem non repugnare; uti infra ostendetur. Vnde et c) I. Tim. I. 17. dicitur *invisibilis: Regi saeculorum immortalis et invisibili, soli DEO, honor et gloria.* Denique d) I. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.*

\* Operae pretium non videtur refutare argumenta futilia haereticorum illorum; cum ratione naturali 229. et seq. allata satis falsi convincantur. Fuere tamen Theologi, qui, his insuperhabitis Scripturae, Patrum, et Concilii Viennensis effatis, existimarunt, eisdem solum evinci, DEI immediatum intuitum solum per vires naturae in mundo praesente existentes non esse possibilem; non autem, quod is absolute in omni intellectu creato repugnet. Verum inanis ista disputatio ratione generali loc. cit. proposita abunde eliminatur.

•• Eunom-

•• *Eunomiani*, cum de Verbi divini a Patre dissimilitudine quoque perversum dogma tenerent, *Anomaei* pariter vulgo sunt appellati, atque hoc sub nomine quoque apud Patres, errorem, de quo hic agimus, refutantes, occurrunt.

## ARTICVLVS II.

BEATITVDO FVTVRAE BEATITVDINIS SVPERNATVRAE IN VITA SECVTVEA PER IMMEDIATVM DEI INTVITVM DEMONSTRATVR.

235.

*Possibilis est intrinsece et extrinsece intuitus DEI immediatus.* Hunc enim constituit a priori idea, immediate a DEO menti impressa, et mentis in ideam istam intuitus, instar sensationis internae elicitus (229.). Atqui possibilis est et idea illa et intuitus iste, intrinsece et extrinsece. Sunt enim possibilee ideae immediate menti impressae ab rebus creatis quibuscunque; quae res creatae omnes non sunt, nisi participatae quaedam similitudines finitae entis divini infiniti: ergo nec impossibilis est idea ipsius entis infiniti, ab eodem immediatam propria actione menti impressa. Porro si possibilis intrinsece et extrinsece est idea talis, etiam erit possibilis utroque modo mentis in sui intimam modificationem intuitus, perinde atque in alias ideas, impressione seu actione extranea receptas.

*Aliter.* Sensu intimo nobis conscii sumus de appetitu nostro naturali (93.), saltem inefficaci, quo DEUM, postquam illum semel, ceu unicum primum bonum, cognitione saltem abstracta cognovimus (101. 102.), etiam intueri in se ipso immediate omnes appetimus; etsi ob virium nostrarum

K 5

com-



compertam experientia insufficientiam is appetitus efficax ante non sit, quam unde unde cognoscamus DEI benevolam voluntatem, qua paratus sit, vires nostras in eo beatifico DEI intuitu nobis largiendo, supernaturali virtute supplere. Atqui nullius rei conceptum omnino appetitu naturali etiam inefficaci (aut conditionato, ut alii vocant) appetere absolute possumus, nisi cuius conceptus positivus aut actu praesens existat; aut cuius saltem conceptum in nobis absolute possibilem esse confuse praevideamus (49. 50.). Necessesse igitur est, ut sensus communis naturae actu nobis insit, quo DEI conceptum (seu intuitum) immediatum confuse possibilem esse praevideamus. Iam vero talis sensus naturae communis, maxime circa finem nostrum ultimum versans, fallere omnino non potest. Vide in Logica 287. Possibilis ergo est intrinsece, atque adeo etiam per DEI omnipotentiam extrinsece, immediatus DEI intuitus &c.

\* Theologi Catholici istum intuitum DEI immediatum vulgo *visionem DEI beatificam* seu *intuitivam*; DEI vero concursum supernaturalem, qui ad eam necessarius est, *lumen gloriae*, praesente Concilio Viennensi loc. cit. (234. n. 2.) appellant: quod posterius proin in illa idea a DEO immediate impressa consistet. Sed de hoc plura inferius; ubi et illud explicabitur, quod unum priori demonstrationi cum difficultatis specie opponi potest, videlicet utrum illa idea sit idea entis infiniti, vel utrum DEUM tantum exprimat ut ens finitum, cum ipsa utique finita esse debeat, ut recipi finito in subiecto possit.

\*\* Ceterum prior probatio directa, et a priori deducta, se sola convincens non est, magisque negativa, quatenus videlicet negat, impossibilitatem talis intuitus ostendi posse. Sufficiet tamen ad hoc, ut ostensio certitudinis talis visionis beatificae ex DEI revelatione firma adversus philosophos antichristianos consistat.

\*\*\* Po-

\*\*\* Posterior probatio certissimos quidem de talis visionis beatificae possibilitate nos facit, sed modum possibilitatis obscurum perinde atque revelatio ipsa divina relinquit.

236.

*Idea adaequata* obiecti dicitur, quae determinationes rei omnes formaliter distinctas singillatim clare repraesentat. Intuitus in ideam rei adaequatam, singulas determinationes ab ea repraesentatas adperceptione sua discernens, rei seu obiecti *comprehensio* appellatur.

237.

*Non est possibilis DEI comprehensio in intellectu creato.* DEUS enim est ens infinitum, et per hoc ipsum est Spiritus infinite perfectus, quod et se ipsum et cognoscibilia omnia intuitu suo comprehendat. Ergo DEI comprehensio finita esse non potest; ac proin nec inesse enti seu intellectui finito.

• Quod ratio docet, etiam DEI revelatio Iob. XXXVI. 26. aperte satis enuntiat: *Ecce DEUS magnus, vincens scientiam nostram.*

238.

*Non est possibilis in subiecto rationali finito comprehensio ullius substantiae creatae.* Omnis enim substantia creata est individui in morem omnimodis determinata, et omnis contradictionis alterutram determinationem complectitur, affirmativam, vel negativam. Determinationes affirmativae, ceu reales, intuitu seu conceptu positivo, negativae negativo, exprimi deberent (16.), si intuitu adaequato substantia creata comprehenderetur. Iam vero quam ad conceptum affirmativum

vum opus est idea determinationis realis, cuius is est intuitus; tam etiam ad conceptum negativum determinationis negativae opus est idea realitatis eidem contradictoriae; ut patet ex notione conceptus negativi loc. cit. data. Ergo ad comprehensionem vel unius substantiae creatae opus est et ideis omnium possibilium realitatum, et earundem singularum intuitu; id est, opus esset idea totius entis infiniti eiusdemque comprehensione. Atqui haec possibilis non est in subiecto finito rationali (praec.): ergo nec possibilis in eodem est comprehensio substantiae ullius finitae.

239.

*Ex eo, quod mens nulla creata DEUM comprehendere possit (237.), nullo pacto vel probabiliter infertur, quod DEUM secundum se et essentiam suam intuitu immediato intueri non possit.* Mens enim humana res creatas, sibi immediate actione sua praesentes, immediata visione intuetur; et tamen nullam earum comprehendit. Ergo et DEUM, actione sua determinante ideam sui, sibi immediate praesentem, sine comprehensione vere immediate intueri potest.

\* *Dicunt vulgo: Vel DEI idea, cuius intuitu beati fruerentur, esset idea finita, vel infinita? Non primum; quia talis non esset DEI eiusque essentiae infinitae idea: non alterum; quia est impossibilis in subiecto creato. Resp. esse finitam; quia est creata: et nego sequelam ob retorsionem modo datam.* Etiam idea DEI non adaequata, ac proin finita, a DEO, ceu a causa, immediate in mente hominis producta, erit ipsius DEI eiusque essentiae immediata idea, licet non omne, quod in DEO est, exprimat, sed tantum solummodo, quantum simul capere subiectum, id est, mens humana potest: sicuti causae creatae immediate agentis in animam idea, licet non adaequata (238.), propria eius  
et

et immediata idea est, in qua, ceu in effectu, causam mens secundum se immediate, id est, nullo alio mediante, cognoscit. Discrimen inter DEI ideam ortumque exinde DEI immediatum intuitum, atque inter intuitum immediatum cuiusque substantiae creatae, hoc erit; quod intuitus DEI non nisi purum bonum intuebitur, id est, meras realitates; licet non omne formale bonum, quod est in DEO, seorsim clare et distincte intelligat: contra intuitus quiscunque substantiae creatae semper intuetur bonum non purum, sed mixtum malo, ac proin non voluptatem puram, uti ille, sed mixtam taedio importat.

\* \* Ceterum ope talis ideae, a DEO immediate in mente productae, mens DEUM immediatius, quam res quascunque sensibiles sibi actu praesentes, intuebitur: quia res istae nunquam immediate, sed semper mediante sensus organo, in mentem agunt, nec proin immediatum effectum sui que ideam in ea producant, sed solum mediate.

240.

*Si mens humana intuitus DEI, ceu beatitudinis verae obiectivae, etiam supernaturali DEI virtute interveniente consequendae, per se capax est; aequae manifestum est, DEUM hunc benevolentiae suae et bonitatis respectivae effectum ac favorem hominibus, aut semper bene moraliter operantibus, aut saltem de malo morali perpetrato rite in fine poenitentiam agentibus, indulturum; atque evidens est per 145., quod beatitudinem eis aeternum duraturam qualemcunque sit impertiturus: vel quod idem est: si homines beatitudinis supernaturalis, per immediatum DEI intuitum consequendae, per se capaces sunt; DEUS illam singulis illorum, nullum benevolentiae DEI impedimentum ex parte sua per obstinationem finalem in malo morali opponentibus, certissime est largiturus. DEI enim amor benevolus et bonitas respectiva per se ipsam infinita est, nec aliter, nisi necessitate, ab ipsa*

ipsa creaturae rationalis obstinata morali malitia sibi imposita, secundum consilium sapientiae suae infinitae per iustitiam temperatur (209. 210.). Quoniam itaque sub dicta hypothese nihil ex parte creaturae adest malitiae moralis, quod eam temperamenti necessitatem DEO imponat; cum nec beatitudinis concessionem simpliciter impedire mala moralia per poenitentiam efficacem retractata possint (219.): aequae evidens est, DEUM nec supernaturalis beatitudinis impertiendae favorem suoapte arbitrio tali creaturae rationali subtrahendum; atque evidens est, quod bene moraliter semper agentibus non solum temporaneam, sed aeternam beatitudinem largiturus sit (146.): praesertim cum sine DEI intuitu immediato aequae nulla omnino vera beatitudo creaturae rationalis possibilis sit (232.); atque nulla possibilis est sine securitate de aeterna eius perduratioe (124. II.).

• Atque hic demum limes est, quo usque (nisi fallor) humana ratio naturalis circa provisionem certam futurae sortis suae in altera illa secutura vita pertingere absolute potest. Siqua demonstrationis istius adhuc obscuritas atque umbra superest, plenae lucis expers; ea qualiscunque, certe modica praecise circa capacitatem humanae mentis adhaerescit; quam tamen clara revelationis divinae lux per religionem Christianam diffusa breviter ex integro dispellet. Interim hanc demonstrandi viam in effectus supernaturalis existentiae ex meris principiis lumine naturae notis afferenda tenere absolute necessum est: eo quod ex metaphysica notione effectus supernaturalis constet, huius existentiae capacitatem eiusdem recipiendi in subiecto omnino supponere. Si de hoc tamen dubitas, vide sis *Cosmologiae meae*. 290. 291.

*Beatitudo supernaturalis, in DEI immediato intuitu seu visione consistens, a DEO debita non est ulli creaturae rationali.* Debitum enim obligationem supponit ab alio impositam debitori, seu necessitatem moralem, quae non nisi ab habente physicam potestatem in alterum determinari potest. Atqui &c. Vide 176.

\* Evidens est ex hac demonstratione, etsi DEUS certissime sit beatitudinem istam supernaturalem probris post hanc vitam largiturus ex naturali benevola inclinatione bonitatis suae erga omnes creaturas racionales, nullum suae beneficentiae ex ipsarum parte ponentes impedimentum; nihilominus nullam idcirco debiti rationem DEO ab extrinseco imponi, sed omnem illum effectum ex innata DEI bonitate infinita per se nasci, ea sola conditione ex parte hominum supposita, quam dixi. Manet itaque tota illa huius beneficii collatio et beatitudo ipsa prorsus supernaturalis, et quidem quoad substantiam: cum nullo pacto per vires solius naturae determinari eius existentia possit (233.). Manet quoque illi ratio verae gratiae et beneficii indebiti: quia, etsi non nisi aliquo (quocunque) pacto merenti, tribuatur, tamen ipsa facultas eam merendi, ex eo fine concessa, ut bene merenti cum maiore gloria dari posset instar praemii (164. 165. seq.), mera gratia est et verissimus effectus praevii veluti illius benevoli affectus, quo DEUS absolute decrevit, hos nominatim homines in hoc mundo praevisos ad beatitudinem supernaturalem per propria bene merita perducendi: id quod etiam ex S. Scripturis, Ecclesiae ipsius ore in Concilio Viennensi nobis explicatis, discimus (234. n. 2.), cum Psalmista Ps. LXXXIII. 12. ait: *Gratiam et gloriam dabit Dominus*; et Apostolus ad Rom. VI. 23. *Gratia DEI vita aeterna per IESUM Christum.*

\*\* Erravit ergo non solum contra fidem, sed etiam contra philosophiam, tum *Pelagius* olim negans gratiae supernaturalis necessitatem ad beatificam DEI visionem, a S. Augustino in scriptis pluribus refutatus, et

et a pluribus Pontificibus Romanis et Conciliis condemnatus; tum *Michael Bajus* Doctor et Cancellarius Lovaniensis, in propositionibus 11. et 18. a Pio V. et Gregorio XIII. damnatis asserens, ordinationem et sublimationem hominis ad vitam aeternam supernaturalem debitam esse homini innocenti eiusque meritis naturalibus &c. Vide dicta a me in Theol. Naturali 373. 725.

\*\*\* Ceterum, demonstratione semel obtenta de thesi 233. asserta, sapienter abstinendum puto ab solvendis inanibus sophismatis, quae pro asserenda possibilitate alicuius creaturae rationalis tam perfectae olim congerebantur; cui DEI visio intuitiva naturalis fit: neque enim seculi nostri ratio iam fert talia patienter.

## 242.

*Christianae religionis dogma est, probos homines in futura vita DEUM intuitu immediato, seu visione beatifica immediata, visuros. Nam 1.) Scriptura id clare asserit a) I. Ioan. III. 2. Carissimi! nunc filii DEI sumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam eum videbimus, sicuti est. Quocumque enim modo videbitur DEUS a probis in vita altera, nisi immediato intuitu eum intueantur (228. 229.); non videbunt eum, qualis est in se, et sicuti est in essentia, per quam solam res quaelibet talis est (231.). b) Matth. V. 8. Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt. c) I. Corinth. XIII. 12. Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum. Apostolus opponit cognitionem DEI, quam in praesente vita quantamcumque nancisci possumus, illi, quam beati sint consecuturi in futura, illamque dicit esse similem aenigmati, id est, alienis fieri speciebus, non DEO proprijs*  
(quod

(quod abstractae a creaturis cognitioni convenit), et solum esse DEI cognitionem ex parte; quantum scilicet relucet eius similitudinis in creaturis, ceu in speculo, a quibus eius cognitionem abstrahimus: at istam in futura vita DEI cognitionem dicit fore praesentis intuitum (facie ad faciem), ac talem, quali nos DEUS ubique praesens immediate intuetur.

\* Ultimo huic loco in speciem clarissimo difficultas oboritur ex alio Scripturae loco nimirum Exod. XXXIII. 1. ubi dicitur: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; item Numer. XII. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore ad os loquor ei, et palam, et non per aenigmata et figuras Dominum videt: et tamen ex communi Patrum Ecclesiae sententia idcirco Moyses DEUM non immediato intuitu vidit in se ipso, neque id indicant verba, facie ad faciem, ore ad os loqui, non per aenigmata, sed solum intellectualem quamdam DEI visionem, et excellentiorem omni repraesentatione corporea externa et phantastica interna; cum DEUS ipse loco cit. Exodi v. 18. petenti Moyfi videre gloriam DEI respondeat v. 20. Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, et vivet: ergo nec verba S. Pauli allegata plus innuunt. Resp. Ex ipsis DEI verbis modo ex v. 20. citatis recte arguitur. Ergo postquam homo vixerit, tunc videre DEUM poterit immediate. Deinde Paulus loc. cit. addit: *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum.* Denique ceteri textus et Ecclesiae interpretatio rem plenius evincunt.*

2.) Concilium Florentinum idem a. 1439. in Sessione XXVI. in ipso unionis solenni Decreto his verbis definivit: *Diffinimus, . . . illas animas, quae post peccatum sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare DEUM trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio per-*  
*Stattler Eth. christ. univers. L sectius*



*fectius*. Idem iam a. 1336. Benedictus XII. Papa in solenni edita Constitutione definierat, quae incipit: *Benedictus DEUS*: in qua ait; *animas iustorum DEI essentiam facie ad faciem videre*.

3.) *SS. Patres, Graeci et Latini*, id ipsum communiter asserunt: et si aliqui contra Eunomianos disputantes (234. n. 3.) subinde negare videntur, DEUM etiam ab Angelis iam beatis secundum essentiam videri; de visione comprehensiva (de qua supra 237. diximus) loqui intendunt, uti *SS. Chrysostomus et Cyrillus Alexandrinus* ex Graecis, et ex Latinis *SS. Ambrosius, Cyprianus, et Hieronymus*; quem postremum tamen S. Augustinus (quamquam minus consone contextus tenori) de visione corporea DEI solummodo id negasse interpretatur. *Theodoretus* excusari non potest ab errore manifesto; nec *Origenes*, si antiquioribus eius scriptorum exemplaribus potius, ut decet, habeamus fidem, quae a *SS. Epiphano et Hieronymo* de hoc argumento allegantur, quam posterioribus a *Rufino* editis et depravatis. Vide de his omnibus *Petavium L. VII. Theol. Dogm. Cap. V. et VI.*, qui post haec *Cap. VII. testimonia Patrum tam Graecorum, puta Irenaei, Clementis Alexandrini, Epiphani, Gregorii Nazianzeni, quam Latinorum, nempe Augustini, Gregorii Magni, Prosperi, Bernardi, ubertim refert*; in quibus, *DEUM a beatis videri, sicuti est, simpliciter affirmant*.

\*\* Ceterum fatendum, difficilius hac de re passim locutum S. Chrysostomum, et eius fortassis auctoritate praecipue seductum fuisse Theodoretum et alios scriptores graecos minoris nominis; maxime quod nusquam alias Chrysostomus satis clare mentem suam explicarit. Putat tamen recte *Petavius noster Lib. cit. Cap.*

Cap. V. S. Chrysoſtomum ſolum dicere voluiſſe: DEUM eo ſenſu *invifibilem* absolute eſſe, quod omnis viſio competens comparatione eius, qua DEUS ſe ipſe videt, quae viſibilis per ſe eſt, inſtar nullius viſionis reputari poſſit eo ſenſu, quo apud Iſaiam XL. 17. dicitur, *omnes gentes quaſi non ſint, ſic eſſe coram DEO, et quaſi nihilum et inane reputari.* P. Berthi quoque eundem S. Chryſoſtomum ſtudioſius defendit L. III. Cap. IV. Sed demus, traditionem Patrum vel non eſſe ſibi omnino conſentientem, vel non apertam fatiſ; hodie tamen Scripturae ſenſum Eccleſiae definitio fatiſ reddidit apertum et indubitatum.

\*\*\* Quoniam porro beatitudo, in immediata DEI viſione intuitiva conſiſtens, quoad ſubſtantiam ſupernaturalis eſt, ac proin non niſi concurſu quodam ipſius DEI Omnipotentiae effici et exiſtere in mente creata poſteſt, idcirco quaerunt Theologi, *qualiſ ſit concurſus ille diviniſ.* Reſp. 1.) *Scriptura Sacra illum vocat lumen Pſal. XXXV. 10. Quoniam apud te eſt fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.* 2.) *Concilium Viennenſe contra Beguardoſ & Beguinaſ, qui negabant, animam indigere lumine gloriae ipſam elevante ad videndum DEUM, & DEO beate fruendum, iſtum errorem de lumine gloriae damnans requirit lumen gloriae, ceu concurſum DEI a priori. Itaque I. lumen hoc gloriae ex mente Concilii nec DEUS ipſe eſt ut immediatum intuituſ mentis obiectum; ſecus enim damnari non debuiffent Beguardi, qui non negabant DEUM obiecti ſaltem inſtar intervenire: II. nec illud lumen eſt ipſa viſio; quia ſecundum Concilium a priori ad hanc requiritur, ceu elevans, id eſt, complens facultatem videndi.*

\*\*\*\* Aio itaque, *lumen gloriae eſſe ideam DEI, a DEO, ceu obiecto immediate praefente, menti propria actione impreſſam, per quam ideam, ceu cauſiam, non efficientem, ſed materialem, facultas mentis a priori completur ad DEI intuitum beatificum producendum (228. 229.): nihil enim praefens eſt, niſi agendo in mentem. Ergo actio DEI in mentem aliqua requiritur ad praefentiam beatificam. Porro dato illo effectu actioniſ DEI beatificae in ipſa mente, mens hac ſui modificatione praevia ita diſponitur in ratione ſub-*

iecti, ut possibilitatis ratio, ut nisi ratio existentiae visionis porro requiratur. Iam vero facultas efficiens, quae rationem existentiae agendo ponat, mentis substantiae inest ad ponendum omnem intuitum seu sensationem internam cuiuslibet suæ & in se ipsa tanquam subiecto immediato receptae mutationis. Data demum ratione completa possibilitatis et existentiae res ipsa, seu visio DEI beatifica supernaturalis, dabitur. Unde recte Pfaltes loc. cit. *In lumine tuo*, ait, id est, in lumine mentibus nostris a te immediate impresso, *videbimus lumen* increatum, id est, te ipsum, luminis eius auctorem; videlicet sicut solem, ceu lucem originariam, in luce oculis nostris infusa videmus. Et vero veteres Ecclesiastici scriptores, teste Petavio L. VII. Cap. VIII. n. 4. potius ad obiectum, quam ad potentiam effectricem visionis lumen gloriae pertinere rectissime utique existimarunt.

\*\*\*\*\* Utrum aliqui adhuc in ista vita mortali degentes DEUM viderint, videbis apud P. Berthi L. III. C. VI. in utramque partem accurate disputatum. Communius Theologi negant ob legem generalem assertam Exod. XXXIII. 20. *Non poteris videre faciem meam: Non enim videbit me homo, et vivet:* & I. Ioan. IV. 18. *DEUM nemo vidit unquam.* Vide Petav. L. VII. Cap. XII.

### ARTICVLVS III.

DEMONSTRATUR CERTO FUTURA INAEQUALITAS BEATAE VISIONIS PRO INAEQUALITATE MERITORUM MORALIUM.

243.

**DEUS**, quemadmodum ob maiorem voluptatem et gaudium beatorum futurum pro fine ultimo constituit beatitudinem per propria merita moralia ab hominibus rationis usu pollentibus in praesente vita promerendam (164. seqq.); ita constituit inaequalem singulis a se retribuendam beatitudinis mercedem pro eorundem meritorum moralium, a singulis in hac vita colli-

*colligendorum, inaequalitate.* Secus enim nec pro vita futura beatitudinem universalem maximam, quantum posset, pro fine creationis constituisset, et praesentis vitae mala plura permisisset, quam ad consequendum finem ultimum, seu beatitudinem in praesens constitutam, permittere necesse fuerat. Nam, quod ad futuram vitam attinet; maius necessario gaudium et gloria maior erit beati cuiuslibet, si non modo parti, sed toti summae beatitudinis, qua fruitur, morale suum meritum respondere intelligat. Sed neque eam multorum diu in hac vita improborum beatitudinem DEVS reipsa consequeretur sine aliorum heroicis virtutum exemplis; nec isti id genus heroicam virtutem multum curarent, si aequalis mediocri merito merces responderet. Quod vero spectat ad praesentem vitam; sine novo fructu et beatitudinis incremento DEVS probos ultimis maximeque diuturnis cum afflictionibus conflictari permetteret, si cuivis utcumque infimo morali merito iam summus, qui in ullo beato futurus est, beatitudinis gradus in futura vita responderet.

\* *Neque dicas:* ut DEVS insigniter probos et virtutis quasi heroes quosdam subinde tantis aerumnis premi permittat, etsi necessarium non sit ad eorummet propriam beatitudinem aliquo cum morali merito obtinendam, tamen necessarium esse, ut ceteros minus probos ac saepe initio obstinate improbos, ope exempli virtutis heroicae illorum, ad virtutis et meriti saltem qualiscunque moralis exercitium, atque ita ad ipsam beatitudinem denique pro fine ultimo constitutam perducatur. *Nam* hoc ipso DEO motiva moralia secundum sapientiae suae consilium suppetunt, ut pro infinita bonitate non permittat sine incremento beatae mercedis probos in improborum gratiam tantis malis, tamque diu, opprimi. Deinde nisi mercedis beatae

inaequalitas constituta foret, hoc ipso multo amplius improbi malitiae suae indulgerent infectando probos, freti, omnem summum gradum beatæ mercedis unico finali merito se cum maximis virtutis heroibus communem obtenturos; et ipsi probi, eo virtutis stimulo subducto, parum ad facta virtutis heroica urgerentur, communique virtute contenti forent, nec proinde ea exempla dare improbis curarent, quibus isti ad emendationem vitæ improbæ moveri possent. Itaque sicuti DEVS quosdam probatis heroes, beatitudinem morali suo merito alioquin obtenturos, maioribus ac sæpe insolentibus malis premi permittit in gratiam eorum, qui satis per se iam improbi vitam sine illorum heroicis exemplis nunquam emendaturi, nec proin beatitudinis ipsam substantiam consecuturi essent; ita vicissim, ut talia heroicæ virtutis exempla reipsa ab hominibus etiam iam per se utcunque probis obtineat, opus est, ut incremento mercedis maioris proposito eos ad hæc, ceq̃ medio moraliter sufficiente, invitet. Profecto studium salutis alienæ in plerisque zelo qualicunque ardentibus Christianæ Religionis Apostolis multum passim non sine divinæ gloriæ et universalis beatitudinis quoad salvandorum numerum ingenti detrimento refrigesceret, si maioribus laboribus nulla maior merces fuisset a DEO constituta. Ad summam itaque beatitudinem, per merita moralia obtinendam, medium necessarium fuerat, eius inæqualitatem, meritum multitudini et magnitudini proportionatam, constituere: sic enim et homines per se iam probi ad merita excellentiora cumulanda, et ad alienam quoque non modo salutem sed virtutis eminentiam curandam ac studiis summis promovendam summis stimulis incitantur, et homines per se iam aliquando improbi ad maturius abrumpendum impietatis cursum invitantur, et heroicis proborum exemplis atque zelo, numero multo maiore ad beatitudinem perducuntur.

\*\* Hisce argumentis sane evidentibus vel sola ratione naturali apertissime erroris convincitur Iovinianus, sæculi quarti hæreticus, duobus libris circa annum 392. a S. Hieronymo refutatus; quo teste (2. contra Iovin.) ille de alterius vitæ statu utroque insane  
asse-

asserbat, duos tantum esse ordines, ovium et hircorum; alterum iustorum, alterum peccatorum; nec inter Ioannem et ultimum poenitentem ullam esse distantiam, eo quod scilicet tam omnia peccata, quam recte factorum merita esse aequalia, Stoicorum sectae in morem, dictitaret. Erroris eiusdem convincitur Lutherus, qui eundem ex alio erroneo principio adstruxit, videlicet, quod teneret falso, nos non aliunde iustos esse, nisi ex sola Iustitiae Christi imputatione, cuius intuitu, absque ullo nostro merito, nobis gloria beatitudinis sit conferenda: quae Christi iustitia cum omnibus, qui fidem Christi habent, aequaliter imputetur, aequalem omnium beatitudinem futuram. Enim vero argumenta allata huc usque omnia demonstrant, nec sola alienae iustitiae ex imputatione nobis beatitudinem conferri a DEO posse, tam parum videlicet, quam sine nostro proprio personali merito morali (161.), supposito semel praesentis vitae tot miseriis subiectae statu, libertati arbitrii coniuncto (147. item 154. seqq.); nec nisi pro gradu eiusdem proprii moralis meriti nostram futuram beatitudinem fore mensurandam.

244.

*Quod ex ratione modo demonstratum est, etiam dogma Christianae religionis esse evincitur, scilicet pro ratione meritorum moralium inaequalem beatorum sortem futuram. Nam 1.) S. Scriptura idclare docet a) I. Corinth. XV, 41. Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum: stella enim a stella differt claritate: sic et resurrectio mortuorum. Et adhuc clarius ibidem b) cap. III. 8. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem (quo quis laboravit non solum pro sua, sed etiam aliena salute; de quo labore ex instituto loquitur Apostolus): et v. 11. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus IESVS. Siquis autem superaedificat super fundamentum hoc aurum, argentum,*

tum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam; uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini revelabit; quia in igne revelabitur, et uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Vbi manifeste operum diversa merita per aurum, argentum, lignum, foenum etc. designat, eique diversam responsuram mercedem affirmat versu octavo. c) Minus quidem aperte, ex Patrum tamen mente etiam ille locus Ioan. XIV. 2. non solum multitudinem, sed et gradum diversum, mansionum in caelo designat: *In domo Patris mei mansiones multae sunt; vado parare vobis locum.*

2.) *Concilium Florentinum Oecumenicum* eum literalem esse Scripturae sensum Sessione XXVI. verbis supra 242. n. 2. citatis definiit, videlicet beatorum animas *in caelo DEVM clare intueri, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Item *Tridentinum*, quod Sess. VI. Can. 32. ita habet: *Siquis dixerit, hominem iustificatum bonis operibus, quae ab eo per DEI gratiam et IESV Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, atque etiam gloriae augmentum; anathema sit.*

3.) *SS. Patres Graeci et Latini* cum S. Hieronymo in eodem dogmate asserendo contra Ioviniani haeresin semper consensere, quotquot praedicta Scripturae loca explicanda sibi sumserunt: quorum textus vide apud Petav. Lib. VII. cap. X.

\* *Solius Origenis μικρολογία*, et in Scripturae vocabulis exiliter, et Iudaico more perpendendis nimia et affectata curiositas, ut idem loquitur Petavius loc. cit. n. 3., merito contemnitur. Is homil. 1. in Matth. expendens citatum paullo ante locum I. Cor. XV. 41., eumque comparans cum eo, quod Christus ait Matth. XIII. 43. *Tunc tusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*

*eorum*, putat, initio beatitudinis iustos inaequali splendore fulgere; post iudicium vero in unicum solare lumen confluendos: qui huius scriptoris error et misere detorta ab obvio sensu interpretatio, confectarium quoddam alterius erroris est, quo idem credidisse existimatur, ipsos daemones cum damnatis post longissimi temporis purgationem ad salutem et caelestem gloriam perventuros; de quo infra erit peculiaris dissendendi locus.

\*\* Solet quoque nonnullam primo intuitu facessere molestiam circa hoc dogma. ex Scripturis divinis asserendum. parabola, a Christo Domino Matth. XX. 1. proposita de Operariis, diversis diei temporibus ad laborandum pro mercede iusta in vineam vocatis, quorum labori tempore tam inaequali idem tamen denarius a patrefamilias est repensus: qui quidem denarius in apertum beatae illius mercedis symbolum proponi a Christo videtur. *Sed* duae sunt apud Patres eius loci magis probatae interpretationes; quarum utraque cum dogmate proposito apprime consentit. *Prima* est *S. Hieronymi* Lib. II. contra Iovin. *S. Ambrosii* Lib. VII. in Luc. ad Cap. 15. *S. Augustini* Serm. LIX. de verbis Domini etc., et per eundem denarium delignari affirmant eandem vitam aeternam ratione beatitudinis obiectivae et aeternae durationis; non ratione beatitudinis formalis aequae perfectae: quam probat *S. Thomas* 1. 2. q. 5. a. 2. ad 2. *Altera* est *S. Gregorii Nazianzeni* Orat. 40., quae existimat, illud ea parabola doceri, non pendere magnitudinem mercedis a diuturnitate vitae, in DEI servitio transactae, sed fervore brevitatem compensari ita posse, ut consummatus quis in brevi expleat temporum multorum meritum, et adaequet mercedem vitae languidioris utcumque longaevae: cui favere epiphonema illud parabolae videtur v. 16. *Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vere electi*; id est, ad gloriam seu mercedem beatitudinis ipsam substantialem multi admittentur, sed pauci sunt tam selecti operarii, qui brevissimo tempore adaequent mercedem, diuturno labore vix promeritam ab aliis. Ceterum monent cum Augustino, Tertulliano, et aliis ad hunc



locum et alias saepe, Scripturarum interpretes, non esse omnes similitudinis apices tam anxie persequendos in parabolis, ut cum re significata id, unde sumpta est parabola, ad amissim congruat, sed scopum unice attendendum. Scopus autem parabola huius est, ut omnes intelligant, tum quod nemini, quamdiu est in vivis, sit de salutis substantia desperandum, tum quod non a diuturnitate, sed a fervore servitii divini caelestis mercedis magnitudo praecipue dependeat. Enimvero si omnium adiunctorum tam exacta ratio habenda esset, sequeretur, quod DEVS non per se ipsum, sed per oeconomum mercedem beatis esset redditurus; quod locus invidiae et murmuri sit ~~in~~ caelo futurus etc. etc.

\*\*\* *Quaeritur* in scholis, unde illa beatitudinis inaequalitas, seu a qua causa, determinetur; et an perfectior intelligendi vis, ut Scoti aeternae defendunt, ad visionis maiorem excellentiam quid contribuat. *Resp.* Lumen clarius, id est, plura et intentiore luce singulas DEI notas repraesentans, varietatis causa in eodem subiecto vidente haud dubie esse debet. At in diversis mentibus, quae virtute intelligendi essentiali differunt, sicuti capacitas videndi inaequalis est, ita, si merita dignitati suae personali physicae commensurata collegerint, antequam ad beatitudinem pervenirent, etiam inde visionis perfectio crescet: id quod S. Cyrillus Hierolymitanus Catech. VI., S. Gregorius Nazianzenus Orat. XXXIV. *Liber de divin. Nomin.* et S. Maximus ad Cap. I. eiusdem libri affirmare videntur. Vide Petav. Lib. VII. Cap. 10. n. 5. Porro hoc stante, beatitudo semper meritorum dignitati partim physicae, partim morali coaequabitur.

#### ARTICVLVS IV.

DOGMA CHRISTIANVM ESSE, BEATITVDINEM FORE  
AETERNAM, OSTENDITVR.

245.

*D*ogma quoque Christianum est, beatitudinem fore aeternam. Nam 1.) *Scriptura* id docet aperte Sap. V. *Iusti in perpetuum vivent.* Matth. VI. *The-*

*Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi nec aerugo, neque tinea demolitur. Ibid. XXV. Ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam. Ioan. XVI. 2. Gaudium vestrum nemo tollet a vobis. I. Petr. I. 4. vocatur haereditas incorruptibilis; et cap. V. 4. immarcescibilis gloriae corona. I. Tess. IV. 16. Sic semper cum Domino erimus.*

2.) *Concilium Lateranense IV. Oecumenicum an. 1215. sub Innocentio III. celebratum in cap. firmiter, in ipso symboli fidei definit, reprobos cum diabolo recepturos poenam perpetuam, et electos cum Christo gloriam sempiternam. Cui consonat ipsum Symbolum Apostolicum.*

\* *Citant etiam Synodum V. Oecumenicam Constanti-nopoli an. 552. damnantem Canone II. adversus Origenem huius opinionem de mentibus rationalibus, quae primo cum beatitudine mere spiritali productae, ex satietate contemplationis divinae assumerint corpora, aliae subtiliora, aliae crassiora etc. Interim is error per se diversus est ab eo, quo quis beatitudinis futurae aeternitatem negaret. S. Augustinus tamen Lib. de haeref. cap. 43. et Lib. XXI. cap. 17. de Civit., atque etiam S. Hieronymus Epist. 59. ad Avitum, Origenem istiusmodi erroris accusant, videlicet, quod docuerit, nec beatitudinem, nec poenas, alterius vitae fore perpetuas, sed alternis sibi successuras, ita, ut beati damnentur, et damnati evocentur ad gloriam.*

3.) *SS. Patres; uti S. Cyprianus in Exhort. Mart.: Mors, inquit, Martyribus infertur, sed immortalitas sequitur; vita temporalis extinguitur, sed aeterna reparatur. S. Augustinus Lib. XXII. de Civit. c. 1. Beatitudo non propter aetatis per multa secula longitudinem tamen quandocumque finiendam aeternitatis nomen accepit, sed quemadmodum scriptum est in Evangelio: Regni eius non erit finis.*

\* Ori-

\* Origenes, seu vere erraverit, ut dictum, seu haereticorum fraude is error scriptis eius insertus fuerit, erroris saltem eius sequaces post se non habuit: aded vulgatum omni tempore hoc erat dogma.

\*\* *Quaerunt*, an visio beata intrinsecam, vel extrinsecam aeternae suae existentiae habeat rationem. *Resp.* Est intrinsece vera; quia est effectus DEI immediatus. Repraesentat autem clare DEI infinitam benevolentiam, seu innatam, seu etiam voluntatem consequentem, qua velit electos esse aeternum beatos. Ergo quidem repraesentat summa veritate aeternitatem suae rationis sufficientis existentiae, sed tamen ipsa nullo pacto est ipsa sui ratio existentiae.

246.

*I. Beati DEVM videntes ipsa visione securi sunt de aeternitate beatitudinis.* DEVM enim clare videndo, vident eius infinitam benevolentiam, quae per se ratio est aeternitatis istius (146.).

*II. Beati DEVS videntes a DEI voluntate et beneplacito nihil diversum velle, ac proin porro male moraliter agere (seu peccare) non possunt.* Vt enim malum verum velle possint, sub ratione boni eis apparere saltem deberet (51. V.); id quod in cognitione tantum confusa fieri potest, aut per errorem (27.). Atqui DEI visio et clara sic est, ut confusionem saltem deceptricem tollat; secus positiva imperfectione et mali veri ratione non careret (40.): et summe vera. Ergo etc.

*III. Vnde visio ipsa DEI tollendo possibilitatem motivi ad volendum DEI voluntati contraria, tollit libertatem peccandi.*

CA-



## CAPVT VI.

DE CERTITVDINE ET QVALITATE POENARVM,  
IMPROBIS IN ALTERA VITA IMMINENTIVM VI DOGMATIS  
CHRISTIANI.

## ARTICVLVS I.

DOGMA CHRISTIANVM DE AETERNA INFELICITATE POSITIVA  
IMPIORVM IN IMPROBIDADE SVA MORIENTIVM  
DEMONSTRATVR.

247.

*Dogma Christianum est, neminem improbum, in sua impietate ex hac vita sine poenitentia conveniente decedentem, ad DEI visionem et beatitudinem vitae alterius unquam admittendum esse. Nam in S. Scriptura Apostolus dogma hoc I. Corinth. VI. 9. solenniter promulgat: An nescitis, quia iniqui regnum DEI non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis seruietes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum DEI possidebunt.*

\* Cetera argumenta huic cum sequente dogmate communia sunt.

248.

*Dogma insuper Christianum est, improbos omnes gravis suae improbitatis, ad mortem usque non emendatae, poenas aeternas positiva infelicitate in vita alia secutura luituros. I.) Scripturae Sacrae poenas graves easque non finiendas, eis apertissime denuntiant. a) Matth. XXV. 41. Discedite maledicti in ignem*

*ignem aeternum; et paulo post v. 46. Et ibunt hi in supplicium aeternum.* b) Marci IX. a versu 41. Christus poenas aeternas iis, qui scandalizant puillos, tertium repetitis comminatur, scilicet *mittendos in gehennam et in ignem inextinguibilem; ubi vermis eorum non morietur, et ignis non extinguetur* c) II. Thessal. I. Apostolus v. 8. et 9. graviter affirmat, *eos, qui non obediunt Evangelio Christi, poenas duros aeternas in interitu a facie Domini.* Similia habentur Iudae v. 6. Apoc. XIV. 10. Luc. XI. 22. seqq.

\* Dogmati huic, ipsius Christi Domini ore et S. Spiritus effatis tam graphice contestato, *Origenes* (ex testimonio S. Athanasii de communi essentia, S. Epiphani in Epist. ad Ioann. Hierosol. S. Hieronymi in Ep. LIX. ad Avitum etc. etc. S. Augustini in lib. de haeres. cap. 18. et denique Nicephoro Callisti filio narrante lib. XVII. cap. 27. et 28. ex testimonio ipsius Quintae Synodi Oecumenicae multorumque aliorum) praepostero misericordiae divinae conceptu motus contradixit, ex Platonis schola haustum errorem docens, *flagitiosos quosque, iuxta ac ipsos daemones, quamvis post longissima tempora, purgatos ac liberatos, regno DEI, lucique restitui;* uti loquitur ex eius ore Augustinus loc. cit. Porro allatos Scripturae textus triplici potissimum argumento *Origenes*, eiusque sectatores, eludebant: 1) quod sic improbi punirentur ultra meritum poena aeterna ob momentanea delicta: 2) quod istud adversetur misericordiae DEI infinitae: 3) quod in Scripturis voces illae, *aeternum, sempiternum*, sicut et hebraicum *עלמ* et graecum *τὸ αἰών*, pro seculo, pro valde diuturna perduratione, saepe accipiantur. *Verum ad 1) iam 211. VIII., et ad 2) 213. et seqq. responsio occupata est. Quod ad 3) attinet, absolute negativa expressio: Vermis eorum non morietur, ignis non extinguetur;* item absoluta paritas, qua et vita proborum aeterna, et supplicium improborum aeternum, perinde dicuntur, litem satis determinant. Unde recte S. Augustinus contra Priscill. cap. 6. ait:

*Qua-*

*Qualiscunque poena significata sit nomine vermis atque ignis; certe si non morietur, sine fine praedicata est. Item ibid. cap. 5. idem S. Pater sic habet: Αἰώνιον autem graece aliquando seculum significat: tamen, quod ex hoc nomine derivatur, et appellatur αἰώνιον, nec ipsi Graeci, quantum existimo, solent intelligere, nisi id, quod non habet finem.*

**\*\* Ceterum** fuere, qui post Eusebium Caesareensem et Rufinum ex veteribus, et Picum Mirandulanum, Iacobum Merlinum, et Genebrardum aliosque his etiam recentiores Origenis defensionem ita susceperunt, ut eum ab haereticis, eius auctoritatem ambientibus, corruptum dicerent. Sed tot sanctissimorum eruditissimorumque virorum fidem nolim ego ob leves satis excusationes in dubium vocare. Quidquid de eo sit; lis ista magis ad Historicum, quam Theologicum forum pertinet, quam apud Illustrissimum Huetium in Origenianis eruditissime depugnata invenies. Celebrerrimus Holloixius etiam negavit, Origenem in Synodo V. damnatum fuisse, quem Natalis Alexander erudita dissertatione refutavit.

**\*\*\* Synodum V. Oecumenicam** iam quoque errorem Origenis, negantis poenarum aeternitatem, solenni iudicio condemnasse, testem habemus Nicephorum Callisti filium lib. XVII. c. 27.; sed qui primum circa annum 1327. floruit, ac proin octo post illam Synodum seculis. Ceteri Scriptores, ut Sophronius in Ep. ad Sergium, et Photius Cod. CXVII. post alios illa Synodo antiquiores, atque aetati Origenis viciniore, testantur quidem de illo Origenis errore, sed non de eiusdem damnatione facta in illa Synodo V. Oecumenica. In Actis ipsis huius Synodi, uti hodie extant, saltem inter XV. Anathematismos, adversus Origenem editos, obscura eius erroris mentio fieri videtur; dum in Anathematismo XII. et sequentibus damnatur error, quo idem Origenes docuit, omnem materiam annihilandam, et omnes mentes, etiam daemones, in unitatem cum DEO esse reducendas.

2.) *Concilium Lateranense IV. Oecumenicum* an. 1215. idem dogma solenniter definivit (vide 245.

245. n. 2.), atque *Tridentinum* Sess. VI. Can. 25. et Sess. XIV. Can. 5. idem certe supponit.

3) *SS. Patres, Graeci et Latini*, magno consensu inde a principio Ecclesiae Christianae dogma hoc ex *SS. Scripturae* locis citatis praedicarunt; nempe *Iustinus Martyr* in Apologetico utroque, *Irenaeus* in lib. IV. adversus haeref. c. 47., *Tertullianus* in Apolog. cap. 13. et 45. *S. Cyprianus* in fine libri ad Demetr. *S. Hilarius* Canone V. in Matth. *S. Ambrosius* in lib. de bono mortis cap. 2. *S. Hieronymus* in cap. III. Iohae, *S. Chrysostomus* Homil. IX. in I. Corinth. *S. Augustinus* lib. XXI. de Civit. multis capitibus, *S. Gregorius Magnus* lib. Moral. XXXIV. cap. 16. \*

\* Verum non omnes *SS. Patres*, nec ubique et in omnibus suis scriptis, ex aequo sibi confiteri circa hoc dogma asserendum; sed (uti erudite adnotat *Petavius* de Angelis lib. III. cap. VII. n. 1.) ex iis, qui *Origenem* magni facere, et in *Scripturis* divinis interpretandis fere ducem adhibere consueverant, quidam suspicionem quamdam *Origeniani* erroris plus minusve scriptis suis adpersisse inveniuntur. Porro ipse *Origenes* non satis in errore constans fuit, ac trifariam omnino eum exposuit, ut aut daemones aequae ad unum omnes atque homines reprobos salvos aliquando fore diceret: aut, solo excepto principe daemonum, ceteros omnes: aut, denique solos homines, diabolo et angelis eius in perpetuum reiectis. Et in primis quidem duabus sententiis asserendis ipse *Origenes* non satis animum obfirmavit, atque idcirco pluribus locis ipse inferorum poenas simpliciter esse aeternas asseruit: at in tertia erroris specie constanter inhaesit, et citra ullam dubitationem.

\*\* *Primus*, qui toti *Origeniano* errori accessisse arguitur, *Gregorius Nyssenus* est, tum pluribus locis, tum maxime in *Catechetico* libro, cap. 35. sub finem. Sunt, qui cum *S. Germano Constantinopolitano* in libro, quem inscripsit *Ανταποδοτικόν*, hoc est, *Compensatorium*

*torium* (relato a Photio in Cod. 233.) sic ei patrocinantur, ut libros eius ab Origenis fautoribus haereticis corruptos esse caussentur. *Verum* haec mera denique S. Germani pia suspicio erat, quam (ut Petavius l. cit. n. 6. ait) non facile sibi persuaderi finet, qui ad legendum iudicium et candorem attulerit. Quippe tam *stilus*, et dicendi character, quam reliqua *antecedens et consequens oratio*, germana et nativa illa esse demonstrat.

\*\*\* *Alter est S. Hieronymus.* Is quidem Comment. in S. Matth. XXV. 46. illa verba declarans: *Et ibunt hi in supplicium aeternum: iusti autem in vitam aeternam;* universe ita pronuntiat: *Prudens lector adverte, quod et supplicia aeterna sint, et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* In caput vero tertium Ionae Origenianum errorem univversum copiose etiam et magna cum emphasi redarguit. *Sed hoc, inquit, quia Scriptura Sancta non dicit* (nimirum neque diabolum, neque rationalem ullam creaturam penitus perituram), *et evertit penitus timorem DEI, dum faciles labuntur homines ad vitia, putantes, etiam diabolum acta poenitentia posse salvari, de nostris mentibus abiiciamus: et sciamus, peccatores in Evangelio mitti in ignem aeternum, qui praeparatus sit diabolo et angelis eius; et de his dici: Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur.* Post haec refutat obtentum erroris, a DEI misericordia sumtum, ex eo, quod DEUS simul *misericors et iustus* in Scripturis dicatur, ac demum concludit: *Si omnes rationabiles creaturae aequales sunt, . . . et longo post circuitu atque infinitis seculis omnium restitutio fiet, et una dignitas militantium: quae distantia erit inter virginem et prostibulum? quae differentia erit inter Matrem Domini, et (quod dictu quoque scelus est) victimas libidinum publicarum? Idemne erit Gabriel, et diabolus? Idem Prophetas et pseudoprophetae? Idem Martyres et persecutores? Finge, quod libet, et tempora duplica, et infinitas aetates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est; quia non quaerimus, quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus.* Hucusque Hieronymus aeternitatis poenarum strenuus vindex. Scripsit vero Commentarium in Matthaeum circa annum 381, et in *Stattler Eth. christ. univers.* M Jonam



Jonam Prophetam circa annum 407, ac proinde utrumque iam grandaevus: cum semet teste natus fuerit anno 329. *Verumtamen* post haec omnia anno primum 410. scripsit Commentarium in Esaiam, atque in istius Commentarii calcē refert Origenis sententiam, narratque, ex quibus Scripturae locis eam probare eius sectatores consueverint; tumque sic pergit: *Quae omnia replicant asseverare cupientes, post cruciatus atque tormenta futura refrigeria: quae nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est; ut, dum supplicia reformidant, peccare desistant. Quod nos DEI solius debemus scientias derelinquere: cuius non solum misericordiae, sed et tormenta in pondere sunt, et novit, quem, quo modo, aut quamdiu debeat iudicare. Et sicut diaboli et omnium negatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est DEUS; credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, et tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur et mistam clementiae sententiam Iudicis. Respondeo, S. Doctorem eo ipso capite reiicere sententiam Origenis paullo ante, quam ad ea dicta delabatur: dum vero dicit, solius DEI sententiae relinquendum &c., id ait de poenis peccatorum universe sumtis, non autem de poenis inferorum in specie; quippe de his eodem in capite ultimo eius Commentarii iam paullo ante dixerat: *Qui praevaricati sunt a Domino, aeternis tradentur ardoribus. Vermis autem, qui non morietur, et ignis, qui non extinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quae torqueat in suppliciis constitutos: ita duntaxat, ut non negent praevaricatorum et Dominum negantium aeterna supplicia, dicente Domino in Evangelio: Ite in ignem aeternum, qui praeparatus est diabolo et angelis eius. Cetera, quae subdit, de impiis, et tamen Christianis, vel de poenis purgatorii intelligenda, vel de mitiore Christianorum poena etiam in inferno exponi posse, videntur. Fatendum nihilominus, in isto praecipue loco S. Hieronymum negligentius agendo suspicioni locum praebuisse, quod dogma de aeternitate poenarum, etiam Christianis improbis imminentium, extra omne dubium esse non existimarit.**

\*\*\*\* Facilior est *responsio ad alterum locum Hieronymi, qui est in I. Dial. adversus Pelag. Cap. 9. ubi refutans*

futans Pelagium asserentem, in die iudicii iniquis et peccatoribus non esse parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos (quam propositionem Pelagii, teste S. Augustino de Gestis Pelagii Cap. III. n. 9., accusatores Pelagii conceptis iisdem verbis in Palaestina Synodo S. Eulogio Episcopo detulerant, quibus loc. cit. a S. Hieronymo refertur; refertque S. Augustinus loc. cit., addidisse Pelagium dicto suo: *Qui aliter dicit, Origenista est*), notat, distinguendum esse inter iniquos seu peccatores, et inter impios: impios esse, qui notitiam DEI non habent, vel cognitam transgressione mutarunt: peccatum autem seu iniquitatem pro qualitate vitiorum post vulnera recipere sanitatem: tum ait, impios non resurrecturos in iudicio, quia iam in perditionem sunt praeiudicati; ex adverso peccatores resurrecturos quidem in iudicio, sed non in concilio iustorum, quin tamen perpetuo pereant: aliud enim esse gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo. Tum occupat Pelagii de Origenismo imputationem, subdens: *Si autem Origenes omnes rationales creaturas dicit non esse perdendas, et diabolo tribuit poenitentiam; quid ad nos, qui et diabolum et satellites eius omnesque impios et praevaricatores dicimus perire perpetuo: et Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post poenas; ubi saltem Christianos ab aeternitate poenarum videtur eximere. Verum legenti citatum caput III. de Gestis Pelagii in S. Augustino dubium non supererit de vera mente S. Hieronymi; quod scilicet eo loco praecise in eo sensu reprehendat dictum Pelagii, in quo illud eius delatores apud Episcopos Palaestinae reprehenderant, videlicet, quod Pelagius doceret, omnes homines, qui aliquando seu leviter, seu graviter peccarint, et cum reatu etiam culpae solum levis ex hac vita decedant, aeternas poenas duros; ac solum eos salvandos, qui omnis omnino peccati expertes sunt. Hoc enim sensu et fundamento S. Hieronymus verbis ultimo loco allegatis immediate has sequelas sententiae suae Pelagio obiicit: *Si peccatores et iniqui (omnes videlicet) aeternis ignibus exuruntur; non times sententiam tuam, qui iniquum et peccatorem te esse dicis? et argumentaris, hominem non esse sine peccato, sed esse posse. Ergo solus ille salvetur, qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec**

*futurus; et pereant omnes, quos retro fuisse legimus. . . .*  
*Aut si tu iustus es, et humilitate simulas peccatorem; mir-*  
*rabimur: atque gaudebimus, habere te solum, quod nec*  
*Patriarcharum, nec Prophetarum, nec Apostolorum quis-*  
*quam habuit. Refert vero loc. cit. S. Augustinus, delusos*  
*ipso a Pelagio Episcopo Palaeftinae, ob delatorum*  
*absentiam, eius propositionis sensum genuinum a Pela-*  
*gio intentum haud intellexisse, nec eum damnasse, eo*  
*quod nullus urgeret, ut peccatores per ignem salvandos a pec-*  
*catoribus aeterno supplicio puniendis distingueret. Atque*  
*ex hoc ipso sensu loci istius Hieronymiani lucem ac-*  
*cidere cetera S. Hieronymi dicta difficiliora obscurio-*  
*raque videntur.*

\*\*\*\*\* Praeter S. Hieronymum quoque dubitasse  
 de certitudine huius dogmatis a Petavio L. III. cap. 7.  
 n. 13. arguitur *S. Gregorius Nazianzenus*, sed ex incer-  
 tis solum et obscuris sententiis. *S. Ambrosius* quoque,  
 licet in Psal. CXVIII. Oct. 20. ad v. 2. obscure loqua-  
 tur, tamen in eodem Commentario et Octon. 20. in  
 fine, et in libro de bono mortis cap. 2, item lib. de  
 lapsu Virginis cap. 8. dogma Catholicum indubitanter  
 atque ut certum asserit. Praeterea *S. Chrysostomus* in  
 in hom. IX. in I. Corinth. et aliis compluribus locis, et  
*S. Augustinus* in Enchir. Cap. CXII. damnatorum poe-  
 nas non quidem unquam finiri, sed tamen vivorum  
 auxiliis levari posse, crediderunt: quae doctrina non  
 quidem Ecclesiae Catholicae certo iudicio aliquo ad-  
 huc reprobata, attamen a communi Christianorum sensu  
 aliena abs dubio est.

## ARTICVLVS II.

CERTVM QVIDEM, NVLLO TAMEN SOLENNI ORACVLO ECCLE-  
 SIAE CATHOLICAE FIRMATVM ESSE DOGMA IGNIS CORPO-  
 REI INFERORVM, OSTENDITVR.

249.

*Scripturae Sacrae poenam ignis inferni reprobis a*  
*DEO in futura vita esse statutam crebro affir-*  
*mant. Nam I.) Christus Dominus Matth. XXV. 41.*  
 ipsam

ipsam supremi Iudicis sententiam conceptis verbis prænuntiavit fore istam: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum; qui paratus est diabolo et angelis eius.* Ergo et homines et daemones mittentur in ignem infernum. 2.) Psal. XX. 10. de inimicis DEI praedicitur: *Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis.* 3.) Eccli. XXI. 10. *Stuppa collecta synagoga peccantium, et consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi, et tenebrae, et poenae.* 4.) Marci XI. 41. seqq. Christus praedicit, impios mittendos *in ignem inextinguibilem; ubi vernis eorum non morietur, et ignis non extinguetur* &c. &c.

\* Nota, in loco ultimo ex Marco Evang. citato, vermem conscientiae aperte ab igne distingui.

250.

*Nulla est ratio, locos istos Scripturae Sacrae inter metaphoras referendi.* Nullo enim absurdo ad aliud cogente, secundum receptam regulam verba DEI loquentis, supremi Iudicis sententia inprimis, atque ipsa interminatio poenae generalis, qua leges DEI omnes firmantur et constituuntur, secundum propriam verborum vim et potestatem intelligenda sunt; maxime cum saepius diversissimis in locis semper eodem tenore et expressione, veluti sub conceptis formulis, occurrunt. Atqui sic est &c. &c.

\* At enim *opponunt* 1. Obvium absurdum obstat, videlicet mentes spirituales, omni corpore exutas, quales sunt hominum a tempore mortis ad extremi iudicii diem usque, et praesertim daemonum, ignis corporei actione torqueri. *Resp.* Scio, quantum in isto capiendo non solum summi Ecclesiae Doctores cum Augu-

M 3

stino

stino Lib. XXI. de Civit. cap. 10., sed et Theologorum Scholae, inexplicabilis difficultatis invenerint. Verum non puto, aequè inexplicabile hoc dogma illis videri, qui hodiernae Philosophiae faciles explicatus de mentis humanae cum corpore commercio secundum mutui influxus systema compertos habent, quos in Psychologia a 365. tradidi. Ibi quidem 368. seqq. ostendi, corporis cuiuscunque actionem in mentem simplicem tam parum heteroclitam videri debere, quam elementorum corporeorum actiones in se mutuas. Quodsi iam corpus vivens in praesentem intra se spirituales ac simplicem animum agere sic potest, ut actio ignis corporei, externis sensus organis applicata, sentiatur ab ipsa mente: quidni etiam in mentem, corpore sensuumque organis exutam, similis immediata ignis actio possibilis sit? Certe ignis actio propria est, motus perturbatos ciere, quibus, quae connexa nexu physico sunt, omnia discerpuntur. Quippe ni motus eiusmodi ex igne immediate circumfuso mens perinde excipere queat, atque nunc corpore conclusa, median-  
tibus fibris cerebri simili actione perturbatis, eosdem percipit?

•• *Opponunt* 2.), plura loca Scripturae, in quibus alterius vitae supplicia reprobis statuta describuntur, communi auctorum sententia et necessitate certa ad metaphoras referri: ergo et eo referri posse, quae praec. loc. allegata sunt. Sic e. g. Marci IX. et Esai. LXVI. 24. commemorati *vermes*, qui impios depasturi praedicuntur, metaphorice pro synderesi et remorsu perpetuo conscientiae, communiter accipiendi creduntur: item *fletus et stridor dentium*, qui in camino ignis futurus esse Matth. VIII. 12. praedicatur, in quem reprobi mittendi sunt: denique *aquae nivium* apud Job. XXIV. 19., aliaque similia. *Resp. neg. parit.* In parabolis Evangelii, aut in Prophetis vulgo figurate loquentibus, etiam figurate exprimi alterius vitae poenas mirum non est: sed non idem suspicari possumus de sententia Iudicis supremi. *Deinde* in obiectis locis, nisi absurda sequela nos ad aliud cogat, iuxta verborum emphasi nos stare oportebit. Cogit autem, ut *fletu* metaphorice intelligamus designari immensam damnatorum tristitiam, huiusque

Iusque signa, e. g. suspiria, eiulatus &c., quae flentibus conveniunt: igne enim simul urente, lacrimae fluentes locum habere non poterunt; vel certe per secula currentes fluvii lacrimarum totum corpus consumerent. *Stridor dentium* proprie sumi potest, ceu horrore poenarum et acerbitatis effectus naturalis in reprobis hominibus, corpora sua in extremo iudicii die resumentur. *Vermes* in meris spiritibus corroden- dis locum habere non possunt; bene tamen in corpore instructis. Unde multi cum S. Basilio in Psal. XXXIII. credunt, veros in inferno vermes futuros, qui dam- natorum corpora sine consumptione corrodant. Interim de hoc sentias, quod lubet, libertatem ipso concedente Augustino Lib. XXI. de Civit. cap. 9. Quod locum Jobi attinet, plures ex eo cum Hieronymo in Cap. X. Matth. duplicem poenae speciem, ignis et frigoris, propria voce expressam, intulere; quibus tamen alii, et inter hos Suarius noster, adversantur. Vide de his eruditissimum Cornelium a Lapide tum in locis Scri- pturae allegatis, tum praecipue in Cap. VIII. 12. Mat- thaei, et prae Cornelio etiam Suarium de Angelis L. VIII. c. 12. n. 21. seqq.

\*\*\* *Opponunt* 3.), crudelitatem in Deo sapere supplicium ignis, reprobis sine fine praestitutum. *Resp.* Impietati soli ipsorum imputandum esse, quod Deum infinite bonum servandi communis maioris boni causa ad media tam severa coegerint, quale est talis poenae intentatio: quae si tamen nihil apud ipsos valuit, ea- dem et argumentum est malitiae ipsorum, et defensio Justitiae divinae. Vide dicta 213. seqq.

251.

*Patrum Ecclesiae, et Theologorum scholae, se- quens de hoc dogmate sensus fuit.* Ante Origenem nulla quidem de quaestione circa naturam ignis inferni distincta mentio. Primus vero *Origenes* in Lib. II. Periarch. cap. 11. in meris malae con- scientiae angoribus ignis inferni supplicium repo- suit. Hunc Origenis errorem *S. Hieronymus* in

M 4

Ep.

Ep. LIX. ad Avitum inter varia et *quamplurima detestanda*, quae libris Periarchon inesse scribit, refert cap. 2. versus finem; ac proinde suum de eo horrorem, et communem Ecclesiae sensum contrarium, satis testatum facit: cum mox sub ingressum Epistolae profiteatur, se, quae Ecclesiae dogmatis contraria, et idcirco detestanda insint illi libro, singillatim recensurum, ut latina eius versio, per fraudem cuiusdam fratris anonymi divulgata, tuto et sine periculo legi possit. Unde iniuriam fecere S. Doctori, qui exinde eum errori favisse concluderunt, quod in fine commentarii in Esaiam (248. not. 2. initio responsionis) eandem Origenistarum opinionem commemoret sine adiecta severiore nota. Solet enim ita in manifeste damnatis erroribus recensendis facere; ut ex Commentariis in Epist. ad Ephes. et ex Apologia contra Rufinum, liquet. Et vero in Comment. in Ep. ad Ephes. V. 6. apertissime sententiam Origenis redarguit. *S. Augustinus* in Lib. XXI. de Civit. cap. IX. & seqq. eundem errorem ex instituto refutat; et tametsi dubitabat, an non daemonibus quoque corpora idcirco tribuenda essent, ut igne corporeo uri possent; tamen pro utraque hypothese, seu corpora haberent, seu non haberent, igne corporeo eos uri pro certo habendum edixit. Illud quidem negari non potest, Augustinum in Lib. XII. de Genesi ad lit. adhuc in adversam sententiam inclinasse, ac *inferorum omnem substantiam spiritualem et incorpoream esse dixisse*; at enim cum post illos de Genesi libros fere iam absolutos primum Libros de Civitate DEI scribere coeperit; revocasse penitus ibidem scripta in citato Lib. XXI. de Civit. cap. IX. videtur. *S. Gregorius M.* in IV. Dialogorum cap. XXIX. inferorum ignem corporeum esse,

esse, eoque reproborum animas et corpora, tum vero et daemones incorporeos torqueri asserit. Cum vero in Libro XV. Moral. cap. 17. contrarium tenere in nonnullis vulgatis exemplis videtur; errorem calami, vel typi, intervenisse, satis verisimiliter Sixtus Senensis L. V. Bibl. anno 141. et post illum Petavius de Angelis L. III. C. V. n. 5. ostendit. Atque huc usque tenet consensus Patrum: quibus *scholae Christianae Theologi Catholici omnes* sine ulla controversia huc usque accessere, *solo Catharino excepto* lib. de praem. et poen. qui tamen pariter post Vasquium (In I. II. Tom. II. Disp. CXLIII. cap. 1.) omnes (excepto Cardinale Gotti Q. IX. de Angelis. Dub. 3.) fatentur, nullo Ecclesiae decreto dogma istud huc usque sic definitum esse, ut citra haeresin negari non possit: maxime quod circa dogma istud non nullus dissensus olim quorundam Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum fuisse adnotetur.

Namque *S. Ambrosius* inprimis in Lib. VII. in Luc. cap. 14. Origenis errorem, paene ipsa istius verba mutuatus, amplectitur. Eidem quoque ad stipulari *S. Gregorius Nyssenus* in libro de Anima et resurrectione sub Macrinae sororis persona videtur. Apertius quoque *Theophylactus* in Marci caput IX. vermem et ignem Origenis more tropice intelligit. *S. Joannes Damascenus* in calce operis de fide Orthodoxa, daemones et reprobos omnes in extremo iudicio mittendos ait in ignem aeternum. *non materiale, ut est noster, sed qualem novit DEUS.* Quamquam iste modus loquendi, aliis quoque cum Damasceno communis, excusari possit; quod eo solum nomine negetur ignis esse materialis, quod nullo id genus alimento cum nostro indigeat.



• Lutherus, Calvinus, aliique sectarii apud Jodoc. Cocci. in Thesaur. libr. X. a. 7. paucissimorum horum auctoritate freti, Origenis sententiam quoque adoptarunt.

•• Ceterum caute abstinui a citandis operibus Patrum dubiis et supposititiis, quos Theologi paullo antiquiores, recentiore Critica adhuc destituti, liberalius, quam utilius in hoc argumento allegant.

252.

*I. Duplex itaque poena est reproborum omnium in vita altera, et quidem utraque nunquam finienda; prima, quam vocant damni, seu iacturae omnis vitae beatæ, aut cuiuscunque boni, quod non immensum maiore malo permixtum sit; altera sensus summe molesti ex tormento ignis.*

*II. Reprobi ex sententia Iudicis divini Matth. XXV. 41. certi erunt de aeternitate poenarum suarum (249. n. I.); ac proinde de beatitudine aut liberatione unquam consequenda desperabunt.*

*III. Idem hoc ipso ita obstinabuntur in odio sui ipsorum, et aversione ab omni bono morali, ut porro bene moraliter agere non possint. Carebunt enim motivis contrariis et fine actionis bonæ moralis, qui non est nisi felicitas vera; et ex adverso stimulis ingentibus perpetuo urgebuntur ad odium sui, ceu qui sibi ipsis tantorum fuerint causæ malorum liberæ.*

• Convenienter illi quidem de sanctissima DEI Iustitia, tales illis poenas sine ulteriore misericordia irrogantis, atque idcirco non nisi contra propriæ conscientiae testimonium DEUM incusare, aut pro odii quoque obiecto habere poterunt. At hoc ipsum rabiem ipsorum contra se ipsos angebit, et nil proficientem poenitentiam, atque exinde furores adversus DEUM insanos denique provocabit.

253. IV.

*IV. Poenae reproborum perinde inaequales erunt pro ratione demeritorum, atque praemia beatorum pro diversa meritorum ratione, ob easdem videlicet rationes (243.); imo a fortiori: quia secus, qui semel esse improbus coepisset, nullum sibi met modum poneret impietatis. Accedit Apostoli testimonium ad Rom. II. 6.: **DEUS** reddet unicuique secundum opera eius; et locus Apocalypsis XVIII. 6., ubi sub schemate Babylonis fornicariae de omnibus reprobis dicitur: *Reddite illi, sicut et ipsa reddidit vobis: et duplicate duplicia secundum opera eius: - - quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum; item Sap. IV. 6. Quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet; potentes autem potenter tormenta patientur.**

## C A P U T VII.

### DOGMA CATHOLICUM DE POENIS ANIMAS POST MORTEM PURGANTIBUS EX- PONITVR.

---

#### ARTICVLVS I.

PRINCIPIA CATHOLICA PRAEUIA DE REMISSIONE PECCATORUM, HORVMQUE IN GRAVIA ET LEVIA DIVISIONE.

*Quod ratione naturali supra (219.) manifestum esse ostensum est, idem dogma catholicum est; scilicet **DEUM** infinite clementem et facilem esse ad ignoscendum per omne vitae tempus iis, quicumque post mala moralia quaecunque patrata ante finem eiusdem praesentis vitae de eisdem seriam poenitentiam agunt.*

Ita

Ita enim 1.) *Scriptura docet apertissime a) Ezech. VIII. 21. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet, et non morietur: omnium eius iniquitatum, quas operatus est, non recordabor: numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? Ibidem XXXIII. 12. Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua; ibique recensentur peccata gravissima idololatriae, homicidii, adulterii &c. & Cap. LV. 6. ibid. additur haec ratio: Quoniam (Dominus DEUS) multus est ad ignoscendum. b) II. Petri III. 9. Non tardat Dominus promissionem suam (de futura resurrectione et die iudicii extremi), sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquas perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.*

2.) *Idem SS. Patres ex istis Scripturae locis demonstrant, uti Tertullianus in Lib. de Poenit. cap. 7. et 8. et ex isto S. Cyprianus in Ep. 52. Synodica, et S. Pacianus in Ep. ad Sympron. S. Ambrosias lib. de Poenit. cap. 2., S. Epiphanius haeresi LIX., S. Hieronymus Ep. 82. (vel 83.) ad Oceanum, S. Augustinus in lib. de Agone Christiano, S. Chrysostomus tum in homil. 57. de Poenit. tum alibi saepissime.*

3.) *Concilia Oecumenica idem solenniter declarare; nimirum a) Lateranense IV. sub Innocentio III. a. 1215. Cap. 1. Si post susceptionem Baptismi quis prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reverti. b) Tridentinum Sess. VI. c. 14. id ipsum iisdem paene verbis affirmat, et Sess. XIV. Can. I. definit, eo fine Sacramentum Poenitentiae esse pro fidelibus DEO reconciliandis institutum, quoties post Baptismum in peccata labuntur. c) S. Cornelio Papae id ipsum contra Novatianos*

nos a. 251. iam definienti omnes Episcopi Italiae, vel per literas, vel in *Concilio Italico* proprio, assensere, teste S. Hieronymo de Script. Eccl. cap. 66.

\* Non hic opus est supponere totum dogma, quod nullum sit peccatum remissionis expers; sed sufficit stabiliisse generalem veritatem de Misericordia DEI ad ignoscendum semper parata: id quod ne Montanus quidem aliquis et Novatianus absolute negavit, quorum quippe errores ferme solam potestatem remittendi peccata, Ecclesiae a Christo concessam, impetebant. Vide Tournely de Sacram. Poenit. Q. I. Art. II. de Montanistis et Novatianis.

255.

*Poenitentiam* (seu emendationem vitae male actae) *perfectam* voco eam, cuius virtute seu efficacia non modo concepta male agendi voluntas deponitur, sed omnes pravi effectus, e. g. mali habitus, ex malo morali in mente relictis, ex integro destruuntur, et relapsus in nova mala moralia usu mediorum sufficientium serio cavetur: *imperfectam* ex adverso illam appello, qua quidem male agendi voluntas deponitur, & relapsus usu mediorum sufficientium cavetur, sed quin eadem sufficiat etiam ceteris omnibus effectibus, pravis e. g. habitibus, ex integro destruendis.

\* In data definitione abstrahe ab eo, quoniam actus et quales ad perfectam efficaciam poenitentiae requirantur, neque designo, quales universe sint mali moralis pravi effectus: quia tam distincta notione poenitentiae isthic quidem nondum indigemus, quippe quae tum primum locum habebit, ubi status gratiae supernaturalis in Theologia supernaturali iam fuerit expositus, et de Poenitentiae Christianae officiis speciatim agendum erit.

256.

*I. DEI Sapientiae et Iustitiae est, perfectam poenitentiam post male acta moralia ab hominibus exigere (208. 226.); videlicet ob ipsorum hominum commune et particulare bonum.*

*II. DEI Misericordiae et Clementiae vero est, perfectae poenitentibus plenam male actorum veniam cum omnis poenae remissione condonare (219. et 254.); ait enim ipse Ezech. XVIII. Iniquitatum eius non recordabor; et XXXIII. Impietas non nocebit ei: nec suppetit in hypothese perfectae poenitentiae ratio temperans DEI Clementiam aut restringens, seu ex parte DEI, seu ex parte hominis.*

*III. Ne ipsum quidem Christum Dominum decebat, ita DEO Patri suo pro peccatis hominum satisfacere, ut istos communiter et universe a necessitate perfectae poenitentiae excimeret. Non enim is poterat quid DEI Sapientiae et Iustitiae (quae pars summae bonitatis est (208.)), adversum velle, aut facere.*

\* Quicumque ergo fuerit modus, quo Christus Dominus satisfacit pro peccatis nostris, alius is esse non potuit, quam quocum salva per se staret et integra obligatio poenitentiae propriae perfectae. Nimirum satisfacit is ita Divino Patri, ut, tametsi hic propriae suae Clementiae innatae propensione non moveretur ad condonanda peccata etiam perfecte poenitentibus nunc tamen novo ex motivo speciali se solo sufficiente, nimirum ex amore complacentiae meritorum Christi Domini, quae sunt infinitae dignitatis moralis, moveri debeat ad plene ignoscendum iis, qui poenitentiae perfectae satisfactionem, supernaturali influxu et virtute meritorum Christi veluti animatam, et his ipsis Christi meritis et satisfactionibus coniunctam, sibi offerunt: sicuti et eundem in modum, praeter fiduciam in DEI innata Clementia infinita, nobis novum ac summe

summe efficax, nostraeque pusillanimitati valde congruum motivum bonae spei ex Christi Domini meritis, indulto patrocínio, promissione item expressa et supernaturali concursu in poenitentiae nostrae actus, accessit; quo multo adhuc potentius ad veniae fiduciam, et ipsius poenitentiae perfectae supernaturalis studium, animemur. At enim ista uberius hic demonstrando evolvere, tametsi facile esset, haud tamen huius seu loci, seu instituti est.

*IV. Quodsi itaque quidam post mala moralia perpetrata solum imperfectam poenitentiam agunt (255.), nec DEI sapientia et iustitia permittit, nec Christi Domini votum et voluntas fuit, ut eis perfecta venia univérse et per se continuo condonetur.*

• Dixi, *univérse et per se*: constat enim ex dogmate catholico, superesse in Religione Christiana alia adhuc media praeter proprios poenitentiae actus, quibus debitum residuum porro extingui possit: de quibus agere non est huius loci.

257.

*Culpa in genere* est quodvis demeritum morale positivum, seu omnis defectus rectitudinis positivus liber; quem scilicet vitandi facultas libera suppetebat; seu defectus ille sit in actu intellectus, seu tantum in actu voluntatis. *Culpa gravis* vocatur positivum demeritum morale (158.), cuius tanta est malitia moralis, ut, si in eo quis impoenitens ad mortem usque perseverat, vi sufficiente propria morali polleat ad movendum DEVM, ut, accedente necessitate communis boni humani generis haud aliter obtinendi, eius auctori decernat negare in perpetuum omnem benevolentiae effectum (205.), et in poenam illius demeriti eundem aeternae suae infelicitati permittat, quam sibi ultro conscivit (207.).

*Culpa*

*Culpa levis* ex adverso dicitur demeritum positivum morale, cuius vis moralis tanta non est, ut DEVM infinite bonum, spectata etiam necessitate boni communis, permovere queat ad eius auctorem a suae innatae benevolentiae effectibus penitus excludendum; sed tanta solum, ut possit DEVM movere ad specialis benevolentiae effectus omnes, saltem ad tempus in poenam ei subtrahendos.

258.

*Reatus culpae* dicitur vis demeriti moralis ad movendum DEVM ad benevolentiae suae effectus eius auctori in poenam subtrahendos.

*Reatus poenae* est necessitas tolerandi poenam pro culpa admissa.

259.

*I. Reatus culpae est gravis, vel levis, pro ratione culpae: 2.) sicuti et reatus poenae gravis est, qui respondet culpae gravi; levis, qui levi.*

*II. Reatus culpae est causa moralis, per modum obiecti movens DEVM ad imponendum reatum poenae.*

*III. Reatus poenae immediate ex decreto DEI decernente poenam, tanquam a causa existentiae efficiente, oritur.*

*IV. Decreti divini decernentis, et imponentis reatum poenae aeternae causa moralis adaequata non est solus reatus culpae, sed insuper perspecta necessitas eius poenae, ceu medii moralis unice sufficientis ad conservandum maius commune bonum (195. 206. 207.).*

260.

*Dantur mala moralia positiva, quae nullo pacto sunt culpae graves. Dantur enim mala moralia, quae*

quae nullo modo sufficere possint, ut ratione impediti, quod communi temporali felicitati afferunt, et contrarietatis suae cum bono maiore, spectata praesertim infirmitate et necessitate morali hominum ad male moraliter agendum, DEVM infinite bonum moveant ad eius auctores ab omni suae benevolentiae effectu demum penitus in omne aevum excludendos (216. II. not.). Ergo etc. (257.).

\* Cum istud ex aequo evidens sit, spectato solo iure naturae et ratione naturali; absurde utique Wicleffus, Calvinus, et Lutherus finxere, omnia mala moralia per se ex aequo graviora esse in ordine ad promerendam a DEO in effectu ipso poenam aeternam, nec nisi libero Divinae Misericordiae decreto respectu Christianorum fidelium fieri leviora, ac solum his (non item ethnicis gentilibus) ut talia imputari.

261.

*Demerita tamen etiam ea moralia positiva, quae culpaee graves non sunt (praec.), si destinata praesertim voluntate admittantur, habent vim malitiae moralis sufficientem ad DEVM movendum, ut eorum auctoribus, ultronea perfecta poenitentia ea non delentibus, aut intra huius vitae tempus poenas congruentes immittat, aut in eius fine omnes positivos benevolentiae suae effectus ad tempus proportionatum subtrahat, eosque naturali inde consequenti infelicitati cuidam positivae (225.) ad tempus permittat. Sunt enim et illa aliquis contemptus paucis DEI (202. 204. n. 2.); et saepe etiam communi bono temporali et aeterno aliorum hominum adversantur; tum denique relinquendo pravos habitus hominem disponunt ad mala moralia identidem plura, ac denique etiam gravia committenda. Ergo DEI iustitiam decet et ista mala moralia impedire mediis moralibus sufficientibus, eorum gravitati proportion-*

*Stattler Eth. christ. univers.* N por-



portionatis; id est, intentione poenarum convenientium, seu in hac vita, seu in futura (208.); quin misericordia, vel clementia obstare possit (212. 221.).

262.

*Dantur culpae, graves aliae, aliae leves* (260. 261. 257.).

263.

*Remittere culpam simpliciter* idem est, ac non amplius in actu secundo permoveri ad decernendam poenam ei respondentem, ac per se propriam. *Remittere perfecte culpam* est, ad nullam amplius poenam ei decernendam ab ea permoveri.

264.

*I. Potest ergo a DEO remitti simpliciter culpa gravis ob poenitentiam etiam imperfecte actam; etiamsi relinquat reatum poenae temporalis, condonata solum poena aeterna.* Haec enim est poena propria, culpae gravi per se respondens, excludi eius auctorem ab omni effectu benevolentiae etc.: atqui etc. etc.

*II. Condonatio reatus poenae est actus concomitans remissionem culpae* (258.); *nec fieri potest perfecta culpae remissio sine perfecta condonatione omnis poenae.*

265.

*Dogma quoque Christianae Religionis certum et divinitus revelatum est, DEVM, cum culpas graves simpliciter remittit* (263.), *non semper ita perfecte remittere, ut nullas porro decernat earum auctoribus poenas temporales.* 1.) Id docet *Scriptura Sacra:* a) nam Adamo culpa remissa fuerat; uti constat ex libro

libro Sapiientiae cap. X. v. 2. *Haec (Sapientia) illum, qui primus formatus a DEO pater orbis terrarum, - - custodivit, et eduxit e delicto suo: et tamen eidem a DEO dictum est Genes. cap. III. v. 17. Maledicta terra in opere tuo: in sudore vultus tui vesceris pane: - - pulvis es, et in pulverem revertaris. Cur autem istud? Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno. Ergo DEVS a culpa simpliciter iam remissa movebatur adhuc ad decernendum malum physicum, seu poenam (163.), eius culpa auctori. b) II. Reg. XII. 13. Davidi adultero et homicidae iam poenitenti DEI nomine Propheta denuntiat: Dominus transtulit peccatum tuum: non morieris. Ecce remissio culparum gravium simpliciter facta! Veruntamen quia blasphemare felicisti inimicus DEI; propter verbum hoc (ecce, ut culpa praeterita, iam simpliciter remissa, adhuc movet DEVM ad poenam temporalem infligendam!) propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur: et porro v. 10. seq.: Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum; eo quod despexeris me, et tuleris uxorem Vraie etc. etc.*

\* Ex his ipsis locis Scripturae patet, textus 254. allegatos n. 1., quoad exprimant perfectam remissionem culpaee et poenae, tantum intelligendos sub hypothese perfectae actae poenitentiae. Cum vero Apostolus ait ad Rom. VIII. 1. nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu; per damnationem intelligit reatum culpaee gravis nondum simpliciter remissum, qui renatis per Baptismum in Christo nequaquam insit; et si insit concupiscentia: siquidem haec, ceu non libera, rationem mali moralis, seu culpaee (257.), non habeat.

2.) SS. Patres ita sentiunt. Duorum testimonia in re vel sola ex ratione naturali tam compta sufficiant. S. Augustinus in Psal. 50.: *Aliquando*

quando, ait, *DEVS*, cui ignoscit in futuro seculo, corripit eum de peccato in isto seculo. Nam et ipsi David, cui dictum iam fuerat per Prophetam: *Dimissum est peccatum tuum; evenerunt quaedam, quae minatus erat DEVS propter ipsum peccatum.* Item ibid. *Impunita peccata, etiam eorum, quibus ignoscit, non reliquisti.* -- Sic praerogasti misericordiam, ut servares et veritatem, id est, iustitiam, quod ipsum est synopsis Corollariorum I. II. et IV. 256. iam praefixorum. S. Gregorius M. lib. IX. Moral. cap. 34. alias 17. *Dominus delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse homo hoc in se poenitens (perfecte videlicet) punit, aut hoc DEVS cum homine (imperfecte solum poenitente) vindicans percutit* -- Sic David post confessionem audire meruit: *Dominus transtulit peccatum tuum; et tamen multis post cruciatibus afflictus, reatum culpae, quam perpetraverat, exolvit.* Plura Patrum testimonia passim apud Theologos hoc dogma tractantes legere obvium est. Selegi ego, quae Scripturae a me allegatae (n. I. b) sensum huic asserto dogmati consentientem apertissime affirmant.

3.) *Concilia* tum quaedam *Oecumenica*, tum particularia plurima, hoc dogma divinum solenniter confirmarunt. Siquidem vetus Ecclesiae ac constans disciplina erat, ut poenitentes peccatores, praesertim publici, poenis vel occultis, vel publicis subiicerentur; et, qui in infirmitate Absolutione a peccatis et SS. Eucharistia iam donati fuerant, si a morbo convaluissent, ad eum ipsum remittebantur poenitentiae gradum, in quo eos morbus occupaverat: id quod patet ex *Concilio Nicaeno* Can. 13. ex *Concilio IV. Carthaginiensi* Can. 78. ex *Arausicano I.* Can. 3. Vnde dogma hoc demum absolute definivit *Tridentinum Sess.*

Sess. XIV. Can. 12. *Siquis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a DEO, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.*

\*\* Calvinus, qui dogma hoc, Luthero primum praeunte, negavit, et errori etiam, Luthero post vacillante, constanter institit, multique discipuli Lutheri, qui Calvini sententia stetero, sequentibus praecipue nitebantur fundamentis: 1.) Quod Christus infinite pro nobis satisfecerit: 2.) quod sit praesumptio, supponere, poenis temporalibus susceptis aut toleratis DEO ab homine satisfieri posse: 3.) DEI opera perfecta esse, nec proin imperfectam esse culpae remissionem: 4.) Baptismi exemplum urgebant, quo plene remissio fit. Verum facillime his *respondetur*: Ad 1. quidem: non decuisse Christum ultra id facere, quod DEI Sapientiae consilium secundum commune bonum suadebat (256. III.): esse quidem dignitatem moralem meritorum et satisfactionum Christi in se infinitam; sed effectum eius consilio Sapientiae et Iustitiae conformiter sic limitatum esse, ut quidem gratias omnes ad perfecte poenitendum sit promeritus, ut harum influxu nostrae poenitentiae condignitatem moralem praebeat, ut ad eam acceptandam DEVM Patrem novo motivo infinite sufficiente moverit etc.; sed nostrae poenitentiae perfectae conditionem simul necessariam relinquat ob altiores divinae Sapientiae et Iustitiae fines iam praefatos. Sane quid absurdius, et cum bonis moribus pugnans magis, imo quid felicitati publicae magis adversum, quam Sectariorum illud dogma insolens: *Christum solum iam plene nobis salutem aeternam promeruisse, et peccata nostra expiasse; quin alia re opus sit ex parte nostra, quam fide* (id est, praesumptione summe temeraria) *apprehendere eius merita, et certo credere, se eorum praecise intuitu, ac insuperhabitis quibuscunque sceleribus, sine alia poenitentia certissime fore salvum?* Ad 2. Non requiritur poenitentiae nostrae perfectio talis, aut eo fine; ut veluti pari honoratione DEI contemptus reparetur: sed ut effectibus peccati extinctis relapsus caveatur, nec ipsa facilitas nimia ve-

niae ad perpetuos relapsus invitet. In quo summa bonitas in ipsa Iustitia relucescit, et occurrit misericordia veritati. *Ad 3.* Imperfecte commune bonum urgeret DEVS, si ultra, quam huic prodesset, foret ad ignoscendum facilis. *Ad 4.* Ipsum Concilium Tridentinum Sess. XIV, cap. 8. ex mente Apostoli ad Hebr. VI. 4. disparitatis hanc dat rationem: *Quia divinae Iustitiae (id est, bonitatis Sapientiae consilio temperatae) ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam (id est, in statu imperfecto, in quo homo lumine fidei et viribus gratiae carebat) deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et daemone servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono scienter templum DEI violare, et Spiritum Sanctum contristari non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata (etiam identidem relapsis) dimittantur, ut occasione (ex veniae facilitate) accepta, peccata leviora putantes, veluti iniurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur.*

266.

*Poena dicitur paterna, si male moraliter agenti irrogatur ex amore benevolo erga ipsummet, e. g. ut corrigatur, ut a relapsu praeservetur; exemplaris, vindex, vel iudicialis contra vocatur, si irrogatur ex proposito et intentione boni communis aliorum, vel ut alii absterreantur ab imitatione mali exempli, vel ut caveatur eorum damnum ex malo morali immediate sequi solitum, vel ut idem inde reparetur. Unde alia est poena mere paterna, alia mere iudicialis, alia mixta.*

267.

*I. Poenae aeternae alterius vitae sunt mere iudiciales.*

*II. Poenae mali moralis in hac vita a DEO irrogatae semper sunt saltem simul paternae: quia simul*

mul serviunt vel ad correctionem, et ad poenitentiam movent, si haec nondum perfecta fuerit, vel eius imperfectionem suppleat, si non fuerit perfecta, simulque patienter toleratae merito novo morali praebent occasionem: ergo (praec.) etc.

\* Quorsum illa, quaeso, distinctio Calvinii, DEVM iustos in hac vita solum castigare ad correctionem? Quaeso, an castigatio paterna non item nihilominus poena est (163.)?

III. *Poenae, seu in hac, seu in futura vita, ex fine supplendae imperfectionis poenitentiae a DEO irrogatae, semper sunt saltem simul etiam iudiciales: quia disiunctive DEVS aut perfectam poenitentiam requirit, aut in eius supplementum poenas irrogat ex eo fine, ut aliqua perfectae remissionis difficultate alii absterreantur a similibus peccatis, et sic caveatur communi bono.*

\* Hoc ergo, nec alio sensu S. Chrysostomus in homil. de poenit. et confess. dixit.: *Propter hoc imponit nobis DEVS poenam, non de peccatis sumens supplicium; sed ad futura nos corrigens; quo scilicet in II. et III. corollario modo explicavi.*

268.

I. *Pro numero et magnitudine malorum moralium, a quovis homine admissorum, maior vel minor requiritur poenitentiae conatus et fervor, ut sit perfecta (255.).*

II. *Si poenitentia sit imperfecta, aut de levibus culpis nulla omnino perfecta sit: eo maiores sunt poenae, quas DEVS etiam culpis gravibus simpliciter remissis secundum iustitiam suam immittet in hac, vel futura vita, quo plura et maiora sunt mala moralia admissa; et quo imperfectior acta poenitentia, et quo*

N 4

plures

*plures supererunt culpae leves, nulla omnino poenitentia expiatae: ob rationes analogas 256. 226.*

*III. Si quis ex hac vita decedat, acta poenitentia aut nulla de levibus culpis, aut de gravibus solum imperfecta, nec DEO irrogante iam sufficientes poenas male actorum dederit; tam decet DEVM, eas in vita futura illo modo Cor. II. indicato irrogare, quam DEVM decet simpliciter sine perfecta poenitentia remissionem perfectam malorum moralium vulgo non concedere (256. I. et IV.).*

\* Parum itaque consequenter Lutherus in Assertionem Articulorum suorum Art. 5. concessit, DEVM culpas iam remissas punire poenis huius vitae, et tamen postmodum negavit, DEVM easdem non sat expiatas punire in vita futura. Sed iam ipsum dogma hoc Christianum propriis argumentis ex DEI revelatione demonstramus; postquam duo erroris fundamenta praecipua 262. 265. iam evertimus, quibus sectarii praecipue, et contra omnem sanae ipsius rationis evidentiam, innituntur.

## ARTICVLVS II.

DOGMA CATHOLICVM DE EXISTENTIA POENARVM VITAE ALTERIVS, ANIMAS PVRGANTIVM, SEV DE PVRGATORIO, DEMONSTRATVR.

269.

*Observatio obvia.* Saepe contingit, ut iustorum animae morte a corporibus separentur, seu levibus culpis adhuc inquinatae, de quibus nullam omnino poenitentiam egerunt, seu cum poenitentia solum imperfecta acta de culpis gravibus, et necdum toleratis poenis ullis congruis a DEO immixtis. Prior observatio vere obvia est in mortibus repentinis hominum alias proborum, subito omni rationis usu saepe destitui solitorum, prius-

priusquam de levibus culpis, quotidie admitti solitis, ullam poenitentiam agere potuerint. Altera non minus manifesta est ex pravis affectibus, quibuscum, ceu certis reliquiis pristinarum culparum etiam gravium, nondum perfecta poenitentia deletarum, mori saepe videmus homines, nulla adhuc istius vitae poena aut supplicio, ipsorum culpis congruo, a DEO castigatos.

270.

Quoniam itaque tum Scriptura divina Apoc. cap. XXI. v. 27. aperte monet: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum caelorum*; tum quod culpis gravibus simpliciter saltem remissis, a reatu quoque poenae aeternae tales animae immunes sint (263. 264. l.); tum demum ipsa ratio naturalis dicat, eisdem a DEI Iustitia convenientes poenas temporanea subtractione omnium specialium effectuum suae benevolentiae pro illarum culparum residuo reatu (258.), adhuc vel in vita altera irrogari debere (268. III.): idcirco illas animarum eiusmodi poenas temporaneas, in altera vita luendas, *purgationem animarum* vocamus: et quia necesse est, animas tales, dum actu poenas istas luunt, in aliquo loco esse, extra caelum seu locum beatitudinis positas; locum istum *Purgatorium* appellamus.

\* Nihil ineptius, quam de nomine disputare, quod novum illud sit, si rei nomini subiectae realitas et in se existere, et pridem omnibus perspecta certa que fuisse demonstratur.

\*\* Praeter veteres haereticos, Aerium (qui tamen sola suffragia negavit defunctis prodesse, Epiphanius id testante in haeresi 75. quin ipsum purgatorium negasse usquam legatur), Waldenses, Apostolicos, Petrobruifanos etc., Lutherus et Calvinus cum suis Purgatorium absolute inficiati sunt.



. 271.

*Dogma divinitus revelatum in SS. Scripturis, a Patribus communiter agnitum, et ab Ecclesia in Conciliis solenniter declaratum est, existere poenas purgantes in vita altera, seu purgatorium.*

1.) *Scriptura illud docet. a) II. Mach. XII. Iudas Machabaeus, cum apud paucos Iudaeos, in proelio contra Gorgiam praepositum Idumaeae occisos, quorum corpora sepelienda curabat, sub tunicis interfectorum invenisset de donariis idolorum, a quibus lex prohibet Iudaeos; v. 43. facta collatione duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habent repositam gratiam. Post quae v. 46. immediate subditur: Sancta ergo et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Ex his iam manifestum est, 1. aliquas animas iustas, sed imperfecte de culpis admissis poenitentes, posse cum reatu culparum nondum perfecte remisso transire in vitam alteram, eodemque manere aliquamdiu adstrictos.*

2.) *Eisdem posse post tempus aliquod, etiam iam in eo reatu residuo transactum, adhuc ab eo poenitus liberari. Tametsi enim illi occisi Iudaei violatae legis rei invenirentur obiisse; sperabat tamen bene de eis Machabaeus, scilicet quod non sine poenitentia ulla, saltem imperfecta obiissent; eo quod inde optimae spei fundamentum existere videret, quod ex causa pia, et pro religione pugnantibus, mortem oppetiissent. Porro nondum perfecte soluto culparum reatu, poenae quoque manet*

manet saltem temporalis reatus, et naturali modo positiva quaedam infelicitas ad tempus consequitur ex taedio dilatae beatitudinis et visionis DEI etc. (225.). Ergo etc. etc.

\* *Opponunt* Lutherus et Calvinus varia huic loco Scripturae: 1.) non esse librum Canonicum. 2.) Illos defunctos obiisse in gravi peccato. 3.) Iudam ipsum ex mente Catholicorum censendum esse errasse in fide, uti et una cum eo ipsum libri eius auctorem, ceu qui supponerent, nisi foret resurrectio mortuorum, animas hoc ipso non fore immortales; aut animas post mortem ad tempus omnino cum corporibus perire, nec nisi cum his in resurrectione ad vitam redire. 4.) Non hic generale dogma, sed hominis unius opinionem referri; quin auctoritate divina probetur. *Resp. ad 1.* Libros Machabaeorum esse Canonicos, ex infallibili Ecclesiae Catholicae oraculo sat constat, quod post Innocentium I. an. 405. in Ep. ad Exuper. editum est in Concilio Oecumenico Tridentino Sess. IV. Plura de hac re disputare, non est huius loci: siquidem locorum Theologicorum omnium demonstratam alibi vim in omni isthac tractatione Ethicae Christianae supponimus. Sed etsi libri Machabaeorum Canonici non essent, tamen dogmatis antiquam fidem inter ipsos Iudaeos certitudine historica probarent. *Ad 2.* Tametsi rei violatae legis etiam in gravi materia inventi fuerint; tamen spem de eorum salute conceptam verba illa. satis ostendunt: *Quia considerabat, quod hi, qui cum pietate darmitationem acceperant, optimam repositam haberent gratiam;* vel enim excusari debere omnino a gravi culpa videbantur per ignorantiam legis, aut facti, vel certe praesumi, quod multi saltem eorum ante egerint poenitentiam, quam ex acceptis vulneribus mortem oppeterent, cuius spei optimum utique fundamentum erat pugna pro patriis legibus pie suscepta. *Ad 3.* Auctor libri, more Iudaeorum contra Samaritanos disputantium, quaestionem de immortalitate animorum et de resurrectione corporum pro una eademque habet: ut enim Iudaei utramque affirmabant, sic Samaritani negabant utramque. Idem Christus Dominus fecit, probaturus contra Sadducaeos, Samaritanis

nis consentientes, futurae corporum resurrectionis certitudinem Matth. XXII. 31. *De resurrectione mortuorum*, ait, *non legistis, quod dictum est a DEO: -- Ego sum DEVS Abraham, et DEVS Isaac, et DEVS Iacob: non est DEVS mortuorum sed viventium.* Nisi connexam immortalitatem animorum cum resurrectione corporum haberi a Sadducaeis supponas; non concludet argumentum. Similiter argumentatus est Apostolus I. Cor. XV. 32.: *Quid mihi prodest, inquit, si mortui non resurgunt? Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Ad 4. Ex dicto loco hoc certum, iam in veteri Testamento communi fide receptum fuisse dogma de poenis temporalibus peccatorum, non plene in hac vita expiatorum, adhuc luendis in futura: idem dogma probari divini Spiritus per auctorem libri loquentis infallibili oraculo in his verbis: *Sancta et salubris cogitatio est etc.*

b) Alter locus *Scripturae* esto ex novo Testamento Matth. XII. 32., ubi Christus ait: *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Nisi supponat Dominus, in futuro seculo aliqua peccata remitti, inepte loqui putandus esset; quod impium cogitatu; sicuti inepte quis diceret: *Non nubam in hoc, nec in futuro seculo;* cum in futuro non dentur nuptiae. Jam vero in futuro seculo nec beatis in caelo, nec aeternum damnatis, remitti possunt; cum nihil coinquinatum illuc intret, et istic nulla sit redemptio: ergo inter hos medii quidam dentur in vita altera, necesse est.

\*\* *Aiunt contra hunc locum: 1.) Logice bona non est haec argumentatio: Peccatum in Spiritum Sanctum non remittitur in futuro seculo; ergo quaedam alia tunc remittuntur. 2.) S. Marcus III. 28. sic refert idem Christi dictum: Omnia dimittuntur filiis hominum peccata et blasphemias: -- qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed*

*sed reus erit aeterni delicti.* Atqui his verbis non exprimitur, nisi perpetuitas reatus per omne tempus huius vitae, sicuti S. Petrus e. g. Ioan. XIII. 8. dixit: *Non lavabis mihi pedes in aeternum, id est, nunquam.* 3.) Consonat S. Lucas XII. 10. sic idem referens: *Omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit, non remittetur.* 4.) Christus loquitur de remissione culpae gravis: atqui in vita altera nulla gravis culpa remitti: ergo nec ulla remissio in vita altera ex verbis Christi inferri potest. 5.) In hoc loco Matthaei saltem non formaliter revelatur dogma hoc; sed solum concluditur idem supponi a Christo: ergo saltem revelatum non est. *Resp. ad 1.* Etsi non spectata acribia logica, tamen spectatis regulis prudentiae ac recepti modi loquendi, bona est argumentatio. Sic recte utique ex illis verbis Christi: *Regnum meum non est de hoc mundo* (Joann. XVIII. 36.); Pilatus intulit: *Ergo Rex es tu?* *Ad 2.* S. Marcus epitomen Evangelii secundum Matthaeum conscripsit; proinde ille ex Matthaeo, non hic ex illo interpretandus. Praeterea verba illa: *Reus erit aeterni delicti, composita verbis, non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro, prorsus in dogma nostrum consonant; erunt enim delicta manentia in ipsum usque seculum futurum, sed non omnia aeterna. Interim si verbum aeternum apud Marcum relinqueret adhuc rem obscuram, clarius expressa veritas est in Matthaeo.* *Ad 3.* Sequitur solum, quod S. Lucas non omnem vim verborum Christi expresserit, sed solam remissionis in illo peccato difficultatem. *Ad 4.* Christus de culpae gravis remissione loquitur ita, ut nec secundum reatum culpae, nec secundum reatum poenae, seu in hoc seu in futuro seculo (nisi difficillime scilicet) remittendam praedicat: ex quo recte infères, futuram aliquam culpae remissionem in altera vita, seu quoad ipsum reatum culpae, si videlicet solum leves sint, vel saltem quoad reatum poenae temporalis, si graves quidem sint, sed tamen ob poenitentiam, licet imperfectam, in hac vita iam simpliciter remissae (263.). *Ad 5.* Supponitur iam revelatum in veteri Testamento. Si quaeras: Ubi? an II. Machab. XII.? At ibi iam refertur ceu creditum pro dogmate revelato: ubi ergo primo revelatum

tum est? Respondeo, fuisse revelatum cum ipso dogmate de animorum immortalitate et corporum resurrectione, et traditione propagatum, sicuti omnia prima dogmata revelata sola traditione ad Moysen usque propagata sunt: Literis tamen sacris saltem satis clare sic, ut renitenti fidem faciant, non nisi in Libro II. Machabaeorum expressum extare. Tametsi enim multis in locis (quos sedulitate consueta Card. Belarminus collegit) ipsi SS. Patres purgatorii indicati vestigia sibi deprehendere visi fuerint: tamen constat, ea talia non esse, quae convincunt satis ullo pacto, aut aliam etiam magis literalem interpretationem non admittant. Vide Dissert. Nat. Alexandri contra haeresin Aerii.

\*\*\* *Opponunt praeterea duplicis generis Scripturae locos; primo quibus duo tantum fortis diversae status futuri esse hominum hac vita semel defunctorum asseruntur, videlicet vel beatitatis in praemium bonorum, vel infelicitatis in poenam malorum meritorum: e. g. Eccle. XI. 3. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Altero loco veniunt ii, quibus asseritur, quod iustos a morte requies beata continuo excipiat: e. g. Pf. CXXVI. 2. Cum dederit dilectis suis somnum; ecce haereditas Domini! vel Apoc. XIV. 13. Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Responso ad primos est: asseri duos solum fore status fixos in aeternum perseveraturos; secus etiam limbum patrum everterent; quamquam locus Eccle. XI. non nisi hunc sensum literalem habere videatur: quemadmodum lignum aliquando cadit, ibique manet, et putrescit, ubi ceciderit; sic et homines aliquando necessitate naturae morientur, et putrescent, nec per se unquam resurgent. Ad alteros: Scriptura nusquam dicit, hoc statim a morte futurum, aut universe; nam locus Apocalypsis citatus, exigente id contextu, ad tempus finiti extremi iudicii pertinet; vel de viris omnino perfectis, aut perfecta poenitentia expiatis loquitur; vel de laboribus solum praesentis vitae quietem iustis promittit; quae varia variis interpretatio placet.*

2.) SS.

2.) *SS. Patres* dogma hoc, ceu in *Scripturis* divinis expressum, inde a primis *Ecclesiae* seculis frequentissime asseruere: et licet (quod paullo ante dictum) non omnes textus *Scripturae* sat firmum faciant argumentum pro sensu literali, quos *Patres* de purgatorio sunt interpretati; nihilominus tamen saltem communis *Ecclesiae* fides et traditio constans huius dogmatis exinde ad oculum patet.

Itaque *Origenes* hom. 35. in *Luc.* *Tertullianus* Lib. de *Anima.* c. 17. *S. Cyprianus* Lib. IV. ep. 2. locum *Matth.* V. 25. de purgatorio exponunt, qui sic habet: *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via, ne forte te tradat iudici, et mittaris in carcerem. Amen dico tibi: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Quamquam alii ibi de inferno agi magis existiment. *S. Augustinus* Lib. XII. de *Civit.* c. 24. *S. Gregorius M.* Lib. IV. *Dial.* c. 39. *S. Bernardus* hom. 66. in *Cantic.* locum *Matth.* XII. 32. supra lit. b) recitatum de purgatorio interpretantur eo ipso modo, quo diximus. Denique iidem *SS. Augustinus & Gregorius M.* cum *SS. Hieronymo & Ambrosio* putant (quamquam non sine dubio) de purgatorii igne intelligi posse celebrem illum locum *1. Corinth.* III. 12. *Siquis super fundamentum hoc superaedificet aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam; uniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit; quia in igne revelabitur; et uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod superaedificavit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit; sic tamen, quasi per ignem.* Verum sunt & aliorum super ambiguo hoc loco diversae admodum explicationes. Ceterum tam aperta consensio

sentio Patrum super hoc dogmate omni Ecclesiae aevo extitit, ut vel ipse Calvinus ultro confiteri non erubuerit (Lib. III. Instit. c. 5. §. 10.), iam seculo tertio communem hunc Ecclesiae sensum fuisse, atque solennem ubique terrarum morem, ut precationes fierent pro defunctis; etsi eodem Patres et fideles omnes in errorem huius dogmatis abreptos fuisse proterve affirmet.

\* Quae dicta Patrum a quibusdam *obiiciuntur*, tam frivola sunt, ut mentionem non mereantur. Exempli loco sit dictum S. Augustini, contra Pelagianos asserentis in Lib. Hypognostic., se praeter caelum et gehennam *tertium locum penitus ignorare, nec in Scripturis sacris invenire. Nam, cum Pelagiani parvulos non baptizatos faterentur quidem in regnum caelorum non pervenire, attamen eos aeternae vitae naturali beatitudine fore felices assererent; Augustinus respondet, se locum aeternae mansionis extra caelum et infernum nescire. Quamquam dubitant plurimi, an is liber sit Augustini. In ceteris locis Patrum, quae obiici solent, similes sunt responsiones, quales ad loca analogae Scripturae dedi hic n. 1. not. 3.*

3.) Accedit *Conciliorum Generalium* auctoritas: nam a) *Concilium Florentinum* in Definitione fidei sic habet: *si vere poenitentes in DEI caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omisiss; eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari: et ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, -- secundum Ecclesiae instituta.* b) Idem dogma de novo definiit *Tridentinum Concilium* tum Sess. VI. can. 30. tum in speciali Decreto de Purgatorio Sess. XXV. c) His consonant *Concilia Particularia antiquissima*, puta, Carthaginense III. & IV., Bracarense I., Cabillonense, aliaque, a Bellarmino citata.

\* Pu-

\* *Pugnant* contra dogma hoc Sectarii porro sequentibus ex rationibus. 1.) In Baptismo simul culpa et poena omnis perfecte remittitur; etsi quis adultus de peccatis admisis ante Baptismum non nisi imperfecte poeniteat: ergo idem fit in omni seria poenitentia, licet imperfecta; iam enim ex hoc patet, Deum ad delendos omnes peccatorum praeteritorum effectus, et reliquias pravorum habituum exterminandas, non temerari exigere poenitentiam tam perfectam, quae sua virtute et energia id totum praestet. 2.) Culpae leves a morte residuae, et nulla poenitentia in vita expiatae, post mortem satisfactione sola expiari non possunt; quippe quae, ceu non libera, merito caret: ergo pure liberali remissione remitti debent secundum culpae reatum: ergo et poenae reatus mere liberali remissione et sine exactione poenae post mortem a DEO remitti censendus est; cum poena non repetatur, nisi culpa nondum remissa. *Respondeo ad I.* Duplex est ratio, quae DEUM etiam infinite clementem a nimis liberali concessione perfectae remissionis culparum secundum Sapientiae suae consilium per se absterret: *prima*, ut ne perfecte remittat perfectae poenitentiae remedio non praescripto, aut non aliunde suppleto; *altera*, ut ne nimia Sacilitate veniae, etiam post abusum Misericordiae relapsu iterato commissum, ad novos relapsus iterandos quasi ipse invitet. Iam vero prima ratio vel cessat in Baptismo, vel ipsius Baptismi virtute suppletur: tum quod in peccatis ante Baptismum admisis ignorantia praecipuorum dogmatum Christianae religionis vulgo intervenerit, quae novo fidei lumine accepto abunde corrigitur; tum quod ipsa primae gratiae virtus tanta sit, ut vicendis pravorum habituum reliquiis facile resistat. Ex adverso in peccatis post Baptismum admisis, uti maior malitia, et gratiae iam semel acceptae contemptus intervenit; ita is ipse contemptus proprium severiusque remedium pro sui consanatione exigit; quo nullum est aptius, ipsique relapsui cavendo per se salubrius, quam perfectae poenitentiae sub severa lege exactio; quae lex aut ad perfecte poenitendum, aut ad poenas perfecta poenitentia nondum datas in altera vita luendas, saltem temporales, necessitet. Interim sicuti idcirco, quia gratiae Baptismi vir-

*Statuer Eth. christ. univers.* O tus



tus vincendis pravus habitibus residuis facile per se sufficit, DEUS in Baptismo culpas perfecte remittit, etiam nondum perfecta poenitentia deletis praeteritorum peccatorum reliquiis: ita culpis, etiam quae post Baptismum rursus admittae sunt, semel poenitentia licet imperfecta solum deletis, ex Christi Domini meritis et satisfactionibus nobis quaedam media ad omnem reatum poenae, etiam nondum deletis culparum reliquiis ex integro delendum, concessa sunt, puta Sacrificium Missae, Indulgentiae &c.; sed talia, vel certe sub talibus operum conditionibus, ut vitute gratiarum et auxiliorum spiritualium, quae ex illis nobis obveniunt, facile residuos pravos habitus et reliquias culparum aut vincamus, aut omnino deleamus. Vide confirmabilem huius obiectionis solutionem in Trident. Sess. XIV. cap. 8. citatum supra in fine not. 2. 265. *Ad 2. Cum remittere culpam etiam solum imperfecte aliud profecto non fit, nisi non permoveri ab ea ad poenam ei per se respondentem decernendam, seu paternam, seu iudicalem (263. 266.); non video, cur DEUS post exactas iam in purgatorio omnes illi respondentes poenas dicendus sit quid simpliciter remittere. Profecto DEI bonitas non permittit, ut culpae levi alia respondeat poena. quam temporalis: quam totam si actu repetat; non video, quid remittat; nisi forte illud, quod DEUS, uti in inferno, sic etiam in purgatorio infra condignum puniat. Aio ergo, post mortem retractatione et satisfatione quidem vere etiam culpas leves omnino extinguere; sed proprie loquendo nullum esse (per se) remissioni locum; sed omne debitum exigi usque ad novissimum quadrantem: per se, inquam; nisi videlicet vivorum suffragiis debitum aliunde dissolvatur: quo ipso in casu, non tam remittere, quam solutionem ab alio factam acceptare, DEUS dicendus erit. Omnis itaque dolor animarum purgantium culpas suas serviet quidem, ceu actus contrarius, ad delendas culpa reliquias; etsi liber non sit: sed non serviet ad remissionem ullam obtinendam, solumque poenae ipsius habeat rationem: poena tamen congrua iam omni persoluta cessabit ultro reatus culpae; quippe qui non est, nisi vis demeriti moralis apta movere DEUM ad poenam congruam irrogandam. Responsio haec, tametsi a*

com-

communi modo in quaestione mere scholastica recedat, ex ipsis tamen notionibus 258. 263. praefixis, et communi sententia receptis, omnino fluere mihi videtur.

\* \* Mirandum itaque, dogma, tam naturali rationi ex omni parte consonum, in ipsis Scripturis veteris iam testamenti tam clare assertum, ab omni retro Ecclesia contestatum, ultimorum temporum sectariis tam exosum, imo ridiculum etiam videri. Certe quos ipsi ut primipilos honorant, aut dubitanter ipsi de hoc argumento et veluti ambigui scripsere, ut *Calvinus* Lib. III. Instit. c. 25. §. 6., et *Lutherus*, prout constat ex eius Articulis a Leone Papa damnatis, et *Petrus Martyr* Loc. Commun. Classe III. cap. 9. §. 52.; aut illud omnino ceu dogma Catholicum fidei admisere, ut *Wicleffus* Dial. Lib. II. c. 22. *Iohannes Hus* in Elucidat. fid. et in Serm. de Exequiis &c. &c.

272.

*Animas, purgantibus poenis subiectas, auxilio spirituali viventis et militantis adhuc in terris Ecclesiae iuvare et sublevari a poenis posse, quas patiuntur, dogma quoque Christianum est.* Omnia enim argumenta, scripturae videlicet (praec. n. 1. lit. a.), Patrum eorundum, et Conciliorum id eodem tenore probant, quo ipsum dogma de existentia purgatorii. Accedunt omnes veteris Ecclesiae Liturgiae, in quibus oratio fit pro defunctis, et Missae Sacrificium pro eisdem offerri praescribitur.

\* Etiam quoad hanc Christiani dogmatis partem tam aperta sunt Ecclesiae documenta, ut eius perpetuum sensum et usum inde a tertio saltetn seculo in Ecclesia universalem fuisse, ne ipsi quidem duces sectatum adversantium negare audent, sed ultro confiteantur; siquidem iam *Tertullianus* in Lib. de Corona Militis cap. 3. de sui aevi more Ecclesiastico testatur: *Oblationes pro defunctis annua die facimus*; et *S. Augustinus* Lib. IX. Confess. c. 13. testatur, matrem suam, *Monicam*, vehementer rogasse, ut post obitum sui memoria

moria in Sacrificiis fieret, eiusque votis re ipsa satisfactum fuisse; et in Lib. de cura pro mort. c. 1. et Serm. 17. de verb. Apost. dicit, hanc doctrinam contineri in Libris Machabaeorum, traditam esse a Patribus, et universae Ecclesiae usu et auctoritate firmatam. Unde iam Seculo IV. Aerius, negans suffragia vivorum defunctis prodesse, a S. Epiphonio haeresi 75ta, et a S. Augustino in Libro de haeresibus, inter haereticos etiam hoc nomine refertur. Est nempe dogma hoc pars generalis dogmatis de communione Sanctorum, quam inter membra totius Ecclesiae Christi, caritatis vinculo aeterno inter se unita, existere in ipso Symbolo Apostolorum Christiani omnes omni tempore professi sunt, et profitentur; de qua Apostolus. I. Cor. XII. 26. *Membra autem corporis pro invicem sollicita sunt, et siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

**\*\* Rationes, quas adversarii huius quoque dogmatis opponunt, profecto inanes sunt. Dicunt 1.)**, debitum poenae tam esse personale, quam debitum culpae, et meritum gloriae: ergo sicut ista per alium contrahi non possunt, sic illud per alium non solvi. *Dicunt 2.)* debitum culpae non posse solvi per alium: ergo nec debitum poenae. *Dicunt 3.)* Christo iniuriam fieri, si homini satisfaciendi non solum pro poenis propria culpa commeritis, sed etiam pro poenis aliorum, facultas tribuatur. *Resp. ad 1.* Ex antecedente solum sequitur, *debitum satisfaciendi*, seu ipsum poenae reatum (258.) solo alterius facto contrahi non posse, non item, non posse *libere suscipi satisfactionem ipsam* ex caritate: secus nemo pro alio debitore seu alieno debito solveta ex suo posset. *Ad 2.* Debitum, seu reatus culpae per 258., est ipsa vis demeriti moralis ad movendum DEUM, ut puniat istius auctorem, sicuti vicissim meritum morale est actio movens ad dandum praemium eius auctori. Utraque haec vis moralis est insita actioni personali, et perdurat tamdiu, donec actio moralis mala vel bona, actu contrario retractetur, simulque DEI Iustitiae poenas congruas exigenti, vel sponte in hac vita, vel coacte in altera fuerit satisfactum. Iam quidem retractatio actionis moralis

salis praeteritate actio omnino personalis est, quia ad effectum pertinet, qui non nisi personali actione absolute potest obtineri, nempe ad delendam habituales inclinationem pravam voluntatis, ex praeterita culpa personali in mente relictam. Contra poenae ipsius post culpae retractationem adhuc residuus reatus cessat, modo poena data fuerit, seu per ipsum, seu per alium fuerit ipsius vice tolerata: siquidem solutio ipsa poenae ad alium finem non ordinatur, nisi ut eius metu alii, ceu exempli virtute, absterreantur a similis culpae perpetratoe; scientes se similiter puniendos, nisi aut ipsi sponte in vita poenas dent, aut ab aliis misericorditer fuerint sublevati. Ceterum permessa vivis adhuc Ecclesiae membris a DEO facultas satisfaciendi pro iam defunctis et occasionem praebet caritatis maxime spiritualis exercendae, et memoriam poenarum nutrit, quae occasione similis committendae culpae se offerente eo potentius absterreat. *Ad 3.* Pretium omne satisfactionum nostrarum, quo valent ad solvendum pro debitis poenalibus defunctorum fidelium, ab influxu et virtute meritorum ipsius Christi est. Opus itaque auctorem suum commendat, simulque imitatio exempli ipsius Christi eiusque caritatis est: cur ergo relictis nobis ista pietatis occasio Christi Domini honori praecudicium afferat; cuius tamen nominis, ceu communis capitis, vinculo utriusque Ecclesiae, militantis, et purgantis, membra inter se uniuntur?

\*\*\* Quod attinet poenae in purgatorio qualitatem, certum est iuxta omnes Catholicos, quod praeter poenam dilatae visionis DEI beatae patientur animae in illo detentae poenam aliquam sensus ex incommodo loci, sive iam is sit non nisi *obscurus et luctuosus carcer*, ut volebant Graeci in Concilio Florentino, sive etiam vero igne corporeo ibidem torqueantur. Quod autem ignis veri patientur poenam, sensus quidem communis Latinae Ecclesiae fuit omni tempore: attamen Graeci in eodem Concilio Florentino palam professi sunt, *dogma id orientalis Ecclesiae suae haud esse* (vide Harduini Concil. Tom. IX. pag. 954.); nec Latini Patres aliud circa hoc ab eis exegere, nisi ut definitioni supra 271. n. 3. de existentia purgatorii subscriberent. Et licet

apud eundem Harduinum ibid. pag. 406. legantur decem Graecorum delegati extra Sessionem publicam, in privato congressu in genere *suscipere*, quod Latini de igne purgatorio dicebant, scilicet non plene in hac vita expiatis animas in ignem purgatorium abire; tamen nec potestatem ad hoc a Graecorum Synodo acceperant, et paullo ante (pag. 403.) protestati fuerant, *se non contendere de hoc, sive ignis sit, sive caligo; sive turbo, sive aliud quid.* Porro origo diversi sensus circa caput hoc inter Latinam et Graecam Ecclesiam inde extitit, quod Graeci Patres cum S. Chrysostomo difficilem illum locum I. Cor. III. 12. (supra 271. n. 2. citatum) de inferni igne, contra Latini cum S. Augustino in Psal. 37. 1. communiter de purgatorio explicandum existimarint. Interim is unicus locus Scripturae est, in quo purgatorii ignis, quamquam cum particula diminvente, *quasi per ignem*, adstrui videtur. Vide Bessarionis responsum ad quaestionem de Purgat. Sessioni I. in Concilio Florentino praemissam apud Harduin. Tom. IX. pag. 19.

## CAPVT VIII.

### DE TEMPORE INCHOANDAE BEATITVDINIS PROBORVM, ET INFELICITATIS REPROBORVM

#### ARTICVLVS I.

DOGMA CATHOLICVM ESSE OSTENDITVR, ANIMAS PROBORVM OMNI REATV CULPAE ET POENAE SOLVTAS MOX AD DEI FRVTIONEM BEATAM ADMITTL.

273.

**O**stenditur I. *Exc SS. Scripturis.* Scripturae divinae pluribus in locis testantur, Sanctos immediate post mortem futuros cum Christo, id est, Christo coniunctos in ipsa beatitudine. Ex una enim

enim parte Scripturae saepius asserunt, Christum Dominum secundum naturam quoque humanam actu frui beata DEI visione; et ex altera parte quoque affirmant, Sanctos mox a morte fore cum Christo, et ideo mox beatos fore. *Primum membrum* patet ex sequentibus. Act. II. 55. *Stephanus vidit caelos apertos, et IESUM stantem a dextris virtutis DEI.* Ad Hebr. I. 3. *sedet ad dextram Maiestatis in excelsis.* Ibid. IX. v. 8. opponitur ingressui summi Pontificis veteris testamenti in sancta sanctorum ingressus Christi in conspectum Patris: *Semel in anno introibat solus Pontifex; -- hoc significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum: tumque v. 24. subditur: Non in manufacta sancta IESUS introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum caelum, ut appareat nuuc vultui DEI pro nobis.* Alterum membrum expressum locis sequentibus habetur. Ad Philipp. I. 21. Apostolus ait: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum: -- quid eligam; ignoro. Coardior autem e duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne necessarium propter vos.* Evidens est, Apostolum ideo suspirare mortem, ut mox cum Christo beatus sit: siquidem mortem, ceu aliquid sibi multo melius prae vita diuturniore, optabat, nec nisi alienae salutis causa vitam producere paratus erat. Et vero Christus ipse Ioan. XVII. 24. aperte explicat, quid sit esse cum ipso, dicens: *Pater! quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum ego, et illi sint mecum: uti videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante constitutionem mundi.* Itaque cum Christo esse, idem est, ac videre generationem Christi aeternam a Patre; siquidem ante constitutionem mundi (seu ante iacta fundamenta mundi, ut in Graeco est)

non habuit claritatem aliam, nisi ex divina generatione; neque vero *tò quia* caussalis particula est, sed coniunctiva, obiectum visionis assignans. Denique idem Apostolus II. Cor. V. 1. apertissime declarat, quid apud fideles DEI servos dissolutionem vitae et corporis huius continuo consequatur. *Scimus, inquit, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis.* Ecce! continuo post dissolutionem habitationem corporis huius, caelestem nobis patere dicit. Pergit vero v. 6. sic: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domina (per fidem enim ambulamus, et non per speciem): audemus autem, et bonam voluntatem habemus, magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Continuo ergo peregrinationi a corpore succedere praesentiam ad Dominum, Apostolus docet, veluti doctrinam, cuius certa fides fundamentum sit ardentis illius desiderii; quo iusti cum Apostolo optent corporis istius dissolutionem: quippe sine quo voti istius fundamentum ab Apostolo assignatum evanesceret.

\* *Duo contra textus istos directe obijci possunt: 1.) illis tantum probari visionem Humanitatis Christi, non Divinitatis; 2.) in loco ultimo II. Cor. V. per domum terrestrem intelligi non corpus cuiuslibet hominis, sed totum mundum hunc, ac proin non nisi post dissolutionem huius mundi nobis superstitem habitationem caelestem proflare; item per domum caelestem intelligi corpus immortale, nec proin aliud promitti, quam resurrectionem corporum; ergo textus isti rem non probant, quam intendimus. Ad 1. Nego assertum; quia coniunctio cum Christo in beatitudine, et visio claritatis eius, utique praecipuae, quam Ioan. XVII. 5. dicit se habuisse apud Patrem prius, quam mundus esset, promittitur; et ad hanc Apostolus aspirat,*

rat, sicuti et ad *praesentiam* DEI. Ad 2. Apostolus loc. cit. v. 2. ac v. 4. aperte innuit, se corporis habitaculum intelligere; cum de horrore naturali mortis disserit, ex quo homines optarent potius sine morte immediate ab una vita misera ad aliam meliorem sine morte transire; et nihilominus subdit: Audemus, id est, optamus mori, et dissolvi, ex spe scilicet melioris vitae continuo secuturae in anima, etiam corpore dissoluto: *Nam et in hoc ingemiscimus, inquit, habitationem nostram, quae de caelo est, superindui cupientes; quin opus sit corpus exuere; et v. 4.: Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati; eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeat, quod mortale est, a vita.* Deinde per domum caelestem id intelligit, quo optat etiam cum expoliatione corporis, et peregrinando a corpore, recipi veluti in domum non manufactam, id est, *praesentiam ad DEVM per speciem, non per fidem.*

•• Post haec textus plures Scripturae opponunt, in quibus contraria huic dogmati designari existimant. Itaque 1.) Matth. XX. 8. *denarius* non nisi labore ab omnibus operariis simul finito sub vesperam diei retribuitur: atqui *denarius* beatitudinem, *vespera* diei mundi finem designare videtur. *Resp.* Scopus parabolae attendendus est; non omnia adiuncta minutim enteleanda: secus credendum foret, et *murmuratos*, atque *oculum nequam* quosdam ex beatis habituros. Interim publica, solennis, et universalis retributio completae beatitudinis per denarium illum designari potest, quae in fine mundi fiet. 2.) Ad Hebr. XI. 39. de veteris testamenti Sanctis dicitur: *Et hi omnes testimonia fidei probati non acceperunt repromissionem, DEO pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur:* ergo teste Apostolo illi omnes nondum admissi erant ad beatitudinem, sed in fine mundi primum omnes nos cum illis admittemur. *Resp.* Sensus est, eos non esse admissos ad gloriam ante ascensionem Christi, et in eo DEVM melius quid nobis providisse secundum Apostolum, quod nos Christiani tandem expectare beatitudinis affecutionem post mortem non cogamur; si similiter, atque illi, ex fide ambulemus.



lemus. Sumit vero Apostolus tempus totius testamenti novi veluti in summa collectum, et sic opponit testamento veteri, cum ait: *Ut non sine nobis consummarentur.* Vide Cornelium a Lapide in hunc locum. S. Augustinus de consummata beatitudine intelligit cum aliis: at scopus Apostoli est praecise, ut Hebraeos a Moyse ad Christum traducat, ostendendo, non consummari salutem per legem Moysis, sed per fidem in Christum, et gratiam Christi. 3.) I. Ioan. III. 2. scribit Christi discipulus dilectus: *Scimus, quoniam, cum apparuerit (Christus scilicet in secundo adventu), similes ej erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est:* ergo antea non videbimus DEVM, sicuti est. *Resp.* Contextus antecedens evincit longe alium sensum; sic enim habet: *Carissimi! nunc filii DEI sumus; et nondum apparuit, quid erimus: scimus, quoniam cum apparuerit (non, cum apparuerit secundo Christus; sed, cum apparuerit, quid erimus), similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* 4.) Apoc. VI. 9. de Martyrum animabus dicitur: *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum DEI, et propter testimonium, quod habebant; et clamabant voce magna, dicentes: Usquequo, Domine, non iudicas, et vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datae sunt illis singulae stolae albae, et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.* Dicuntur hic animae Martyrum esse adhuc *subtus altare*, et iubentur *requiescere* adhuc et expectare, donec etc. ergo nondum fruuntur gloria et visione DEI. *Resp.* De eisdem animabus, quae hic dicuntur esse *sub altari*, et accepisse *singulas stolas albas*, cap. seq. v. 15. dicitur: *Ideo sunt ante thronum DEI, et serviunt ei die ac nocte in templo eius: et qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius: nec cadet super illos sol, neque ullus aëstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet ad vitae fontes aquarum, et absterget DEVS omnem lacrimam ab oculis eorum.* Ergo iam fruuntur gloria et conspectu DEI, et solum desiderant coniungi cum corporibus ad complementum beatitudinis perfectae, sicque restitui sibi corpora sua, atque plene vindicari, id est, liberari a iactura,

ra,

ra, quam ab impiis in terra passae sunt. Solum superest, ut explicetur, cur tamen dicantur esse *subtus altare*, iam vero haec vox torfit quidem mirifice omnium commentatorum ingenia, et causa fuit praecipua erroris quorundam circa dogma praesens, de quibus postea; item fuit origo diversorum sensuum inter ipsos SS. Patres circa locum animabus sanctis destinatum usque ad diem iudicii. Aptissime sentire de hoc Cornelius a Lapide videtur, dicens, alludi ad *altare holocaustorum*, quod erat in atrio Sanctuarii; cuius vicem subeant loca, in quibus Martyres occisi sunt, aut eorum corpora sepulta iacent. In eis enim, ceu in altaribus, quasi immolata, et sub eis sepulta esse corpora sanctorum Martyrum; et fortassis etiam alludi ad antiquissimum ipsius primae Ecclesiae morem; quo Martyrum ossa sepeliri sub altari consuevere; de quo testatur S. Ambrosius Ep. 54. ad Marcellam. et Serm. 11. de Sanctis, qui olim adscribebatur Augustino. Sensus proinde est: Vidi per visionem symbolicam animas Martyrum sub altari, quia secundum corpus ibi sepulti sunt, qui super altare, quasi holocausta, suam vitam immolarunt; et clamant per corpora sua ibi sepulta, sicuti Genes. IV. 10. sanguis Abel de terra, in qua effusus erat, vindictam clamabat.

274.

*Idem dogma ostenditur 2.) assertum a SS. Patribus. Seculo I.* Catholicum dogma asseruere *Hermas* in opere Pastoris, docens, omnes, qui pie obeunt, poenitentibus exceptis, iam in caelis coronari. *S. Clemens* Papa in Ep. ad Corinthios de S. Petro ait: *Martyr effectus, discessit ad debitum gloriae locum. Seculo II.* *Ecclesia Smyrnensis* de *S. Polycarpo* apud Euseb. lib. IV. hist. cap. 15. scribit: *Per tolerantiam devicto iniusto praeside, immortalitatis corona recepta, cum omnibus Apostolis et iustis exultans DEVM glorificat. Athenagoras* in Apolog. hoc fortitudinis Christianorum fundamentum esse asserit: *Persuasi sumus, nos hac mortali*

tali vita defunctos, alteram longe meliorem esse victuros, ut apud *DEVM*, et cum ipso simus. *Sec. III.* *Origenes* lib. II. *Periarch.* cap. ult. etsi erret in eo, quod velit, Sanctos paullatim proficere, et per diversa loca perduci, aperte tamen fateatur, nunc peragratis omnibus iis locis multos eorum esse in caelo, et *DEVM* videre. *S. Cyprianus* in *Exhort. ad Martyr.* ait: *Quanta securitas exire hinc gloriosum; claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eos statim, ut DEVS videatur, et Christus? Terris repente subtraheris, ut in regnis caelestibus reponaris. Seculo IV.* Omnes ferme scriptis aliquibus celebriores in hoc dogma consensere; *S. Athanasius* in vita *S. Anthonii Abbatis*; *S. Basilus* orat. de *S. Gordio Mart.*; *S. Gregorius Nyss.* orat. funebr. in *Pulcheriam Theodosii Imperat. filiulam*; *S. Gregorius Naz.* orat. X. et IX.; *S. Hieronymus* contra *Vigilant.*; *S. Cyrillus Alex.* in lib. ad *Reginas.* Subdam solummodo loca eorum Patrum, qui vacillasse alibi circa praesens dogma visi, in oppositi erroris patrocinium vulgo evocantur. Inter istos primus aetate *S. Hilarius* in *Psal. 48.* disertè affirmat, sine mora statim a morte vel praemium in sedibus beatorum, vel supplicium nos manere. *Testes, inquit, nobis Evangelicus dives et pauper: quorum unum Angeli in sedibus beatorum, et in sinu Abrahae locaverunt, alterum statim poenae regio suscepit. - - - Nihil hic dilationis aut morae est. Et in Psal. 65. Martyres in caelis domicilii habitationem, consummatis hostiarum suarum sacrificiis, introierunt.* Sequitur *S. Ambrosius.* Is in *Ep. 15. alias 59. num. 4.* *Acolius, inquit, superiorum incola, possessor civitatis aeternae illius Ierusalem, quae in caelo est, videt illic urbis eius mensuram immensam, purum aurum, lapidem pretiosum, lumen sine sole perpetuum;*  
et

*et haec omnia iam dudum quidem sibi comperta; sed nunc facie ad faciem. Et in libro de bono mortis, cap. X. et XI. animas corpore exutas, ait, reprobissimam possidere haereditatem, festinantes vultum DEI videre, tumque addit: Hanc remunerationem habent (iusti), ut videant faciem DEI, et lumen illud, quod illuminat omnem hominem: --- tunc revelata facie gloriam DEI speculari licebit. Sanctus quoque Chrysostomus in Orat. de S. Philogonio: Beatus ille, qui hinc abiens, in civitatem ascendit, et in Ecclesiam illam conscriptus est, quae est primogenitorum descriptorum in caelis; --- ad angelorum conventum translatus est: -- in quo medio conventu, ait, versari Regem ipsum: -- quem vident omnes, quantum capere possunt, tunc praesentem, tum splendore maiestatis suae omnes, qui in eo sunt, collustrantem. S. Augustinus in Tract. CXXIV. in Ioan., loquens de obitu S. Ioannis Evang., quem quidam adhuc vivere et in sepulcro dormire, falso asserabant, ait, non esse verisimile, ut ei, discipulo, quem IESVS in tantum prae ceteris diligebat, ut super pectus eius discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum: cum B. Petrum per ingentem martyrii gloriam ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quod Apostolus Paulus se concupisse dixit et scripsit, dissolvi, et esse cum Christo. Idem S. Pater pluribus locis et imprimis lib. IV. contra Iulian. cap. 8. adversus Pelagianos propugnat, parvulos post Baptismum morientes, non item morientes sine Baptismo intrare in regnum DEI: nihil autem aliud est regnum, quam vita aeterna, ait idem Serm. 14. de verbis Apost. cap. 3. et 4. Claudit seriem hanc S. Bernardus e Sec. XII. Is in ferm. de diversis 19. ait de Martyrum animabus: Hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam, oculis Divinitatis intuen-*

*tuentur essentiam* De S. Malachia in huius vita cap. ult. sic habet: *Pari cum Angelis gloria et felicitate laetatur.* Demum Serm. 2. in S. Victorem: *Caelum ingressus vere nunc revelata facie speculatur gloriam DEI.*

\* Verum sunt quoque ex antiquis scriptoribus, qui a dogmate hoc in oppositum errorem, loco illo ambiguo Apoc. VI. 9. praecipue decepti, declinarunt. Id quidem omnino cum Petavio, Tournelyo et Berthio fatendum censeo de *Iustino M.* et *Irenaeo M.*, II. *Seculi* scriptoribus (qui saltem ut opinionem probabiliorem errorem oppositum adoptarunt; etsi faterentur, multos pie ac christianae sentire, Sanctorum animas statim a morte in caelum recipi); item de *Tertulliano Seculo III.* inclarescente, ac demum de *Lactantio Seculo IV.* scriptore non tam Ecclesiastico, quam Rhetore eloquenti, aliisque nonnullis, isto etiam ignobilioris notae. Horum paucorum auctoritatem potius sibi sequendam quoque praestituit *Vigilantius*, seculi eiusdem quarti haeresiarcha; quem S. Hieronymus istius ipsius erroris inter alios redarguit in libro adversus ipsum exarato.

\*\* Sed vicissim Christianae veritati vindicantur merito alii primae auctoritatis Patres, quos nonnulli in suspicionem adversi erroris traxere, et primo quidem *Ambrosius*, et *Augustinus*. S. *Augustinus* ipse lib. XXII. de Civit. cap. 7. de se fatetur, se olim et ante Episcopatum Millenariis (de quibus infra) consensisse; cuius erroris tamen ipsa abiectio rectus illius de praesente dogmate sensus satis firmatur, quem in locis supra citatis aperte prodidit. Interim, cum seculo quarto, seu Patrum istorum aetate, quaestio de loco beatorum animarum, an videlicet iam in ipsum caelum, seu aeternam illam beatorum sedem receptae nunc essent, vel in alio quodam semoto inde loco beatitudine interim fruerentur, donec corporibus coniunctae demum in die iudicii extremo in caelum ipsum transferrentur; cum, inquam, haec de loco beatorum animarum quaestio ea aetate nondum tam communi sensu Ecclesiae, ut hodie, decisa esset: ambo Sancti Patres isti, *Ambrosius*

brofius quidem faepius in lib. de bono mortis, Augu-  
ftinus vero lib. XII. de Civit. cap. 9. et alibi, tenent  
in quibusdam *promtuaris*, vel secretis receptaculis non  
infra terram, fed fupra iftam ( quod patet ex lib. XX.  
de Civit. cap. 14. ) animas iuftorum interim receptas  
efle, ibique plenam refurrexionis gloriam expectare:  
item innuunt, ante illud tempus ob defiderium unio-  
nis cum corporibus, et consummatae iftius beatitudi-  
nis confequendae, nondum eas totas in DEVM ferri,  
nec nifi poft refurrexionem ad plenam DEI vifionem  
gradum faaturas. Quae quidem omnia cum dogmatis  
praefentis fubftantia non pugnant; etfi veritatem om-  
nem tam integre ac plene haud enuntient, ut non ca-  
ligrine quadam obdueta appareat. Cum itaque S. Au-  
guftinus ferm. I. in Pfal. 36. inquit: *Post vitam iftam  
nondum eris, ubi erunt fancti, quibus dicitur: Venite be-  
nedicti Patris mei: - - fed iam poteris ibi efle, ubi quon-  
dam ulcerofum pauperem dives ille fuperbus in tormentis  
vidit a longe quiefcentem;* a communi fenfu hodiernae  
Ecclefiae diffentit circa locum, non circa vifionis bea-  
tae fubftantiam: dum vero in Pfal. 43. ait: *Vifio facie  
ad faciem liberatis in refurrexione fervatur;* de contum-  
mata beatitudine loqui cenfendus eft ob alibi apertiffi-  
me explicata fenfa de praefente quaefitione.

\*\*\* S. Chryfoftomus cum hom. 52. in Matth. ait,  
iuftos ftatim a morte non in caelum, fed in finum  
Abrahae, feu in Paradifum terreftrem ferri, in quem  
putat translatae efle boni latronis animam; item circa  
locum, non circa gloriam fanctarum animarum praef-  
entem diffentiebat. Cum vero hom. 39. in Epift. I.  
Corinth. ait: *Anima absque carne non accipiet bona in-  
effabilia, ficut nec punietur: fi enim non refurgit corpus, inco-  
ronata manet anima extra illam beatitudinem, quae eft in cae-  
lis;* tum de beatitudine consummata id intelligit, tum  
modo fupra iam dicto veluti connexa duo dogmata de  
immortalitate animae et corporum refurrexione affer-  
rit, et, refurrexione ab impiis negata, fequi ait, nec  
immortales in gloria futuras. S. Bernardus denique,  
cum Serm. 2. et 3. de omnibus Sanctis docet, fanctos  
ufque ad diem iudicii efle *sub altari*, eos *stare in atris,*  
*super eos signatum adhuc efle lumen vultus Domini,* iti-  
dem

dem circa locum, errat, et plenam solummodo beatitudinem eis abiudicat etc. etc. Studiosius Patres istos vindicatos apud Tournelyum et Berthium invenies.

\*\*\*\* Atque haec ipsa ambigua loca istorum Patrum, ceteris illis vere errantibus scriptoribus coniuncta, ansam dedere contentiosae illi disputationi, quae *Seculo XIV.* sub Papa *Ioanne XXII.* circa quaestionem istius dogmatis invaluit ab anno 1331. ita, ut iste Pontifex gravem erroris defensi suspensionem incurreret; quam tamen illius hostes, Ochamus praesertim et Michael Caesennas, aliis notis ex rationibus eidem infesti, ultra verum auxere. Eruditissimus scriptor Laurentius Berthi lib. III. de Theol. discipl. cap. 11. Pontificem istum validis documentis defendendum sumsit, quod neque ut privatus Doctor affirmate errorem docuerit, sed solum libertatem de quaestione disputandi, ceu nondum comperta veritate, concesserit, et ipse praecipue argumenta errori faventia studiosius collegit. Praecipui ipsi Galliarum Theologi, Iuening, Tournely, l'Herminier, aliique, expensa protestatione Theologorum Parisiensium coaevorum, quorum arbitrium et censuram de Ioannis XXII. sententia Rex ipse Galliae, Philippus Valesius, ex instituto requisierat, ingenue fatentur, nihil Pontificem ex Cathedra, ut loquimur, circa eam rem definivisse, sed ipsum quidem in negantem sententiam falsam inclinasse; attamen cuilibet reliquisse de ea re sentiendi et scribendi plenam libertatem. Quod ipsum tum ex Pontificis eius epistola an. 1333. ad Regem scripta patet, tum ex disertis verbis eiusdem an. 1334. die 3. Ianuarii in Consistorio Apostolico coram S. R. E. Cardinalibus publice prolatis, quibus protestatus est, *quod in hac quaestione non intenderit aliquid determinare, vel decidere, seu credere; et si forsan aliqua Scripturae sacrae, seu fidei orthodoxae obvia ab ipso praeter intentionem prolata fuissent, se illa expresse revocare.* Huius declarationis testem habemus Benedictum XII. Papam, Ioannis Successorem, in Bulla *Benedictus DEVS etc.* Denique morti proximus idem Ioannes Papa an. 1334. solenni professione fidei scripto concepta, ipse dogmatis catholici veritatem pluribus S. R. E. Cardinalibus praesentibus asseruit; quae

quae hodie extat in Manuscripto Vaticano n. 4008. p. 172. Interim illud negari non potest, illum Pontificem privato suo sensu per plures annos circa illud dogma ambiguum haesisse, inclinasse in errorem, favisse eius propugnatoribus prae aliis etc. quod utique deinceps fundamentum praebuit eius hostibus, imo et aliis, uti Gersoni, quin et Adriano VI. etc. ut mente privata eum propendisse longius in errorem existimarent, atque etiam scripto affirmaverint.

275.

*Dogma Catholicum solenni auctoritate Ecclesiae definitum est* 1.) in Concilio Florentino Oecumenico an. 1439: quod in ipsa definitione fidei sic habet: *Definimus, -- illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem excutae corporibus, sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare DEVM trinum et unum, sicuti est.* Sunt haec verba Concilii excerpta ex formula fidei, quam iam an. 1267. Clemens IV. Papa miserat Michaeli Palaeologo, Graecorum Imperatori, et quae ad verbum expressa omnis legitur in Epistola responsoria eiusdem Imperatoris ad Gregorium X. Papam, qui illum ad Concilium Oecumenicum Lugdunense II. invitaverat: quae Michaelis Epistola cum inter acta istius concilii referatur, vulgo Theologi pro hoc dogmate citare solent definitionem istam veluti a Concilio Lugdunensi iam editam; sed falso. 2.) Concilium Tridentinum Sess. XXV. idem dogma supponit, cum ait: *Docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus DEO offerre: -- illos vero, qui negant, Sanctos aeterna felicitate in caelo fruentes, invocandos esse, -- impie sentire.* 3.) Idem dogma solenni quoque Decreto, cuius initium *Benedictus Deus*, ex occasione

Stattler Eth. christ. univers. P sione



fione contentionis sub Ioanne XXII. ortae an. 1336. definiit *Benedictus XII.*, Ioannis in Pontificatu Successor.

\* *Graeci*, ut patet ex actis praevis ante Sessionem I. Concilii Florentini (apud Harduin. Tom. IX. p. 19. et 22.), et ipsi obscure de hoc dogmate sentiendo in oppositum errorem inclinabant, non tamen omnes; imo fortassis de plerisque idem tenendum, quod supra de S. Chryostomo diximus; cuius auctoritatem in omnibus sequebantur. Verum illi denique facile in communem dogmatis definitionem in eodem Concilio, eademque in Sessione consensere.

\*\* At insuperhabitis omnibus, utut solennibus oraculis hisce Ecclesiae, etiam *Seculo XIV.* adhuc errori calculo suo accedere *Lutherus* in Praelect. in Genes., et *Calvinus* lib. IV. instit. cap. 25., haud dubie, quod contradicere Ecclesiae gloriosum ducerent, ubicunque ob aliquam ortae aliquando contentionis speciem obtentum qualemcunque pertinaciae invenirent. At non est, cur in parvo illo numero errantium auctoritatem errori suo obtendant: neque enim fidei dogmata ulla a contradictione per se immunia sunt; nec deest Ecclesiae auctoritas, controversias, in rebus fidei saepe exoriri solitas, iudicio falli nescio demum definiendi.

\*\*\* *Opponunt* vero tam publicae et solenni sensus Ecclesiae declarationi varias precum formulas, quibus Ecclesia vel hodie dum, vel olim saltem, uti consuevit in penso Sacerdotum Canonico et in Missae Sacrificio; et in quibus modo orat, *ut animae Sancti* e. g. *Leonis* *prosit oblatio*, vel oratio sua, vel *ut Deus* animas pie defunctorum *liberet a poenis inferni, et de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus etc.* Ergo, inquiunt, non credidit Ecclesia antiqua, Sanctos iam frui visione DEI, sed suspensam adhuc esse earum sortem. *Verum* non utique ex id genus precibus, quarum saepe obscura origo est, magis, quam ex solennibus oraculis, et SS. Patrum rem ex instituto examinantium doctrinis, sensus genuinus Ecclesiae coniciendus erit. Ecclesia orat universe in Sacrificio, ut  
obla-

oblatio *Sanctis proficit in honorem, nobis autem ad salutem etc.*: orationes particulares, praesertim de summis Pontificibus et Episcopis, non nunquam mox a morte eorum scriptae et in anniversariis exequiis adhibitae sunt, cum nondum festa Confessorum celebrabantur; sed deinceps mutatae sunt, postquam coli coepere: quod de S. Leonis oratione testatur Innocentius III. lib. V. Ep. 131.; etsi mutationis tempus ignorari fateatur. Pro animabus defunctorum Ecclesia dicto modo in anniversariis orat relate ad tempus ipsius obitus; sicuti per annum Mysteria Christi veluti recentia praesentiaque commemorat.

\*\*\*\* Ceterum omnis ille error circa praesentem quaestionem reipsa reliqua quaedam erat erroris alterius multo latioris *de Regno millenario Christi in terris post Resurrectionem et generale Iudicium in terris futuro*; in quo iustorum animae, corporibus suis iterum coniunctae, omnibus carnis voluptatibus essent fruiturae. Hunc, praeter alia heresum portenta, sparserat circa annum aerae Christianae 80. *Cerinthus*; cuius sectatores idcirco *Chilistas*, seu Millenarii, appellati sunt. Sed hoc nimis crassum. Aliud millenarii Regni genus sub initium secundi Seculi invexit Papias, Episcopus Hierapolitanus, qui S Polycarpi amicus, et auditor Ioannis, non quidem Evangelistae, sed alterius homonymi Presbyteri fuit; ut bene monet Eusebius lib. III. hist. c. 39. siquidem Papias ipse in Praefatione librorum suorum diserte protestatus est, se nunquam Apostolos audivisse, sed tantum discipulos primos Apostolorum. Is ergo ex male intellectis quibusdam Scripturae parabolis, aliorumque narrationibus, docuit, Sanctos post resurrectionem per mille annos satiandos voluptatibus, neutiquam quidem impuris, sed honestissimis. Tametsi autem Papias, teste Eusebio, homo fuerit iudicii perexigui; plures tamen, eius pietate ac fama commoti, eodem errore impliciti sunt, suamque sententiam hominis vetustate tuebantur. Hos inter praecipui fuere Iustinus, Irenaeus, Tertullianus etc.; qui et illud tenebant, hominum animas illo mille annorum intervallo vario cognitionum identidem altiorum genere, veluti per

gradus, ad ipsam Dei visionem aptari ac praeparari debe-  
re. At enim *carnale illud regnum Cerinthi nimis aperte cum*  
*SS. Scripturis pugnat*; cum ad Rom. XIV. 17. aperte dica-  
tur: *Non est regnum DEI esca et potus, et Matth. XXII. 30.*  
*In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt,*  
*sicut angeli DEI.* Contra Papiæ vero errorem pugnat  
ipsa supremi Iudicis sententia Matth. XXV. 34. etc.: *Ve-*  
*nite benedicti, -- possidete paratum vobis regnum etc., discadite*  
*a me maledicti etc.: ibunt hi in supplicium æternum, iusti*  
*autem in vitam æternam*: quod si enim impii mox ibunt  
in supplicium; etiam iusti mox in vitam ibunt æter-  
nam; item Apostoli testimonium I. Tess. IV. 16. *Deinde*  
*nos simul rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et*  
*sic semper cum ipso erimus.* Vnde et verba Luc. I. 33.:  
*Et regni eius non erit finis*; Constantinopolitano Symbolo  
contra Apollinaristas, errori millenariorum addictos,  
inserta sunt: quem et Damasus Papa an. 337. in Con-  
cilio Romano, tanquam fidei adversum, proscripsit. Sed  
haec abunde sufficiunt contra fabulam iam antiquatam.

## ARTICVLVS II.

DOGMA QVOQUE CATHOLICVM ESSE OSTENDITVR, HOMINVM  
IMPROBORVM ANIMAS STATIM A MORTE AD POENAS  
INFERNI ABLEGARI.

276.

*Scripturae, ex unanimi sensu Patrum et Ecclesiae in-*  
*tellectae, id dogma evincunt.* 1.) Locus *Scriptu-*  
*rae* praecipuus videtur Luc. XVI. 22., ubi de epu-  
lone diuite dicitur: *Mortuus est et dives, et sepultus*  
*est in inferno*; moxque subiungitur v. 23.: *Elevans*  
*autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abra-*  
*ham a longe etc.* ubi satis ostenditur, eum mox a  
morte in loco vero tormentorum, qui vulgo in-  
ferni nomine in Scripturis venit, sepultum dici.

\* De isto loco quidem Graeci, qui inferni ignem  
de futuro tantum seculo admittebant ante Concilium  
Florentinum (Harduin T. IX. pag. 19.), dicebant, esse  
parabolam meram, et narrationem futurorum. At,  
prae-

praeterquam, quod ex mente SS. Ambrosii, Hieronymi, et Augustini apud Cornelium a Lapide historia fit; siquidem in ea nomina propria vera Lazari et Abrahae ponuntur; tamen etiam in parabola veritas istius dogmatis prorsus exprimitur idcirco, quod v. 27. dives in tormentis positus dicat: *Rogo te, Pater (Abraham)! ut mittas eum (Lazarum) ad fratres meos; et Abraham respondeat v. 29. habet Moysen et Prophetas; audiant illos etc. etc.* Prorsus enim res hic praesentatur, quae temporibus post generale iudicium futuris nullo pacto quadret: ergo praeteritam, vel praesentem veritatem significari necesse est.

•• Vtuntur alii aliis Scripturae locis ad hoc dogma probandum, puta Iobi XXI. 13. *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt;* et illud de Nathan et Abiron Num. XVI. 33. *Descenderunt vivi in infernum.* At prior locus literaliter etiam sensu felicitatem quorundam temporalem exprimit, qui semper valentes et fortunati vivunt in deliciis ad senectutem usque, et subito sine acris morbi doloribus in sepulcrum descendunt. Alter solum exprimere videri potest, quod vivi a terra absorpti fuerint. Propius servire illud poterit Psal. XLVIII. 15. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet illos.* Verum et istud ab aliis hoc sensu intelligitur: Mors eos, sicut grex ovium ad lanionem ducitur, ita in sepulcrum deiiciet; id est, impii turmatim morte abripiuntur. Nisi ergo auctoritate Ecclesiae istorum locorum sensus ad dogma praesens referatur, se solis rem satis vix evincerent.

2.) SS. Patres omnes consentiunt, et dogma affirmate enuntiant. S. Hilarius in Psal. II. *Excipit impios statim ultor infernus, et decedentes de corpore confestim de via iusta peribunt.* S. Gregorius M. lib. IV. Dial. c. 28. *Sicut electos beatitudo lactificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.* Idem habet S. Augustinus lib. XIII. de Civit. c. 8.

3) *Concilium Florentinum in decreto fidei ait: Disinimus, -- illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.*

\* *Ratio naturalis* accedit eatenus, quod infelicitas illa positiva improborum, de qua dictum 197., natura sua mox a morte consequatur; cum mens hominis improbi tum ex lumine rationis, tum ex principiis fidei Christianae certa futura continuo fit de sua aeterna reprobatione. Attamen initium immediate secuturum supplicii ignis infernalis ex sola ratione tam facile non deduci poterit.

\*\* At enim *opponunt* hic contrarium de daemionibus, seu Angelis reprobis, vere communem sensum veterum plerorumque scriptorum, quos nec in inferno actu esse reclusos, nec poenis eius actu torqueri plurimi ex eis absolute tenuere. Sed enim haec res, eruditissimo Petavio in Tom. III. lib. III. cap. 4. accurate omnia referente, ita se habet. 1.) *Duo praecipue Scripturae loca videntur absolute affirmare, daemones in inferos actu detrusos praesentibus iam illorum supplicii quoque, sicuti homines impios, cruciari.* a) Il. Petr. II. 4. sic scribit primus Apostolorum: *Si enim DEVS angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari.* b) S. Iudas vero in Epistola sua Canonica v. 6. sic habet: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.* 2.) His insuper habitis, veterum complures existimarunt, daemones in aere ac supra terras degere ad extremi Iudicii diem usque, uti Athenagoras in Apolog., Tertullianus in Apolog. c. 22., S. Augustinus in III. de Genesi ad lit. c. 10. et praecipue in Enarrat. Psal. CXLIX. putans, infernum seu tartarum a S. Petro pro inferiore parte aeris accipi; item S. Hieronymus in Epist. ad Ephes. VI. 12., S. Chrysostomus hom. 4. in Epist. ad Ephes. et alibi etc.; S. Gregorius M. lib. XIII. Moral. c. 17. item S. Augustino de aere, inferni nomine a S. Petro intellecto, ad stipulatur. 3.) Tametsi vero *improbabilis sit interpretatio,*

*tatio*, in cit. loco Epistolae S. Petri *inferni nomine aërem hunc inferiorem* universe intelligi; tamen nec verum est, sic illis locis daemones inferno affixos asseri, ut inde tanquam ex carcere nunquam exeant: cum ex pluribus Scripturae locis, e.g. Ephes. II. 2. et ibid. IV. 12. etc. constet, illos per aera discurrere, et corpora hominum ac pecudum subinde obsidere. 4.) *Veterum quoque haud pauci credidere, daemones*, nec eos, qui in aere per vices discurrunt, nec, qui in inferno reclusi sunt, iam nunc illis incendiis et cruciatibus torqueri, quibus DEI quidem iudicio iam addicti sunt, sed in expectatione adhuc esse, dum dies iudicii appetat. Ita quidem tradit *Tertullianus* in Apolog. c. 17., *Iustinus* in Apol. utraque, *Irenaeus* lib. V. c. 26., *Origenes* hom. 8. in Exod., *Epiphanius* haeresi 39.; et ipse quoque *S. Augustinus* in calce libri XIII. de Civit. aliisque locis videtur id innuere: qui tamen, cum *S. Hieronymo* in cap. 25. Esai. et *Victore Antiocheno* in cap. V. Matth. de duplici diverso igne et cruciatu intelligi potest, quorum aliquis semper, acrior vero post diem iudicii, daemones cruciet; cui sententiae aperte *S. Gregor. M.* in IV. Moral. cap. 20. adstipulatur. Quid quod aliqui cum Iustino etiam ignotam saltem usque ad Christi adventum fuisse, ac necdum promulgatam damnationis sententiam daemionibus, sentire: cui opinioni etiam *S. Bernardus* in Orat. de S. Malachia accedere videtur. 5.) Hodie tamen communis et recepta Theologorum sententia est, daemones aequae, ac homines improbos, essentialis saltem aeternae damnationis effectus ac poenas sentire: etsi minime erroris, nedum haeresis, damnandus videatur, qui asserat, daemones nondum extremo ac summo ignis supplicio cruciari, eo *S. Petri* loquendi modo cum *Caetano* permotus, quod hic dicat, eos *cruciandos in iudicium reservari*: cui quippe sententiae nec *S. Thomas* I. p. q. 64. a. 4. ad 3. censuram ullam inurit (imo ipse putat, daemones actu in aere discurrentes gehennali igni actu non alligari), nec eam Concilium Florentinum ullatenus attingit, de hominibus contrarium statuisse contentum. Atque haec omnia *Petavius* loc. cit.; qui et immoderatiorem esse erroris censuram hic existimat, et contra *Bellarminum* cum *Maldonato* (ad cap. VIII. Matthaei) de-

fendit, perspicuum esse, aliter antiquos Scriptores sentire, quam ii velint, qui eos tantum de accidentali quodam daemonum cruciatu, usque ultra iudicii diem extremum transferendo, intelligendos existimant.

## C A P V T IX.

DE CONSUMMATIONE SECVLI HVIVS, SEV DE  
EXTREMO DIE IVDICII VNIVERSALIS.

277.

**D**ogma Catholicum est, futuram in mundi fine resurrectionem omnium mortuorum in eodem corpore. Id quidem 1.) SS. Scripturae apertissime docent plurimis locis. a) In veteri testamento traditione primum continua a primis parentibus usque ad lobi tempora propagatum, istius Principis in libro seu historia primum ex instituto et aperte scripto sollemnissimo expressum est c. XIX. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit: et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursus circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo DEVM meum etc.*; quo nihil clarius esse potest. b) In novo testamento expressum clarissime extat Ioan. V. 28. ab ipso Christo dicente: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii DEI; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* c) Idem occurrit clarissime Matth. XXII. 29, ubi Christus erroris adversi convicturus Sadducaeos: *Erratis. inquit, nescientes Scripturas, neque virtutem DEI: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur. - - De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a DEO dicente vobis: Ego sum DEVS Abraham, et DEVS Isaac, et DEVS Iacob. Non est DEVS mortuorum, sed viventium. Vbi duo advertas: primo, quod*

quod Christus contra Sadducaeos agat tantum ex libris Moysis, quia, ut Hieronymus monet, non nisi Samaritanum Pentateuchi textum admittebant, non item alias Scripturas; deinde, quod Christus utrumque dogma, de immortalitate animae, et de resurrectione, ceu ab omnibus pro connexo habitum, et vel simul assertum, vel simul sublatum, uno velut argumento adstruat.

d) Denique idem gravissimis verbis Apostolus promulgat I. Corinth. XV. 51. *Ecce! mysterium vobis dico: Omnes quidem resurgemus; sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* In eo ipso capite Epistolae I. ad Corinth. plura alia huius dogmatis testimonia occurrunt. In quibus textibus Scripturae insuper notes, imprimis de omnibus mortuis loqui textum b et d: deinde resurrectionem in eadem carne apertissime exprimi in textu a et d.

2.) Eandem praecipuam revelatae totius Religionis veritatem omnibus fidelibus tota Ecclesia omni tempore inculcavit in Symbolis quibusque fidei, ut in Apostolico: *Credo carnis resurrectionem*; in Constantinopolitano: *Expecto resurrectionem mortuorum*; in eo, quod S. Athanasio tribuitur: *Ad cuius adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis.* Denique id etiam definiit Concilium Lateranense IV. Can. 1. his verbis: *Omnes mortales cum suis propriis corporibus resurgent, quae nunc gestant.*

3.) SS. Patres omni aetate idem dogma sine controversia assuerere contra Basilidem, et Manichaeos; praecipue SS. Irenaeus, Athanasius, Augusti-



*gustinus*, et inprimis *Tertullianus* in peculiari libro de resurr. carn. aliique.

\* *Sociniani*, omnibus dogmatis, quae supra naturam altius sunt posita, infesti, et cum primi Christiani seculi haereticis contra omnium sequentium seculorum communem Ecclesiae sensum facientes, varia opponunt substantiae huius dogmatis: 1.) Scripturam intelligi posse de resurrectione mere spiritali: nam a) teste S. Augustino Ioan. V. Christus locutus est de spiritali resurrectione: b) Matth. XXII. 30. Christus ait: *In resurrectione erunt sicut angeli Dei*; qui utique corpora non habent: c) I. Cor. XV. 44. Paulus dicit: *Surget corpus spiritale*: d) nulla est ratio, cur fiat corporum resurrectio; cum anima non indigeat illa ad beatitudinem, nec corpori, ceu mero instrumento, praemium debeat. *Resp.* a) S. Augustinus de spiritali resurrectione intelligit quidem versum 25., ubi Christus ait: *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii DEI; et qui audierint, vivent*; at versum 28. a nobis citatum fatetur aperte loqui de corporali resurrectione. b) Ibi dicitur, quod erunt, sicut angeli DEI, quia *neque nubent, neque nubentur*; non in omnibus. c) *Surget corpus spiritale*, h. e. gloria et immortalitate, instar spiritus, donatum. d) Ratio est beatitudo accidentalis, quae ex corpore glorioso in mentem redundat. 2.) *Quoad modum dogmatis Sociniani aiunt*: a) Non posse esse eandem carnem omnium, in qua vixere, et in qua resurgent; anthropophagos, imo nos quoque saepe, nutrirī materia ex solutis corruptione corporibus aliorum hominum transmissa in plantas et animalia etc.: b) Apostolus I. Cor. XV., postquam quaesisset v. 35. *Quomodo resurgent mortui? qualive corpore vivent?* v. 37. dicit: *Quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum*: ergo non in eodem corpore resurrecturos dicit. c) Idem Ephes. IV. 13. dicit: *Omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. *Resp.* a) Si distinguatur materia propria et constans ab aliena et variabili, omnes in propria carne resurgere poterunt sine perturbatione materiae, si nullius materiae propria, disponente providentia Dei, fiat unquam propria

pria alterius hominis, sed tantum variabilis. Ecce Philosopho! huc usque hominis ingenium attingit; ceterum DEI Sapiencia longe altiores alios modos perspectos habet. b) Apostolus non plenam instituit comparationem, sed tantum quoad hoc, quod corpus resurgens aliud futurum sit ratione qualitatum, etiam ratione mensurae aetatis in iis, qui moriuntur infantes etc. c) Quod de viris dicitur, accommode de feminis, salvo suo sexu, intelligendum est; quae tamen et ipsae imbecillitates sexui proprias deponent. Ceterum si mortuis infantibus etiam quid addendum sit materiae ad staturam virilem complendam, adhuc in sua carne resurgent. Interim tamen eo in loco non de corporum resurrectione sermo est, sed de aedificatione corporis Christi, quod est Ecclesia.

278.

*Modum et circumstantias resurrectionis SS. Scripturae sequentibus praecipue locis exponunt. 1.) Dotes corporis resurgentium iustorum exprimuntur I. Cor. XV. 43. etc. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate; surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Et v. 53. Oportet mortale hoc induere immortalitatem. Inaequalitatem tamen in his fore versus 41. et 42. ibidem docent: Alia claritas solis, alia claritas lunae, et alia claritas stellarum. Et de iis, qui ad iustitiam erudiunt multos, Danielis XII. 3. affirmatur: Fulgebunt sicut stellae in perpetuas aeternitates. Atque istis quidem exprimitur immortalitas, splendens pulcritudo, firmum robur, et levis agilitas corporum ad gloriam resurgentium. At de improbis resurgentibus illud in eadem Ep. ad Corinth. loc. cit. v. 51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur; id est, eadem omnes dotes non convenient, excepta corporum immortalitate, quae omnibus communis erit secundum*

dam illud v. 52. *Mortui resurgent incorrupti; oportet enim mortale hoc induere immortalitatem.*

2.) *Christus erit exemplar resurrectionis iustorum.* Nam ad Philipp. III. 21. *Christus reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Et I. Cor. XV. 45. *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. - Qualis terrenus, tales et terreni: qualis caelestis, tales et caelestes.* Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem caelestis.

3.) *Signum resurgenti erit tuba et vox Archangeli.* Ita Apostolus praedicat in cit. loco, ad Corinth. v. 52. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti; et I. Thessal. IV. 15. Ipse Dominus in iussu et voce Archangeli, et in tuba DEI descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum illo erimus.* Vbi Suarius Tom. II. in 3. part. S. Thomae Disp. 50. sect. 3. cum Oecumenio verisimillimum tenet, ab Apostolo doceri, etiam eos, qui paulo ante adhuc in vivis erunt, morituros prius; nec tamen idcirco, quod corpora nondum corrupta ad resurgendum in promptu habeat, praeventuros eos, qui, ceu pridem mortui, cineres primum suos colligere debeant; sed tam facile DEVM utrosque suscituros, ut in momento, in ictu oculi, omnes simul Iudici, audita voce Archangeli, sint occursuri. Matth. XXIV. 31. quoque dicitur: *Et mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos eius a quatuor ventis.* Vnde verisimile est, sub uno veluti duce Archangelo plures Angelos officium suum facturos.

*Dogma Catholicum est, post resurrectionem generalem secuturum iudicium universale hominum. Nihil solennius frequentiusve in SS. Scripturis annuntiatur. a) Matth. XXV. 31. Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo; tunc sedebit super sedem maiestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis; et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. - - Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis eius. - - Et ibunt hi in supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam. b) II. Corinth. V. 10. ait Apostolus: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. c) Et rursus Matth. XVI. 27. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuique secundum opera eius. praetereo alia loca plurima. SS. Patres hic allegare in re tam contestata supervacaneum foret. Congerit Scripturae varia testimonia de hoc dogmate Augustinus lib. XX. de Civit. a cap. 5.; Chrysostomus Rom. 46. et seqq. ad Populum, Ioannes Damascenus lib. I. Parall. c. 15. Denique Ecclesia universa in Symbolis omnibus hoc dogma publice profitetur: Qui iudicaturus est vivos et mortuos; venturus est iudicare etc.*

*I. Christus ipse futurus est Iudex. II. Omnes homines iudicandi sunt, III. in praesentia omnium. Angelo-*

gelorum, IV. de omnibus operibus suis, bonis, et malis.

281.

*Adiuncta reliqua huius iudicii universalis SS. Scripturae sequentia praenuntiant.* 1.) *Tunc parebit signum filii hominis in caelo, et tunc omnes tribus terrae videbunt Filium hominis ventientem in nubibus cum virtute multa et maiestate.* Ita Christus praedicat Matth. XXIV. 30. Hoc signum fore Crucem Christi, omnes Patres summa consensione docent, et canit Ecclesia in festis S. Crucis. 2.) *Tunc sedebit filius hominis super sedem maiestatis suae.* Matth. XXV. 31. 3.) *Sancti et iusti cum Christo sessuri sunt iudices.* Nam Matth. XIX. 28. Christus secuturis se discipulis promisit: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.* Et I. Cor. VI. 2. *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt? - - Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus?* Item Sap. III. 7. *Fulgebunt iusti: iudicabunt nationes, et dominabuntur populis.* Iudicabunt videlicet iudicio consensus, approbationis, et participationis. 4.) *Discutientur omnia acta iustorum et impiorum.* Nam Christus Matth. XII. 36. *Dico vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Et I. Cor. IV. 5. *Nolite ante tempus iudicare; quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.* In quo consentiunt omnes Patres contra Magist. Sent. in 4. disp. 43., qui putabat iustorum sola merita, non peccata esse revelanda: uti et contra Ioannem a Palude et Durandum, qui inclinare videntur in eam sententiam,

tiam, quod tantum singulis manifestanda fiat, quae sunt unicuique propria. 5.) Horror et consternatio reprobatorum describitur celebri illo loco Sap. V. 1. etc. *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatae salutis etc. etc.*

\* Ecce! quaecumque motivorum instar influere in mores possunt, sat aperte praedicta in Scripturis sunt: at tempus, locus, signa praevia etc., ceu minoris momenti, obscure solum indicata. Vnde nec pluribus posteriora haec commemorare, operae pretium viium est.

282.

*Particulare iudicium in uniuscuiusque hominis morte quoque instituendum praecedet.* Sine hoc enim praemium et poena iuridica non daretur; quod tamen fidei dogma est (273.). *Scripturae id docent Eccl. XI. 28. Facile est coram DEO, in die obitus retribuere unicuique iuxta vias suas: - et in fine hominis denudatio operum eius; item ad Hebr. IX. 2. Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem iudicium.* Et quamvis haec verba exponi de universali iudicio possint, quod post omnium hominum mortem subsequetur; tamen ex his Scripturae locis dogma hoc colligunt *SS. Patres* communiter, ut *Irenaeus* lib. II. cap. 62. et 63., *Tertullianus* lib. de Anima c. ult., *Cyprianus* lib. de mortalitate, *Ambrosius* in illum locum ad Hebr., *Chrysostomus* hom. 37. in Matth., *Augustinus* lib. XX. de Civit. cap. 1. et lib. de orig. animae II. cap. 4., *Gregorius M.* IV. Dial. c. 36. et 38.

Ecce vero iam tibi, Philosophe Christiane, veritates fundamentales universae Ethicae Christianae, ceu totidem motiva impellentia ad bene moraliter agendum, et absterrentia ab omni malo  
morali

morali. His universis, ceu a vita altera futura  
 petitis, caret ex integro Ethica illa mere philo-  
 sophica, cuius scriptores non paucos nostrae ae-  
 tatis tantopere celebrari audimus. Cuncta vir-  
 tutis motiva, et dehortamenta sceleris, illi a bo-  
 nis illius, et malis istius effectibus naturalibus,  
 huic vitae propriis, atque ab intrinseca, et qui-  
 dem mere philosophica repetunt honestate virtu-  
 tis, et sceleris inhonestate. Quam inanis, quam  
 vigoris experts, et effoeta omni virtute et effica-  
 cia id genus Ethica sit oportet! Et quo fine, quo  
 fundamento, aut quo demum fructu principia  
 Christianae Philosophiae Moralis ab id genus Ethica  
 fecernuntur? An non pleraque illa ab ipso sa-  
 pientis paullo altius rationis etiam naturalis dicta-  
 mine suggeruntur? An non vi summa pollent ad  
 mores bene formandos? Imo an sine illis bene  
 isti unquam reipsa informantur? Mihi profecto  
 aenigma est, cur Christiani Philosophiam mora-  
 lem aut ab Ethnicis gentilibus, aut a meris Thei-  
 stis Philosophis mutuare, aut Atheorum maiorem,  
 quam suorum rationem in eius institutionibus tra-  
 dendis habere maluerint, non modico morum  
 Christianae Iuventutis detrimento; cui esca ve-  
 cers, insipida, et exsucca, loco foecundi Chri-  
 stiani lactis in alimentum instillatur.



SEC-



## SECTIO II.

### DE ACTIONIBVS HVMANIS MORALIBVS, CEV MEDIIS, AVT IMPEDIMENTIS, FINIS VLTIMI.

**E**x fine ultimo regulae omnes circa naturam atque usum mediorum determinantur. Necessarium itaque erat, doctrinam completam de fine ultimo tam hominis cuiuscunque, quam Christiani in specie praemittere tractationi ordinatae et securae de mediis ac impedimentis illius finis, id est, de actionibus moralibus hominis eiusdem, et hominis Christiani. In praesens opus est analysi accurata totius naturae generalis moralium actionum, ut exinde relatio earum in ratione mediis vel impedimenti moralis ad eundem finem ultimum, huc usque explanatum, tam distincte pateat; quam tractationis istius grave momentum exigit. Porro cum in medio morali, iuxta ac impedimento morali, universe duo praecise sint, quae omnem ipsius rationem conficiunt; relatio illius nimirum ad finem ratione aptitudinis bonae, vel malae, et libertas, per quam medium morale a mere physico distinguitur: divisio istius argumenti in *duo Capita* ultro se offert; quorum *primo* de bonitate et malitia, *altero* de libertate actionum moralium, differemus.



## CAPUT I.

DE HVMANARVM ACTIONVM MORALIVM BONITATE  
ET MALITIA, SEV DIVERSA RELATIONE AD  
FINEM VLTIMVM.

## ARTICVLVS I.

NOTIONES PRAEVIÆ, ET ANALYSIS FACVLTATVM ATQVE  
ACTIONVM HVMANARVM.

283.

*Determinatio entis spontanea* dicitur, cuius ens ipsum, quod eam recipit, proximum existentiae principium est; *non spontanea determinatio* est, quae est a principio proximo existentiae a se extraneo. Si istius posterioris in se productioni ens, eam recipiens, reactione contraria resistat, *determinatio violenta*, et in ente spiritali, cum aversatione adversus eam utcunque praevisam resistente, *determinatio coacta*, ipsumque ens, illam recipiens, *vim pati*, aut *cogi*, dicitur.

I. *Determinatio spontanea et non spontanea contradiçorie,*

II. *Spontanea et violenta, seu coacta, contrarie sibi opponuntur.*

\* Sic motus corporum continuatus est *spontaneus*; mutatio status ex motu in quietem et vicissim *violenta*; avis fugitivae per laqueum retentio *coacta* est.

284.

*Voluntarium* est determinatio entis, cuius existentiae principium (proximum, vel mediatum) est substantia spiritalis, cum praevisione distincta completæ possibilitatis eiusdem intrinsecae et extrinsecae, instar principii itidem se habente (49.): *non voluntarium* est determinatio, cuius  
exi-

existentiae principium vel non est substantia spiritualis, vel non cum praevisione, instar principii se habente. *Voluntarium dicitur formale*, seu *intrinsecum*, si est effectus suo principio, id est, substantiae spirituali, immanens, seu si est ipsa volitio; *obiectivum*, seu *extrinsecum*, si sit effectus transiens, et a volitione ac toto principio suo spirituali realiter distinctus.

285.

*Liberum* dicitur voluntarium, respectu cuius substantia spiritualis est principium existentiae liberum, seu libere a priori connexum; *non liberum*, cuius principium vel non est substantia spiritualis, vel non voluntarium, vel non cum eo libere a priori connexum. *Immediate liberum* est illud liberum, quod simul est immediate contingens, seu quod per nullam hypothesin se natura priorem, etiam eidem principio liberam, adhuc est complete a priori determinatum, ut existat, *mediate liberum* solummodo est, quod per hypothesin immediate liberam iam a priori determinatum est.

\* Sic exempli causa *immediate liber* est actus voluntatis elicitus, primitivus, et imperans; *mediate liber* vero solummodo est actus imperatus, etsi uterque sit actus immanens. Unde cum *motio voluntaria corporis* vulgo sit actus imperatus ab alia volitione, etiam ipsa vulgo solum *est mediate libera*; licet actio movens sit vera volitio, eo quod voluntas non distinguatur a facultatibus activis, nisi per modum attributi (400. Psychol.); ac proinde conatus movendi modo, a ratione praeviso, vera volitio est.

286.

*I. Spontaneae determinationes omnes enti intrinsecae sunt, quod earum existentiae principium est.*

Q 2

II. Vo-

*II. Voluntaria determinatio etiam principio suo efficienti extrinseca esse potest: sicuti et libera. Sic corporis motus voluntarii et liberi dantur, menti-que simul extrinseci, cuius solum effectus sunt.*

*III. Omne voluntarium formale simul spontaneum est, non item voluntarium obiectivum: nec vicissim omne spontaneum est voluntarium.*

*IV. Non omne voluntarium liberum est, et si omne liberum voluntarium. Voluntarium enim etiam necessarium datur, e. g. amor puri boni distincte cogniti.*

*V. Aliud actio libera, aliud liberum; nec omne liberum actio libera, sed saepe solum effectus liberae actionis est: sicut nec omne voluntarium volitio, seu formale (284. et hic Cor. II.).*

*VI. Voluntarium non est, nisi quod et quatenus cum actuali repraesentatione distincta bonitatis, vel malitiae suae metaphysicae, a substantia spirituali, tanquam a principio, existit. Omnis enim determinatio entis bona vel mala, realitas vel negatio est (16. 18.). Atqui voluntarium non est, nisi quod cum actuali distincta praevisione determinationum possibilitatis suae efficitur (284.)*

*VII. Liberum non est, nisi quod et quatenus cum actuali repraesentatione tum alicuius bonitatis, tum malitiae suae metaphysicae, id est, simul cum motivis impellentibus et absterrentibus, a substantia spirituali in existendo dependet. Secus enim aut a principio libero non existeret (285. et 307. Psychol.), aut determinatio voluntaria non esset (284.).*

287.

*Actio hominis* est, cuius principalis causa efficiens mens hominis est: *Actio (vel omissio) humana* est actio (vel omissio) hominis voluntaria. Haec utraque est *necessaria*, si per leges naturae facultatis humanae activae, tanquam ex ratione sufficiente, determinetur; *libera*, si ab homine, ut principio libero, procedat.

*Actio (vel omissio) humana moralis* dicitur, quae et quatenus, bonitatis vel malitiae suae principium proximum efficiens liberum habet in mente hominis.

\* Ut *actio* sit *hominis*, proprie requiritur, ut simul a corpore, tanquam a principio simultaneo materiali vel instrumentali, dependeat: fecus folius mentis humanae, non suppositi humani actio erit. Sed istae minutiae utilem observationem in argumento praesente non habent.

288.

*I. Non omnis actio hominis humana est*, id est, humano modo peracta: siquidem multa agimus homines sine distincta praevisione eius, quod agimus: atqui sine hac actio voluntaria non est (284.), nec humana (286.).

*II. Non omnis humana actio libera, ac proin nec omnis moralis est.* Dantur enim appetitiones voluntariae necessariae, e. g. circa purum bonum, vel malum, cognitum qua tale (93.).

*III. Actio moralis idem est, atque actio bona, vel mala libera; et moralitas actionis non est nisi libertas bonitatis vel malitiae eiusdem, atque eatenus haec praecise moralis est, quatenus libera (praec.).*

Q 3

IV. Mo-

*IV. Moralitas actionis duo importat, bonitatem aliquam vel malitiam physicam istius (18.), et istius libertatem.*

289.

*Analysis facultatum et actionum hominis. 1.) Prima facultas mentis humanae passiva est; nimirum facultas recipiendi impressiones corporeas ex elementis organorum, ex quarum complexu ideae sensuales, ceu mutationes mentis non spontaneae, feu passiones, nascuntur. Unde mens hominis prius passive, quam active se habet.*

2.) Tum sequitur natura facultas reagendi actione transeunte corporea, id est, analoga actioni simplicium elementorum corporeorum; ad quorum modum videlicet mens vi repulsiva naturali secundum leges motuum repulsionis perinde reagit in omnia in se incurrentia elementa corporea, a quibus ipsa impressiones recipit, atque ista in se invicem agunt, cum sibi occurrunt (375. Pyschol.). His duabus facultatibus instructa mens unum cum corpore compositum efficit, cum eo movetur etiam inscia &c. &c.

3.) Tertia facultas mentis est sensus internus, cuius actio est intuitus in ideas receptas, seu adperceptio; quae est actio immanens ac spontanea (283.). Actionum, huic facultati convenientium, diversae sunt species, nimirum attentio, reflexio, abstractio, reproductio phantasmatum, compositio adperceptionum seu notionum, iudicium immediatum vel mediatum de earum identitate et distinctione: quibus actionibus continuo adperceptionum totalium, seu notionum, distinctio augetur.

4.) Facultas quarta, ex prioribus instar attributi manans, est appetitus primo quidem inferior, tum  
superior

*superior, secundum progressum distinctionis adperceptionum sensus interni. Actiones huius facultatis sunt appetitiones vel aversationes, primo quidem sensitivae, id est, affectus, motus primi; tum rationales, id est, volitiones et nolitiones, ortae ex sensu voluptatis, aut taedii, qui adperceptionibus sensus interni inest ex intuitu, confuso, vel distincto, boni vel mali, quod ideae in obiectis externis repraesentant (54. et 204. Psychol.)*

5.) *Facultas quinto loco se exercens est vis motrix voluntaria corporis, cuius actio transiens est motio corporis appetitui conformis, eaque vel sensitiva, si ab appetitione inferiori, vel rationalis et vere voluntaria, si ab appetitione rationali, seu cum volitione, determinatur.*

6.) *Facultas sextae actionis specie se exerens est sensus intimus adpercipiens et reflexione distinguens ipsas rationes boni et mali, omnibus actionibus praecedentibus sensus interni, et utriusque appetitus ac facultatis loco motricis voluntariae infitas, ac de earum veritate et mera apparentia vel falsitate iudicans.*

7.) *Septimo loco veniunt earundem actionum sensus interni et appetitus superioris, ac facultatis loco motricis voluntariae, post sensus intimi de earum bonitate et malitia iudicium, secuta ex mentis placito, continuatio, vel abruptio, voluntaria, eaque vel necessaria in consensu, vel libera in pugna appetituum (285. 286. 307. Psychol.).*

290.

*I. Actiones nullae humanae morales sunt, nisi quae septimo hic loco descriptae, ac simul liberae sunt, nimirum sensationes distinctae internae, appetitiones rationales, et activae motiones corporis, post sen-*

Q 4

*sus*

*sus sensus intimi de eorum bonitate vel malitia iudicium libere elicitas.* In his solis enim bonitas vel malitia actionis, per sensus intimi reflexionem praevifa ac proin voluntaria simul ac libera est (praec. n. 7.) Ergo per 287. 284. 285. &c. &c.

*II. Post praedictam reflexionem sensus intimi, ac stante simul libertate, omnes actiones sensus interni, omnesque appetitiones, et ex eis secutae motiones voluntariae corporis, morales sunt; ac proinde tam cogitationes et phantasmata, quam volitiones atque voluntariae motiones activae corporis, ceu actiones totidem voluntariae, et immediate, vel mediate liberae, in dicta hypothesi moralitatem habent, seu liberam bonitatem, vel malitiam (288. IV.).*

## ARTICVLVS II.

DE DIFFERENTIA INTRINSECA MORALITATIS ACTIONVM  
HUMANARVM FVNDAMENTALI ET ANTECEDENTE  
LEGEMDEI.

291.

**D***eterminationes actionum* quarumcunque, ac proinde etiam humanarum, sunt realitates et negationes, quae cognoscibilitatem adaequatam cuiusvis illarum constituunt. Hae vel sunt *intrinsecae*; suntque actiones quaecunque simplices, tam immanentes, quam transeuntes, quae ceu partes totam actionem eandem compositam constituunt; vel sunt *extrinsecae*, quae ab actione tota distinguuntur, simul tamen unam vel plures eius determinationes intrinsecas a priori determinant, seu a priori cum eis connectuntur. Determinationes intrinsecae actionis, quae in eadem actione constantes ac invariables, simul tamen cum aliis item intrinsecis determinationibus variabilibus com-

compossibiles, concipiuntur, *determinationes essentielles actionis*; variables vero istae, quae illis adesse, vel abesse possunt, *accidentales seu accidentia actionis intrinseca*, vocantur: illae *essentiam actionis*, et *actionum in sua specie, vel genere*; hae tantummodo *individuum actionis* determinant. Determinationes extrinsecae, sine quibus actio in specie sua poni non potest, *requisita et conditiones actionis in specie*; quae vero sola accidentia eiusdem et individuum a priori determinant, *circumstantiae eiusdem* appellantur.

\* Preces e. g. ad DEUM fundis tempore pestis pro publica salute civium. Actio haec composita est ex volitione, ex actibus intellectus, et varia corporis motione, seu totidem partibus *intrinsecis simplicibus*. *Species actionis* in iis determinationibus *intrinsecis* consistit, quae ab *oratione* nunquam abesse possunt; *accidentia* individuum eius determinantia, eaque item *intrinseca*, in fervore et intensione actuum voluntatis, in celeritate motionum oris et haborum, in elevatione manuum et compositione externa corporis ad modestiam, in motivis, ex quibus acta moveris ad orandum, aliisque actionibus per accidens orationi coniunctis &c., consistunt; quae omnia ad modum *intrinsecum actionis totius compositae* spectant. *Conditiones et requisita actionis* istius in specie sunt in ipso orante DEI cognitio, et eorum, quae orationis essentiam constituunt, notitia linguae alicuius, et usus habitualis vocis &c., quae orationi ipsi adhuc *extrinseca* sunt, ad eam tamen in specie univere a priori requiruntur. Denique locus, tempus, occasio, personae orantis conditio, aliarum personarum adiuncta, siquomodo in orationis modum et accidentia influant, *circumstantiae extrinsecae* respectu illius sunt.

292.

*I. Requisita et circumstantiae constituunt facultatem completam agendi, seu producendi hanc actionem, in specie et individuo.*

Q 5

II. Cir-



II. *Circumstantiae sunt extrinsecae rationes tam possibilitatis, quam existentiae accidentium actionis, et consistunt tum in requisitis viribus activis ad agendum hoc individuo modo, tum in conditionibus, sine quibus haec accidentia individua actionis, seu hic modus agendi, possibilis non est.* Sic ad facile agendum requisita in agente circumstantia habitus est; ad agendum vero ex hoc fine conditio necessaria est cognitio finis et aptitudinis actionis ad eundem promovendum &c.

III. *Motiva, seu finalia, seu moralia, propter quae actu quis actionem committit, vel omittit, individuum determinationem actionis intrinsecam constituunt, non circumstantiam extrinsecam: 2.) res tamen ipsae, aut personae, tempus, locus, motiva agendi vel non agendi determinantes, circumstantiae extrinsecae sunt.* Qui enim agit ob motivum, quod habet rationem causae seu moralis, seu finalis, is actu elicitto prius appetit, vel averfatur illud motivum morale, aut finale; et post haec addit actum imperatum a motivo. E. g. qui alteri bene vult, eo quod hic sibi pulcritudine sua placeat; ab amore complacentiae et gaudii de istius pulcritudine, tanquam ab actu elicitto et motivo morali, movetur et transit ad actum benevolentiae, et vult ipsi felicitatem in genere: hoc autem bonum in specie, e. g. opes illi vult tanquam medium ad eius felicitatem, ceu finem; ubi rursus appetitio felicitatis ceu finis, ob quem vult illi opes, determinatio intrinseca actionis compositae est, et actio imperans appetitionem medii ad finem, id est, pars actionis liberae compositae. *Alterum* denique ex notione *circumstantiae* 291. data abunde colligitur.

IV. Mo-

IV. *Modus actionis intrinsecus, e. g. vehementia et intensio, celeritas actionis etc., etsi rationem extrinsecam natura priorem in agente ipso, vel alia re, habeat, tamen ipse non ad circumstantias actionis, sed ad eius determinationes intrinsecas pertinet (praec.)*

V. *Circumstantiae itaque omnes revocantur vel ad personam agentem eiusque statum, qualitatem, et dispositiones intrinsecas ad agendum hoc in individuo, et hoc modo; vel ad alias personas, harumque qualitates, quae personam agentem vel promouent, vel impediunt in actione, seu ut causae principales, seu ut instrumentales, physicae, vel intentionales; vel ad alias res, a personis quibuscunque distinctas, nec humano modo agentes; quae itidem aut instrumenta accidentium actionis, aut impedimenta, aut conditiones sunt; vel ad tempus, et locum, quatenus res, quibus tempus et locus realis designatur, aut motiva agendi varia, aut instrumenta, vel impedimenta, aut conditiones ad modum agendi necessarias, suppeditant. Extra ista porro nihil superest, quod in modum actionis influat extrinsecus.*

\* Vulgo secundum M. T. Ciceronem septem actionum humanarum circumstantiae, hoc versiculo comprehensae, assignantur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Patet vero ex dictis modo in Cor. III. et IV., quintam et sextam (*cur, quomodo*) non ad circumstantias, sed ad determinationes actionum humanarum intrinsecas accidentales, pertinere; sicuti et secunda (*quid*) actionem ipsam, non eius circumstantiam, exprimit. Ceterae quatuor statum personae agentis (*quis*), personas et res concurrentes quovis modo ad individuum actionis (*quibus auxiliis*), locum (*ubi*), et tempus (*quando*) recte exprimunt. Sed demonstratione opus erat, qua istae, nec aliae, possibiles esse univeree actionum humanarum circumstantiae docerentur.

*Actio simpliciter physice bona in specie vel genere suo* est, quae et quatenus in sua specie, vel genere, determinationibus intrinsecis realibus (id est, bonis) aliquibus constat, nec determinationibus suis intrinsecis univérse sumtis bono puro opponitur, cuius, ea absente, subiectum agens capax est: *Actio simpliciter seu positive physice mala in specie vel genere suo* est, quae et quatenus determinationibus suis intrinsecis univérse sumtis bono puro sui subiecti adversatur; etsi quasdam bonas determinationes intrinsecas ipsa quoque numeret. *Actio in individuo simpliciter physice bona* est, quae secundum speciem suam, cum omnibus his numero individuis circumstantiis et inde ortis determinationibus composita, statum perfectionis subiecti agentis (vel subiecti effectum actionis recipientis) auget; *mala in individuo* est, quae sub dicta compositionis hypothese eundem minuit; *superflua ac inutilis*, quae neque auget, neque minuit; eo quod, composita cum his circumstantiis individuis, utilitate, id est, omni bono effectu careat, ceu ab illis impedito (155. Theol. Nat.). Ceterum *status subiecti perfectio augeri* dicitur, vel *minui*, si magis consentiat cum puro bono, vel ab eo dissentiat.

\* Actio omnis, hoc ipso, quod actio, et non mera omisio sit, realibus (id est, bonis) determinationibus intrinsecis saltem aliquibus constat; atque idcirco *nulla actio omni prorsus bonitate metaphysica destituitur*: sicuti vicissim, eo quod omnis humana actio finita sit, *nulla item humana actio tam bona esse potest, ut nulla malitia metaphysica inficiatur* (19. 22.). Non itaque idcirco bona in specie actio dici potest, quod aliquas a parte rei bonas determinationes habeat; neque ideo, quod meras bonas; secus vel omnis, vel nulla  
humana

humana actio bona esset. Sed neque ad hoc, ut bona sit, opus est, ut nulli meliori opponatur: secus nulla, nisi optima, simpliciter bona esset. At si contrarie bono puro adversetur, ratione ipsius speciei suae statum subiecti deteriore reddat; quia positive incapax illud efficit felicitatis purae, cuius ante capax saltem, si non actu compos fuerat. Patet ergo fundamentum primae geminae definitionis.

\*\* Porro non sufficit in praxi et a parte rei, actionem esse in specie sua bonam, ut in individuo univeree bona sit. Actio enim, in specie spectata, consideratur sine reflexione ad consensum eiusdem cum statu subiecti agentis tunc praesente, et ad determinationes, quas illa accipit in effectu suo ex variis circumstantiis tum personarum, tum loci ac temporis, in quibus suscipitur; quae saepenumero illius effectum bonum aut promovent, aut impediunt, aut immutant. Quod quidem patet vel ex ipsis actionibus mere corporeis; quae, stante eadem facultate absoluta agendi, alios atque alios effectus edunt; prout e. g. corpus idem occurrit alteri pro maiore, minore vel aequali massa, maiores, minores, vel aequales vires resistentes opponenti. Iam vero sicut ob maiorem resistentiam corporis movendi, quam sint vires agentes in occurrente, fieri potest, ut ex occurso minoris, huiusque actione, nullus motus, vel minoris celeritatis, consequatur in obice, vel nimiam massam, vel contrariam celeritatem opponente: ita in humanis actionibus fieri quoque potest, ut pro diversa dispositione subiecti recipientis actionem seu immanentem, seu transeuntem, actio eadem aut nullum bonum effectum, bonum usum, seu utilitatem, aut certe minorem sortiat, quam si eadem in subiecto melius disposito recipiatur (loc. cit. Theol. Nat.). Exempla mox afferenda rem declarabunt.

294.

*I. Omnis actio humana in specie sua aut physice simpliciter bona, aut mala simpliciter ac positive est. Cum enim omnis actio aliquibus bonis determinatio-*

nationibus intrinsicis necessario constet (praec. not.), evidens est, bonam et positive malam in specie actionem in datis definitionibus hac una contradictione distingui, quod una non opponatur, altera autem opponatur puro bono. Quodsi contradicunt sibi, evidens est, quod hoc Corollarium asseritur.

*II. Actio in sua specie bona ob adversus circumstantias, in quibus committitur, inutilis in individuo fieri potest.* Si nimirum circumstantiae personarum, aut rerum, loci, vel temporis, omnem eius bonum effectum recipiendum impediunt, vel is, ceu iam aliunde determinatus, superfluous conatu et actione inutili porro urgeatur.

\* *Exempla obvia sunt.* Lapidem praegrandem imbelli manu submovere volens e loco, in quo impedimento est bono alicui fini, inutili actione se occupat; tamen actio ipsa, in quantum a voluntate libera procedit, in suo genere spectata physice bona sit, nec per se opponatur positive puro agentis bono. Qui artem legendi iam probe callens adhuc syllabarum numeratione uti in legendo vellet; etsi actio ista in sua specie bona sit, et aliquando utilitatem habeat, in praesens tamen inutilis et superflua est, quia eius usus, qui est recta lectio, aliunde facilius praesto est.

*III. Actio in sua specie bona aliquando ob adversas circumstantias, in quibus committitur, in individuo simpliciter physice mala fieri potest:* quia fieri potest, ut ob circumstantias e. g. personarum, non modo bonus eius effectus impediatur, sed ex eius occasione status perfectionis tum in iis, quae eius effectum transeuntem recipiunt, tum ob istius praevisionem, vel etiam ex illarum reactione, etiam in ipsa persona agente minuatur (praec.).

\* Ex-

\* Exemplum obvium est in eo, qui inter litigantes, immoderato fervore actu collisos, pacem conciliare vult, et furorem saepe auget, eiusque effectus ipse in se provocat. Istud quisquis praevidet, is certo non rem bonam facit, conciliationem pacis talibus in circumstantiis in se suscipiendo, sed revera male agit, occasionem maiori malo praebendo.

*IV. Actio in specie bona etiam in individuo bona erit, ac semper est, quoties ob adversas circumstantias individuantes ratio boni omnis non impeditur, quo perficere statum subiecti sui ratione bonitatis specificae per se apta est: id est, quoties in iis circumstantiis personarum, ad eam concurrentium, loci item ac temporis, committitur, quem rectus ordo (513. Ont.) eiusdem postulat, ut subiecti sui perfectioni, aptitudine sua specifica promovendae, inserviat.*

295.

*Actio humana in specie vel individuo bona simul necessaria ad bonum purum, ceu ad finem ultimum, dicitur, quatenus est necessarium medium vel ad finem ultimum absolute aliquando consequendum, vel ad praesentem perfectionis seu consensionis cum eo statum conservandum: si neutrum est, non necessaria, sed solum in specie vel individuo utilis, dicitur.*

296.

*I. Omissio libera actionis necessariae ad finem ultimum, seu positiva voluntate, seu mera omissione libera constet, in individuo spectata semper est simpliciter physice mala. Cum enim per hypothese finis ultimus sine actione ei opposita aut omnino obtineri non possit, quo casu positiva infelicitas et status imperfectio natura consequitur (197.), aut praesens cum eo, ceu puro bono, consensus et status per-*

perfectionis sine ea conservari nequeat, in utroque casu omissione libere in individuo posita minuetur status bonus subiecti; ac proin omissio erit positive et simpliciter in individuo mala (293.). Quodsi voluntate constaret, averfatio boni positiva habitum bono contrarium insuper positivum in mente fundaret. Ergo &c. &c.

*II. Omissio libera actionis in individuo etiam bonae, sed non necessariae, si sit mera ommissio (natura adhaerens commissioni alterius actionis individuae, minus quidem, attamen adhuc simpliciter bonae.), vere quidem negative mala est, non mala positive ac simpliciter: quia in individuo posita et a parte rei, etsi non augeat per se, tamen nec minuit statum perfectionis subiecti (293.).*

*III. Omnis ergo actio humana libera, quae solum opponitur alteri actioni in individuo nunc possibile ac se meliori, attamen ad finem ultimum non necessariae, etsi simpliciter bona in individuo adhuc sit, relatam tamen ad istam vere negative mala in individuo est. Quatenus enim natura sua coniuncta est cum libera omissione istius melioris, etsi non necessariae, vere negative mala est per Cor. II.*

*IV. Itaque vicissim quoque omnis ommissio libera actionis in individuo simpliciter malae, sive voluntate faciendi malum, sive mera omissione malae actionis constet, recte simpliciter in individuo bona (vel si mavis, negative bona) dicenda est, quatenus ad conservandum praesentem bonum subiecti statum (in individuis his circumstantiis libertatis ad malum) necessaria est, et hic sine ea minueretur.*

*V. Omnis actio humana, quae non consistit immediate in efficaci appetitione finis ultimi seu verae beatitudinis, utcumque in sua specie bona sit, in individuo mala*

*mala simpliciter fieri potest.* Fieri enim potest, ut actio alia, cui ipsa opponitur, utut haec sit minus bona in specie, tamen in circumstantiis individuus sit absolute magis prae ipsa necessaria ad bonum statum subiecti, praesentemque cum fine consensionem, conservandam. Sic e. g. studium, conservandae vitae per usum cibi aut medicinae, aliquando prae quocunque excellentissimo cultu DEI externo in circumstantiis individuus extremae famis, aut gravis morbi, necessarium esse potest. Quo in casu si, omisso cibo, vel medicina, divino externo cultui quis intenderet; actio haec, ut omissioni actionis in praesens ad finem ultimum necessariae coniuncta, et cum ista impossibilis, fieret in individuo mala simpliciter per Cor. I. 2.) Porro tamen id contingere non potest circa appetitionem efficacem immediatam ipsius finis ultimi, quippe quae actio; ceu movens ipsa a priori ad usum mediorum omnium, et inprimis necessariorum, cum omni actione, rationem medii ad finem ultimum habente, composibilis est, et ut plurimum a priori connexa.

*VI. Actio in suo genere vel specie simpliciter mala poterit in individuo bona fieri, si ob circumstantias individuantes fiat apta, imo necessaria, ad determinandum imp dumentum maioris mali secus extituri:* sic enim, tametli ipsa directe ex una parte ratione suae malitiae specifica minuat statum perfectionis sui subiecti; tamen ex altera parte indirecte augebit, quatenus impedit diminutionem istius maiorem extituram a malo maiore.

\* Exemplum istius obvium est in casu, in quo amputatio membri gangraena infecti sit necessaria ad impediendam mortem hominis, et magis adhuc universe in casibus, in quibus necesse est ad impedienda mala  
*Stattler Eth. christ. univers.* R maiora



maiora moralis infligere improbis ob varias causas mala physica, et ipsam mortem.

*VII. Actiones in specie malae, quae contrarietate sua adversantur actionibus necessariis ad finem ultimum, nunquam possunt fieri bonae in individuo. Cum enim sine ultimo, seu puro bono beatitudinis, nihil sit melius, cuius homo sit capax; idcirco maius malum possibile non est, quam quod huic bono immediate vel mediate contrarium est. Atqui actiones in specie malae, quae actionibus bonis necessariis praedictis adversantur, immediate ipsi fini ultimo absolute adversantur. Ergo fieri non potest, ut in individuo occurrant circumstantiae, in quibus istae actiones, in specie malae, impedimenta determinent malorum maiorum.*

*VIII. Dantur itaque actiones in specie malae, quae nullo in casu possunt fieri in individuo bonae; eae videlicet, quae actionibus bonis ad finem necessariis contrarie opponuntur, uti e. g. odium DEI formale, seu nolitio finis ultimi ac mediorum eius absolute necessariorum.*

*IX. Si per actionem indifferentem in specie intelligas actionem, quae in certa specie determinata, eatenus spectata nec simpliciter bona, nec mala sit; nulla datur actio indifferens in specie sua (294.). 2.) Si vero per eandem intelligas actionem in specie determinatam qualemcumque, quae in individuo et bona et mala simpliciter esse possit; evidens (ex 294. Cor. III. & IV. uti & ex hoc Cor. V. & VI.) dari actionem indifferentem in specie.*

\* Nihil complicatius doctrinis, quae his praecedentibus paragraphis inde a 293. exponuntur, prout illae in scriptis Protestantium Doctorum Philosophiae Practicae generalis seu Moralis traduntur. Puffendorfius, sine dubio notionum obscuritate, qua laborabat, seductus,

Etus, negabat omnem intrinsecam humanarum liberarum actionum bonitatem et malitiam: omnemque istam bonitatem et malitiam unice a lege DEI praecipiente vel prohibente repetendam existimabat, haud dubie exinde inductus in errorem istum, quod adverteret, plerasque actiones specificas nunc in individuo bonas, nunc malas esse. Actiones in specie indifferentes, et multo magis indifferentes in individuo, aliqui negarunt, alii asseruerunt: sed enimvero notiones distinctas indifferentiae istius, et observationem discriminis sufficientis inter indifferentiam ad bonitatem et malitiam physicam et utramque Theologicam, quarum ambae adhuc versantur intra sphaeram bonitatis et malitiae mere naturalis, profecto nusquam invenio: quae mihi ratio gravis est, ut in sequentibus physicam, tam bonitatem, quam malitiam a Theologica, et quidem ambas adhuc mere naturales a supernaturali Theologica bonitate distinguere accuratius, in primis curis sim habiturus. Mutabilitatem seu indifferentiam actionum specificarum ad esse bonas et malas (mere physice) in individuo utcumque attingit Ill. L. B. Wolfius a §. 60. Phil. Pract. Univerf. P. I. Verum multo obscuriora de bonitate physica et malitia physica actionum in specie et individuo, minusque completa principia tradunt, qui ex Protestantibus post Wolfium de Philosophia morali scripsere, uti Federus, Fridericus Meier &c. &c.; ut ex comparatione eorum, quae deinceps traditurus sum, cum his, quae ipsi scripsere (e. g. Fridericus Meier Phil. Pract. Gen. §§. 35. 36.) abunde patebit. Qui cum antiquissimis Philosophis apud S. Hieronymum in Ep. 89. ad Augustinum Cap. 5. dixerunt; *inter bonum et malum indifferens esse ambulare, nec istud bonum, nec malum esse; sive enim feceris, sive non feceris, nec iustitiam te habiturum, nec iniustitiam*, profecto neque de bonitate ambulationis in specie, nec de bonitate eius mere physica in individuo, id ex vero affirmarunt. Nunquid enim ambulatio in sua specie, id est, secundum determinationes suas intrinsecas invariabiles (291.) spectata, aptitudinem per se habet ad sanitatem corporis conservandam, ad applicandum corpus huiusque membra ad varia objecta, et utiles in his actiones exercendas? Et si quando in individuo bona et utilis est ambulatio,

nunquid bonitatem istam semper praecise acquirit ab individuis circumstantiis, in quibus peragitur? An vero eam, iam in sua specie contentam, exerit praecise, quia secundum Cor. IV. 294. eiusdem specificae bonitatis suae omni effectu per adversas circumstantias individuantes non exiit? Rursus: An omni omnino bonitate caret ambulatio debito tempore et modo, valenteque corpore peracta? An vero pollet quidem bonitate physica; caret vero solum per se adhuc bonitate formali Theologica, quamdiu cognitione et voluntate eius usus et utilitas ad finem ultimum beatitudinis non refertur? Ecce! quam multa hic involuta et inter sese intricata adhuc supersint; quae oportet in sequentium decursu quam diligentissime evolvere. Quid vero de iis Protestantium Philosophis moralibus sentiamus, qui moralitatem actionum humanarum, quae in istarum relatione varia ad beatitudinem vitae alterius in ratione meriti vel demeriti Theologici, ac vere talis consistit, vix ac ne vix quidem usquam attingunt. Hic enim vero post tantos illorum conatus nobis Catholicis campus liber patet, in quo nihil paene adhuc ab aliis est elaboratum, et a cuius tamen perfectiore cultura, et ad meliores metaphysicas notiones elaboratione, praecipua pars verae felicitatis, non huius tantum, sed futurae etiam vitae, dependet.

297.

*Omnis actio humana eatenus, seu in specie, seu in individuo, physice bona, eoque melior est, quatenus et quo magis in ratione boni cum fine ultimo hominis, id est, cum beatitudine consentit, istamque promovet: vicissim eatenus est mala, eoque peior, quatenus, et quo magis istam contrarietate sua impedit, et ab ea hominem removet. Est enim beatitudo illa summum atque unicum purum hominis bonum (100.); quocum magis minusve consentiens actio hoc ipso tantundem bonum statum subiecti auget; et vicissim dissentiens ab illo eo ipso hunc minuit tantundem. Ergo per 293. &c. &c.*

298. Om-

298.

*Omnis ommissio humana negative mala est, quatenus est ommissio actionis, cum fine ultimo magis consententis in ratione boni, et eo magis saltem negative mala est, quo actio melior, cui opponitur: 2.) vicissim omnis ommissio negative bona est, eoque magis, quatenus opponitur actioni fini ultimo contrariae, et quo magis ista fini praedictio contraria est.*

299.

I. Quoniam itaque finis absolute ultimus hominis, et vera beatitudo formalis, non est, nisi formalis intuitus et fruitio DEI (122.): idcirco *omnis vera bonitas actionum humanarum et omissionum in consensu cum hoc fine ultimo, id est, in aptitudine ad promovendum in nobis formalem DEI intuitum ac fruitionem, consistit; et vicissim omnis malitia earundem consistit in defectu, vel contrarietate, seu in quacunque oppositione cum eodem DEI intuitu ac fruitione. Item magnitudo consensus, vel dissensus istius, mensura graduum bonitatis, vel malitiae eiusdem est.* Nimirum finis ultimus determinat omnem qualitatem mediorum; et mediorum omnis bonitas non nisi in aptitudine ad finem consistit (304. 310. I. Ontol.)

II. Quoniam et omnes facultates nostrae, aequae ac bonae ipsarum actiones, et vel maxime beatitudo ipsa nostra, ceu finis earum ultimus, in participata quadam similitudine cum DEO, ceu bono infinito, consistunt (116. 118. I.); actiones autem nostrae omnes non nisi usus quidam activus tum facultatum nostrarum, tum quarumvis aliarum rerum creatarum, ceu mediorum, ad finem ultimum consequendum sunt (150. 118. III. V.): id-

R 3

circo

circa actiones humanae omnes eatenus praecise, et in tantum vere bonae, vel malae sunt, quatenus ad hominis perficiendam et promovendam similitudinem cum DEO eiusque perfectionibus consentiunt, vel dissentiunt ab aptitudine naturali omnium facultatum nostrarum ad eundem finem, per actiones bonas promovendum.

## 300.

Quemadmodum consensus actionum et omissionum humanarum cum bono essentiali naturae nostrae in ratione boni intrinseca, seu in realitate determinationum intrinsecarum, *bonitas physica*; ita earundem consensus cum fine ultimo, seu similitudo cum perfectionibus divinis (praec.), *bonitas Theologica actionum humanarum* appellatur. *Malitia physica*, et *theologica earundem* a dissensu opposito definiuntur; et quidem *utraque malitia solum negativa* a dissensu contradictionis seu meri defectus; *positiva* vero a dissensu contrarietatis (295, 296.).

\* *Bonitas physica et theologica*, re et absolute spectatae, nullo pacto differunt, sed solum relatione et modo cognoscendi. Cum enim omnis relatio similitudinis et consensus duos terminos importet, cognitionis intuitu comparativo ad se relatos; *bonitas physica* dicitur complexus realium determinationum actionis humanae relate ad realitatem essentiae mentis; relate vero ad perfectiones divinas vocatur *bonitas theologica*.

## 301.

*Bonitas et malitia, seu physica, seu theologica, actionis, vel omissionis humanae*, quatenus est obiectum intellectus, et potest esse obiectum voluntatis divinae, vel humanae, eius existentiam volentis, nolentis, aut permittentis (289, n. 6. & 7.).

7.), vocatur bonitas et malitia obiectiva, seu physica, seu theologica.

302.

*I. Bonitas, et malitia obiectiva, tam physica, quam theologica, est ipsa possibilitas actionis intrinseca in specie, vel individuo.*

*II. Unde bonitas et malitia actionum obiectiva, physica et theologica, ex parte ipsarum actionum spectata, non differunt; quia sunt idem terminus relationis consensus seu similitudinis: sed differunt solum ratione termini, ad quem referuntur; qui in bonitate physica est essentialis perfectio subiecti agentis, in theologica est ipse DEUS infinite perfectus.*

*III. Bonitas et malitia obiectiva omnis actionum et omissionum humanarum essentialis, aeterna et immutabilis est. Est enim ipsa possibilitas et cognoscibilitas actionis aut omissionis humanae, omni cognitione et voluntate, eam pro obiecto habente, logice prior.*

303.

*Bonitas et malitia obiectiva, seu physica, seu theologica actionum et omissionum humanarum, seorsim spectata a voluntate DEI, eam actionem volentis, nolentis, aut permittentis, ac rationem meram obiecti respectu talis voluntatis divinae ut possibilis habens, vocatur bonitas obiectiva fundamentalis actionis, vel omissionis humanae.*

304.

*Actionibus et omissionibus humanis inest quaedam modo bonitas, modo malitia, obiectiva fundamentalis. Actiones enim quaedam hominis humanae sunt, seu voluntariae (287.), nempe actiones sensus in-*

R 4

terni

terni et intellectus, vel actus ipsi voluntatis, vel motiones corporis voluntariae (289. nn. 3. 4. 5.); quae fiunt ante omnem reflexionem sensus intimi; etsi non nisi post reflexionem sensus intimi super earum bonitate, vel malitia physica, et accedente libertate positae, fiant morales (289. nn. 6. 7. & 290. I. & 293.). Jam vero inest istis actionibus, antecedenter ad omnem reflexionem sensus intimi super eisdem, vera bonitas physica et theologica, nullam in determinationibus suae possibilitatis intrinsecae quibuscunque involvens voluntatem DEI, eas volentis, nolentis, aut permittentis, sed praecise rationem obiecti respectu istius ut possibilis habens, sicuti et respectu ipsius sensus intimi humani super eis reflectentis. Et enim intellectiones et motiones corporis voluntariae esse, atque voluntarie continuari non possent, nisi rationem aliquam boni physicam obiectivam in suae intrinsecae possibilitatis praevisione continerent (42.); siquidem voluntas non nisi in obiectum, cognitum sub ratione boni, appetendo movetur, nec nisi obiectum, cognitum sub ratione mali, aversatur (50. 51. II. et VI.). Praeterea sensationes illae internae, super quibus sensu intimo reflectimus, manifeste nunc rationem apti medii in se habent, promovendi in nobis cognitionem DEI et amorem, vel eam impedi, ac proinde nunc consensum cum fine ultimo, nunc dissensum; cuius proinde bonitatem, vel malitiam, seu obiectum, sensus intimi reflexione cognoscimus, atque ob eam cognitam sensationes ipsas vel continuamus, vel abrumpimus. Ex altera vero parte in illis actionibus humanis, quatenus bonitas et malitia earum obiectum est sensus intimi, super eis primo reflectentis (aut etiam ipsius scientiae simplicis intelligentiae DEI, rerum

rum et actionum possibilitates intuentis), nulla inest determinatio bona, vel mala, intrinseca earum possibilitati, quae rationem possibilitatis suae, seu bonae, seu malae, haberet in aliqua voluntate DEI praevie et aliunde hypothetice existente, eamque volente, nolente, aut permittente; sed potius tota possibilitas earum actionum, iam aliunde praevisa, rationem meri obiecti et motivi habet respectu voluntatis divinae earum existentiam volentis, nolentis, aut permittentis, aequae ac respectu ipsius sensus nostri intimi, super earundem determinationibus intrinsecis, bonis, aut malis, reflectentis. Ergo inest actionibus praedictis humanis quaedam bonitas, vel malitia obiectiva fundamentalis, physica, et theologica (praec.). Quod porro de *actionibus* ostensum, in opposita ratione facile de *omissionibus* humanis intelligitur.

\* E. g. saepe exercemus corpus ambulando, cibum ac potum sumimus, contemplamur sydera; rerum naturas meditamur, et haec omnia voluntarie, sed praecise voluptatis causa, et sine ulla praevia reflexione sensus intimi super bonitate vel malitia istarum actionum, seu physica, seu theologica: et nihilominus reflexione demum actu in istas actiones directa advertimus, eas modo bonas esse, e. g. conservandae sanitati et vitae aptas, imo necessarias ad felicitatem nostram, vel aliorum; modo ob varia adiuncta, ex circumstantiis nata, advertimus, eas esse malas, quin in eis aliquid bonitatis vel malitiae, praecise ex DEI voluntate ortae, deprehendamus: imo potius ex cognita earum bonitate vel malitia, aliunde ipsis competente, inferimus, eas DEO placere, vel displicere, atque idcirco DEUM earum existentiam modo velle, alias nolle. Evidens ergo est, istis actionibus aliunde suam bonitatem et malitiam, quam a voluntate DEI inesse; eamque potius rationem meri obiecti logice prioris ad voluntatem Dei habere, eas volentis, nolentis, aut praecise permittentis.



\*\* *Dicas* forte, nullam istarum actionum existere sine DEI voluntate posse: ergo omnes DEI voluntatem involvere. *At* distinguas oportet inter existentiae et inter possibilitatis intrinsecae actionum istarum rationem. Omnis utique existentiae creatae ratio aliqua ultima in DEI voluntate consistit, qua sine nihil creatum existere potest. *At* possibilitates intrinsecae quaecunque, bonae, et malae, rerum et actionum etiam creatarum ab omni existentiarum ratione extrinseca independentes, immutabiles, et aeternae sunt (302. ll.); atque adeo actionibus humanis, ut possibilibus, iam sua bonitas physica et theologica independenter a DEI voluntate perinde inest, atque ipsis facultatibus activis cuiuscunque creaturae (116.); modo illae cum istis consentiant in ratione intrinseca appetitudinis determinationum suarum ad finem ultimum creationis.

## 305.

Omnis bonitas, et malitia obiectiva actionum et omissionum humanarum, seu physica, seu theologica, si hae committuntur ante reflexionem et cognitionem sensus intimi de eadem (289. n. 6.), vocatur *bonitas et malitia materialis*, seu mere obiectiva: quodsi vero post eam reflexionem et cognitionem admittantur; *bonitas et malitia formalis*, id est, cum conscientia sensus intimi admissa, appellatur: utraque quidem *formalis physica*, vel *formalis theologica*; prout vel physicae solum, vel etiam theologicae, bonitatis, vel malitiae obiectivae, conscientia habetur.

## 306.

Quoniam itaque aliqua bonitas et malitia obiectiva actionum et omissionum humanarum, in conceptu suo nullam DEI voluntatem pro ratione possibilitatis suae involvens, reipsa datur (304. 303.); ea etiam cognosci reflexione sensus intimi

mi poterit, quin illa adhuc DEI voluntas, eam volens, nolens, aut permittens, cognoscatur, eaque bonitate, vel malitia, iam cognita, poterit ipsa actio voluntarie committi, vel omitti; quo casu existet actio, vel omissio, non solum obiective, sed etiam formaliter bona, vel mala (praec.); quin formalis eius bonitas vel malitia, in suo conceptu ac possibilitate ullam DEI praedictam voluntatem aut talis DEI voluntatis cognitionem involvat. Ergo *possibilis est quaedam bonitas, vel malitia etiam formalis actionum et omissionum humanarum, nullam adhuc involvens cognitionem voluntatis cuiuscunque divinae, earum existentiam volentis, nolentis aut permittentis.*

\* E. g. potest quis comedere cibum cum conscientia, quod sanitati vel conducatur, vel quod noceat; quin cogitet de voluntate DEI comestionem probante, vel improbante.

307.

Fieri potest, et *experientia intima teste* saepe actu fit, 1.) ut actionis alicuius voluntariae (vel omissionis) bonitate physica, vel malitia physica, negativa, aut positiva, probe cognita, tamen de eiusdem bonitate, vel malitia theologica nihil admodum cogitemus, aut cognoscamus; sensu intimo nostro, dum super ea actione, vel omissione, intuitum reflectit, eam quidem ad bonum praefens subiecti naturale referente et cum eo comparante, sed nullo pacto referente ad DEVM, seu finem ultimum creationis. 2.) Porro in hoc casu ulterius contingere potest, et rursum *intima experientia teste* saepe fit, ut actio vel tantum physice bona, vel tantum physice mala, sine ullo concursu motivorum impellentium et absterrentium, et cum pleno utriusque appetitus, sensiti-

vi,

vi, et rationalis, consensu, nobis a sensu intimo reflectente proponatur, atque ita vel cum conscientia bonitatis physicae voluntarie committatur, vel cum conscientia malitiae physicae omittatur. Sic e. g. medicinam iucundam, quam forte edocemur, praesenti dolori et morbo nostro certo remedio futuram, ulro oblatam volentes sumimus, nulla saepe de DEO cogitatione habita. 3.) Alias vero in eodem casu, primo loco posito, eadem *experientia intima teste* contingit, ut post reflexionem sensus intimi conscientia quidem verae bonitatis physicae, vel malitiae physicae, negativae, aut positivae, habeatur; at simul ut ob varias circumstantias (291.), cum ea connexas, ex quibus varia voluptas aut molestia eidem accedit, motiva impellentia et absterrentia concurrant, oriaturque pugna appetituum, adhuc tamen nulla ad DEVM reflexione facta. Sic in casu medicinae, si haec non iucunda, sed amara sit, aut forte etiam magno simul pretio constet, etsi pecunia sufficiens suppetat, saepe deliberabundi haeremus, sumere eam, an omittere lubeat; nulla interim rursus ad DEVM facta reflexione.

Iam vero evidens est, tam in *secunda*, quam in *tertia* casus *hypothese* extitutam actionem, vel omissionem humanam, cum bonitate vel malitia quidem formali physica commissam (293. 305.), sed omnis formalis theologicae tam bonitatis, quam malitiae expertem; in *secunda* vero hypothese fore actionem (vel omissionem) mere voluntariam, non autem liberam; in *tertia* vero etiam liberam (284. 285. et 307. Psychol.). *Possibiles ergo sunt, et actu subinde dantur actiones, et omissiones humanae, tum mere voluntariae, tum etiam liberae, physice formaliter aut bonae aut malae; omnis*

*nis tamen theologicae formalis tam bonitatis, quam malitiae, expertes, id est, theologice formaliter indifferentes (294 II.).*

\* Tametsi ergo nulla detur actio humana indifferens mere materialiter, id est, omnis bonitatis et malitiae, seu physicae, seu theologicae, mere materialis expertes (305. 294.); imo *etsi nec possit dari actio, saltem libera, quae sit omnis bonitatis et malitiae physicae formalis expertes*; eo quod ad libertatem actionis semper necessaria sit quaedam reflexio sensus intimi super aliqua bonitate vel malitia actionis (289. nn. 6. et 7. 290. I.): possibilis tamen est actio libera et moralis, habens solum bonitatem, vel malitiam physicam formalem, nullam vero theologicam seu bonitatem, seu malitiam. Huius totius veritatis ratio revera haec est; quod actus liber sine ulla cognitione bonitatis vel malitiae actionis esse non possit, hoc ipso, quod sit alterius electio; possit vero cognosci bonitas et malitia physica, quin cognoscatur simul theologica; eo quod possit actus referri ad bonum subiecti seu naturae, quin referatur ad DEVM ullo modo, seu quin attendatur eius similitudo cum perfectionibus divinis vel consensus cum intuitu DEI beatifico, ceu ultimo hominis sine (300.). Verum recurret alibi inferius de isthac thesi sermo, ubi de indifferentia possibili actionum humanarum in ordine ad DEI legem praecipientem et prohibentem agemus.

308.

*Possibiles quoque sunt, et saepe actu a nobis ponuntur actiones (vel omissiones) liberae, physicae et theologice formaliter bonae, vel malae, et quidem bonitate, vel malitia etiam theologica formali mere fundamentalis (303.). Teste enim rursus experientia intima saepe ponimus actiones, quas, sensus intimi praevia reflexione, praevidimus fore consentientes cum bono non solum naturae nostrae physico, sed cum perfectionibus divinis, et cum fine nostro*

stro ultimo; atque ex hac earum bonitate colligimus, quod Deo tales actiones nostrae sic placeant, ut ob eam bonitatem eas velit a nobis fieri: et vicissim committimus actiones, quas et bono naturae contrarias, et a Dei perfectionibus prorsus dissentaneas esse, praenoscimus; et ex ea malitia theologica inferimus, quod Deus eas nolit a nobis fieri: ergo cognoscimus in eis actionibus bonitatem (e. g. in benigna caritate et misericordia erga homines), vel malitiam (e. g. in saevitie erga miseros), vere theologiam, voluntate Dei priorem, qua Deus eas velit aut nolit fieri a nobis; adeoque fundamentalem (303.): proindeque cum fundamentalis theologicae bonitatis aut malitiae praevisione eas committimus, id est, formali fundamentali theologica bonitate vel malitia affectas. *Ex altera parte tales actiones esse simul liberas*, exinde evidens est; quia actiones illas theologice formaliter bonas saepe committimus, etiam si praevisionis huius totius bonitatis earum theologicae eodem tempore coniuncta sit cum praevisione variae molestiae nobis ex eiusmodi actionibus obventurae, aut cum vehementi pugna appetitus inferioris cum superiore, vehementer nos ad actiones easdem omittendas stimulantis: e. g. quando etiam erga inimicos nostros, a quibus mala accepimus, insuperhabita animi obnitentis pugna, benignos nos et beneficos exhibere cum iniuriarum condonatione ad exemplum Dei decernimus, communem solis et aerae vitalis usum, providentiae suae curam, et conservationem etc. etiam sui contemptoribus, idololatriis, atheis etc. largientis; vel quando, repugnante licet innata inertia et otii amore, agros colendi gravem laborem vitae nostrae sustentandae causa suscipimus; cuius necessitatibus nisi commo-

dum

dum prospiciamus, ad altiores divinarum perfectionum contemplationes inepti sumus. Vicissim easdem actiones, cognita licet earundem formali theologia bonitate, victi taedio molestiarum, cum eis coniunctarum, saepe omittimus quin et actiones malas, e. g. iniustam saevitiem erga alios homines, ingluviem sanitati et vitae ipsimet noxiam etc. saepe committimus, insuperhabita contrarietate talium actionum cum divinis perfectionibus, et finali beatitudine, probe licet praevisa, stimulis scilicet pravorum, affectuum, et forte etiam iam contractorum malorum habituum, illecti. Iam vero in utrisque hisce casibus evidens est, motiva et impellentia et absterrentia talium actionum praevie suppetere, et nulla necessitate physica antecedente nos ad agendum talia ferri: id quod vel sola *experientia intima* satis evincit, quam de liberrimo usu attentionis nostrae in deliberando super motivis nunc impellentibus, nunc absterrentibus habemus, item in differenda electione actionis, vel maturanda etc.; quod sane indicium evidens est, nos per motiva ipsa, licet probe iam perspecta, a priori minime determinari (293. 303. Psychol.), sed cum facultate proxime sufficiente ad non agendum nos ex propria determinatione agere, vel cum facultate proxime sufficiente ad agendum omittere actionem, item praecise ex propria determinatione. Evidens ergo est (per 307. Psychol.), adesse omnes notas libertatis in id genus actionibus et omissionibus humanis, formali simul theologia, et mere fundamentali bonitate, vel malitia affectis.

Obiter quid de hac thesi, et quantum tunc opus erat, iam demonstravi 129. 130.

I. Quoniam moralitas actionum humanarum in bonitate, vel malitia earundem atque in libertate istius simul consistit (288. IV.); nihil vero liberum, imo nec voluntarium esse potest, nisi cognitum seu praevisum (284. et 51. V.): idcirco *non nisi eatenus actio humana moralis est, quatenus formaliter bona, vel mala, seu mere physica, seu theologica, bonitate, vel malitia formali.*

II. *Sicut ergo datur bonitas et malitia quaedam formalis, tum physica, tum theologica, fundamentalis, eaque libera (praec.), ita etiam datur moralitas quaedam fundamentalis actionum humanarum tum physica, tum theologica, prior omni voluntate divina, qua DEVS illas, committi, aut omitti ab homine velit etc. et quae ipsa DEVM moveat, ut eas velit ab eo committi vel omitti etc. (303. 304.).*

III. *Gradus quoque utriusque moralitatis, uti et bonitatis et malitiae formalis dantur seu physicae, seu theologicae, pro ratione scilicet cognitionis seu praevisionis de magnitudine bonitatis et malitiae respondentis materialis (294. III. IV.).*

IV. *Actio libera (vel omissio) physice formaliter bona, sed theologicae formalis bonitatis experta (ob defectum scilicet reflexionis sensus intimi ad materialem theologicam eiusdem bonitatem), moralitate theologica caret, nec voluntarium consensum cum fine ultimo, qua tali, et distincte cognito, importat; sed in voluntario consensu cum bono naturae actu iam praesente praecise determinando acquiescit, vel certe in consensu cum felicitate imperfecta (cui fine ultimo), quae in praesentem vitae statum cadat.*

## 310.

*Directe intendere* dicimur, cum rei alicuius existentiam praevisam efficaci voluntatis actu vel appetimus, vel averfamur: *indirecte intendere* dicimur, cum rei alicuius existentiam bene praevisam neque efficaci actu voluntatis appetimus, neque simili actu averfamur; attamen tali efficaci voluntate vel appetimus vel averfamur existentiam rei alterius, cum cuius existentia, vel non existentia, vel a concomitanti, vel a posteriori, connectendam fore existentiam, vel non existentiam, rei prioris certo praevidemus. 2.) Porro *directe intendere quid vel tanquam finem ultimum* praecise propter se possumus (66.), eumque seu appetendo, seu averfando, *vel ut finem non ultimum*, sed ut proximum solummodo, *eumque sive ut medium* finis ultimi, directo appetitu efficaci voliti, itidem efficaciter appetendo, *sive ut illius ultimi finis voliti impedimentum efficaciter averfando*, *sive demum ut impedimentum finis ultimi, efficaci averfatione noliti, appetendo*, aut *ut eiusdem medium averfando*.

\* Ex. gr. cibum dulcem comedis praecise, quia dulcis est; sicque comestionem eius *directe intendis* propter se, tanquam *finem ultimum volitum*; idem est de omissione comestionis cibi insipidi et amari, quam averfaris propter se ipsam, seu *finem ultimum nolitum*. Ex adverso 1.) cibum sanum qua talem appetis et directe intendis comedere, *seu medium* ad sanitatem directe intentam, seu *ad finem ultimum* appetitu efficaci volitum, et 2.) cibum licet iucundum, sanitati tamen noxium, *seu impedimentum* sanitatis, tanquam *finis ultimi voliti*, averfaris et non comedere directe intendis: 3.) cibum, amarum licet, morbi tamen imminentis antidotum, *seu impedimentum* istius finis noliti appetis et comedere directe intendis: 4.) cibum vero venenatum, *seu medium* mortis ac *finis vitae noliti*, averfa-

Stattler Eth. christ. univers. S ris;



ris; et non comedere directe intendis. Ex quo patet, sex univcrse esse modos directae intentionis, quorum duo circa finem ultimum, duo circa media eiusdem, duo circa impedimenta versantur.

## 211.

I. Omne, quod directe intenditur, et praevisum, et voluntarium, et volitum, vel nolitum, est. Patet, reflexione ad omnes sex modos directae intentionis facta (praec.).

II. Quod indirecte solummodo intenditur, praevisum quidem et voluntarium, sed non efficaci appetitione, aut averfatione, volitum, vel nolitum, est (praec. et 284.).

\* Si Ill. Wolfius Phil. Pract. Univerf. §. 624. plus afferere voluit, quam id, quod indirecte intendimus, esse voluntarium, cum dicit ibi: *Quod quis vult indirecte, id vere vult*; eius demonstratio circa hanc thefin merum sophisma est, ut legenti ultro patebit. At enim diversa sunt esse voluntarium, et esse volitum.

III. Directe et indirecte idem intendere, non solum contradictoria, sed contraria sunt: inter ea enim medium est vel non praevidere rei existentiam, aut non existentiam, vel nec in se appetere atque averfari, nec in alio connexo.

IV. Contradictorie opponuntur intendere directe, et non intendere simpliciter, id est, rei existentiam vel non praevidere, vel nec appetere, nec averfari.

V. Itaque indirecta solum rei intentio proprie loquendo simpliciter non est rei eiusdem intentio, sed solum permissio eiusdem. Cum enim (ceu contrarie opposita per Cor. III.) directa intentio non sit, ad alterum contradictionis membrum, id est, ad non intentiones (Cor. IV. hic), ac per 183. 185. ad permissiones pertinet.

VI. Quod

*VI. Quod nec directe intenditur, nec indirecte; id voluntarium esse non potest: quia vel non praevidetur certo extitutum; vel ad existendum non determinatur (284.).*

*VII. Quod solum volitum, aut nolitum est inefficaci appetitione, aut aversione (quas vulgo velleitates vocant), quae scilicet in effectum sibi consentaneum pro facultate licet praesente non trans-eat, id simpliciter serio non intenditur.*

312.

*Primitiva intentio vocatur, quae, ceu natura prior, est affectus seu actus voluntatis efficax primitivus, et simul imperans aliam intentionem directam. Derivativa intentio ea est, quae non est primitiva, sed imperata ab alia primitiva (61.). Ex primitivis intentionibus ea primaria seu princeps intentio appellatur, cuius ea est efficacia sufficiens, ut, si nulla alia intentio adesset, actio sequeretur cum effectu, facultati praesenti consentaneo; secundaria vero intentio dicitur, quae se sola non est tam efficax, ut, si sola esset, et sine ulla alia, actio, facultate licet praesente, cum effectu sequeretur.*

*I. Intentio finis ultimi semper primitiva est; intentio medii aut impedimenti (310.) derivativa.*

*II. Derivativa intentio non existit sine primitiva; ceu qua natura posterior est.*

*III. Intentio indirecta neque primitiva, nec derivativa est eius intentio, quod indirecte solummodo intendi, ac proprie duntaxat permitti, dicitur (praec. V.); sed est solum primitiva vel derivativa intentio obiecti alterius, cum cuius existentia, vel non existentia connexenda praevidetur existentia vel non existentia eius, quod dicimus indirecte intendi (310.).*

\* Exemplum esto cibus iucundus, quem quis comedat, infuperhabita praevisione, quod noxius futuras fit sanitati.

313.

*Cum directa intentio, in actione (vel omissione) libera composita intendens id, quod ei ex parte bonum inest (293. not.), coniungitur cum intentione indirecta mali positivi, quod cum ea actione (omissione) connectendum fore praevidemus; sive, cum actionem (vel omissionem) per se aptam ad bonum finem, proximum, vel remotum, cum adiuncto vel effectu alio positive malo connexam fore praevidemus: tota actio composita ex utrisque his determinationibus intrinsecis, sed cum solius boni finis directa intentione suscepta, simpliciter bona erit (physice, vel etiam theologice, prout ad unam, vel utramque bonitatem praevisio et directa intentio se extendent); modo bonum directe intentum gradu magnitudinis excedat malum in eadem actione indirecte solummodo intentum, seu mere permixtum (311. V.). Ratio patet ex 293. Cum enim nulla actio finita omni malo metaphysico carere possit, sed semper bonae determinationes, eam componentes, malis quibusdam necessario permixtae sint (cit. loc. not.); ea actio composita semper erit simpliciter bona, in qua bonae determinationes directe volitae numero et magnitudine boni, quod ipsae in actione determinant, excedant malum, quod indirecte solum in eadem actione permittitur (311. V.); tum quia sic tota actio composita nunquam erit contraria bono vero, eo quod minus sit bonum, cui adversatur, quam quod ipsa importat, ac proin status subiecti perfectio magis per eam augeatur, quam minuatur; tum quia permittere solummodo malum minus ex intentione boni maioris, cum summa actionum bonitate et perfectione, quae Deo ipsimet, conminime pugnat (133. 134.).*

2) Ex

2.) *Ex adverso si in hypothese eadem praec. bonum, directe in actione composita intentum, sit minus malo, quod indirecta cum intentione permittitur; tota actio composita erit simpliciter mala. Patet a contrario ex dictis praec. et 293.*

314.

*Actio (vel omissio) materialem relationem ad finem aliquem habere dicitur, quatenus vel ut medium cum existentia, vel ut impedimentum cum non existentia, finis physice connectitur, seu per se, seu per accidens (263. Ontol.). Formaliter per intellectum referri ad finem actio (vel omissio) dicitur, quatenus a persona intelligente alterutra illius praedicta connexio materialis cum fine praevidetur: formaliter per voluntatem referri actio (vel omissio) ad finem promovendum dicitur, quatenus, secundum formalem relationem intellectus, seu regulam a fine praescriptam, cum directa intentione determinatur sic, ut vel sit medium ad eum finem; quo casu dicitur positive per voluntatem referri ad finem promovendum: vel ut saltem non fiat impedimentum finis; quo casu negative solum referri ad finem promovendum dicitur. Nullo modo modo formaliter referri actio (vel omissio) ad finem dicitur, et quidem per intellectum, si connexio eius materialis cum isto omnino non cognoscitur; per voluntatem autem, cum nec, ut medium fiat, positive intenditur, neque, ut ne sit impedimento; sed nulla eius intentio directa, seu ratio (ut loquimur), habeatur.*

\* Relatio negativa voluntatis proprie omissiones determinat earum actionum, seu adiunctorum intrinsecorum actionis cuiusque, quae fini contrariae et impedimento essent: relatio positiva contra determinat determinationes earundem positivas, per quas media

finis positive apta evadunt. Vnde *relationes istae formales actionum (vel omissionum) ad finem aliquem, quae fiunt per voluntatem, proprie non sunt, nisi intentiones derivativae directae (310. 312.), versantes circa media et impedimenta finis, quem primitiva intentione directa intendimus: 2.) nec proinde sine istius directae intentione existere possunt (312. II.).*

## 315.

Quaecunque *directa intentio, ac proinde (per praec. not.) etiam quaecunque relatio actionis (vel omissionis) per voluntatem ad aliquem finem, potest esse vel actualis; cum scilicet est pars actualis totius praesentis actionis compositae (vel omissionis): vel est solum habitualis, id est, praeterito quodam tempore iam facta, seu circa hanc actionem in individuo tunc iam destinata, seu circa omnes similes istius speciei suscipiendas in cumulo, simulque huc usque nulla intentione contraria retractata, seu destructa, adeoque per speciem sui phantasticam saltem in mente adhuc residua. Porro intentio ista seu relatio actionis, iam praeterita actu, sed nunquam retractata, si ob speciei suae relictae vivacitatem ex occasione praevisae actionis similis, in praesens suscipiendae, aliquo pacto excitata, instar habitus facilitantis actu influat in determinationem praesentis actionis (vel omissionis), eidem intentioni conformem; virtuali intentione dirigi, vel referri, ad finem eundem actio (vel omisso) dicitur; etsi nulla actualis intentio istius eiusdem finis interveniat. Contra si habitualis intentio nullo pacto in actionem praesentem influat, *merito habitualis intentio* vocari solet.*

Vide, si lubet, in Psychologia, quae de natura habituum, et lege influxus istorum in sequentes actiones tradidi a 337. usque ad 354., praecipue vero 350.

*Actiones et omissiones liberae physice formaliter bonae per intentionem mere habitualement non satis referuntur ad finem theologicè formaliter bonum, ita, ut earum bonitas theologica fiat agenti voluntaria; 2.) bene tamen per intentionem virtualement. Per primam enim, tametsi materialis theologica bonitas actionibus illis (vel omissionibus) non desit (307. not.), agens non fit principium existentiae istius cum eius praevisione (284.): neque enim tale fit per intentionem iam praeteritam, quae in praesentem actionem non influit, ceu mere habitualis (praec.); neque per praesentem actualement, quae per hypothesein actiones illas (vel omissiones) praecise refert ad finem mere physice bonum. Per alteram ex aduerso, ceu actu influentem, fit, ut actiones illae (vel omissiones), per se iam theologicè materialiter bonae, qua tales, sint veri effectus, praevisi simul ac voliti in ipsa habituali praeterita intentione, ac proinde ut sint, qua tales, vere voluntariae (284.). Ergo etc. etc.*

*Quoties actio (vel omisso) aliqua intentione, seu actuali, seu virtuali, refertur ad finem theologicè bonum, toties intervenit directa aliqua intentio istius finis; seu positive, seu negative solum referatur ad eundem (214.). Referre enim actionem (vel omissionem) per intentionem voluntatis est eam determinare in certa ratione iuxta regulam, a fine praescriptam, seu ut sit istius medium, id est, principium existentiae, seu ut saltem non sit huius impedimentum (cit.). Atqui intentio medii aut impedimenti, seu ponendi, seu amovendi, semper est derivativa, quae sine intentione primitiva finis,*

nis, ceu illius principii, existere non potest (312. I, et II). Ergo etc. etc.

\* Nimirum etiam in relatione solum negativa actionis ad aliquem finem, primo revera positive finis ipse intendi debet; et tum primum actio ob eam intentionem secundum finis regulam sic determinari poterit, ut ne fiat impedimento eidem fini. In actuali huiusmodi intentione res per se clara est. In virtuali sic res eadem procedit. Occasione agendi se offerente, oritur quaedam adperceptio certarum determinationum actioni compossibilibus, per quas actio fieret contraria fini, theologice bono, alias saepe iam efficaci voluntate directe intento. Excitantur ergo species talium intentionum habitualium iuxta ac cognitionum finis, illis praelucentium, eaeque pro facilitate agendi idem uniformiter, quod alias iam saepe actum est, influxu suo voluntatem determinant ad referendam praesentem actionem ad eundem finem, id est, ad eam determinandam ex regula istius, sic saltem, ut ne ei fiat impedimento. In relatione positiva omnia analoge eveniunt.

## 318.

*I. Non nisi cum, et quatenus directa intentionis, actuali, vel virtuali, actio (vel omissio) libera quaecunque refertur ad finem formaliter theologice bonum, seu positiva, seu negativa relatione voluntatis; eatenus, et semper quidem, ei inest ratio medii aliquo pacto apti ad beatitudinem, quae finis creationis ultimus est, promovendam.* Non enim, nisi sic agenti et bonitas ipsa theologica actionis (vel omissionis) voluntaria est, et quidem per se intenta relate ad finem illum ultimum creationis (316. 317.). Atqui per 165. II. et III. et 166. non nisi tali actioni vel omissioni liberae inest ratio tum meriti theologici, tum medii apti ad beatitudinem, in praesens a Deo pro fine creationis ultimo constitutam.

*II. Ex*

II. Ex adverso ratio demeriti moralis theologici positivi iam inest actionibus et omissionibus liberis; modo earum malitia positiva materialis theologica sit formalis, id est, distincte praevisa, et per intellectum relata ad finem, fini ultimo contrarium (314.), etiamsi voluntate directe non intendatur, nec referatur ad finem positive malum. Iam enim nihilominus eis inest tota ratio contemptus illius practici (204.) descripti, qui totam demeriti theologici moralis positivi notionem absolvit (205. IV. not.).

III. Ratio tam meriti, quam demeriti theologici magna, vel parva, est pro gradu tum bonitatis, vel malitiae, theologicae praevisae, tum efficaciae intentionis, circa bonum quidem mere directae (hic Cor. I.), circa malum morale vero vel directae, vel indirectae (hic II. 310.).

IV. Actionibus tamen theologice formaliter indifferentibus (307.), licet physice formaliter bonae vel malae sint, si nec virtuali aliqua intentione referantur ad finem theologice bonum, vel malum, nulla inest ratio meriti, vel demeriti, theologici: quia in eis deest et praevisio, et eo ipso omnis seu directa, seu indirecta intentio bonitatis, vel malitiae theologicae (311. II.).

V. Actiones (vel omissiones) liberae, quae quidem malitia physica et theologica positiva materiali re ipsa carent, sed tamen ex errore ea infici certo creduntur; cum hoc ipso formali malitia theologica revera inficiantur, si, stante erroneo illo iudicio, committantur, vero demerito morali theologico laborant. Inest enim ipsis evidenter iam aliqua ratio contemptus DEI practici (204. II.) descripti. Ergo per 205. IV. not. etc. etc.

\* Nota universe, bonitatem moralem actionum nostrarum non nisi bonitate physica et libertate earum



rundem constare. Quoniam porro omnes actiones nostrae liberae affectibus iucundis aut molestis, amoris vel odii, constant; et quoniam verum bonum non nisi id est, quod maiori bono contrarie non adversatur (26.): idcirco sequentes regulae univcrse consequuntur.

*I. Univerſa moralis bonitas actionum noſtrarum primitiva origine a praedominio perfecto amoris noſtri erga bonum delectabile omnium ſummum, cuius fruendi quidem capaces ſumus, et a perfecta ſubordinatione omnium aliorum affectuum noſtrorum erga illius amoris imperium, proficiſcitur; cui quidem tunc hoc ipſo praedominio aequè perfecto imperans odium mali omnium maxime moleſti, parque ſubordinatio omnium aliorum moleſtorum affectuum reſpondebit.*

*II. Quo maiora ſunt bona, quae amore libero, illorum magnitudini proportionato, amamus; eo maior eſt moralis bonitas actionum noſtrarum.*

*III. Amor cuiuslibet boni, magnitudini ac neceſſitati uſus illius ad noſtram perfectam beatitatem proportionatus, et odium analogum ac aequè proportionatum omnis mali et impedimenti perfectae beatitudinis noſtrae, ſummam totius bonitatis moralis actionum noſtrarum conſicit.*

*IV. Omnis moralis malitia actionum noſtrarum primitiva origine a praedominio immoderati amoris bonorum delectabilium infimi ordinis, et ab immoderato odio malorum infimi ordinis, ac mere apparentium, proficiſcitur.*

*V. Amor boni veri ſecundum ſe, et odium mali veri ſecundum ſe, in vere malos affectus vertuntur, ſi ſint immoderatiores iuſto, et amplius, quam gradus boni et mali mereantur: quia immoderatione ſua evadunt impedimenta amoris maiorum magisque neceſſariorum*

rām bonorum, vel odii malorum maiorum. Completio- rem notitiam et demonstrationem horum principiorum contra Kantianos errores dabit die allgemeine kathol. christl. Sittenlehre für die obersten Schulen der pflzlbairischen Erzdiöces im sechsten Unter- richte des ersten Theiles.

*V. Actiones (vel omissiones) liberae, quae quādam malitia physica et theologica positiva materiali re ipsa carent, sed tamen ex errore ea infici certo creduntur; cum hoc ipso formali malitia theologica re- vera inficiantur, si fiante erroneo illo iudicio committantur, vera demerito morali theologico laborant. In- est enim ipsis evidenter iam aliqua ratio contem- tus DEI practici 204. II. descripti. Ergo per 205. IV. not. &c. &c.*

### ARTICVLVS III.

DE LEGE ET IVRE NATVRALI.

319.

*Supposita praesente creationis hypothese, DEUS ali- quos actus liberos theologice formaliter bonos bo- nitate directe intenta necessario tam efficaci voluntate poni vult ab homine, praedictam eorum bonitatem, ceu sibi possibilem, actu praevidente, ut eos tum proposita in praemium aeterna beatitudine, tum etiam intentata in poenam omissionis eorundem aeterna infelicitate positi- va, promoveat, tunc videlicet, cum, et quatenus tales actus ad statum bonum subiecti seu consensionem istius cum puro bono ac fine ultimo conservandum graviter necessarii sunt; seu cum eorum omissio est graviter positive mala (204. IV. 205.) Tales enim actus rationem habent meriti theologici moralis, et quidem talis, quod determinate necessarium me- dium est finis ultimi consequendi (165. II. 318. I.); unde*

unde nec omitti libere, qua tales, possunt sine positivo contemptu totius bonitatis DEI respectivae, saltem indirecto (204. II.), nec sine demerito positivo morali theologico (205. not.). Atqui necessitate tenetur DEUS in hypothese creationis ad promovenda merita moralia theologica determinate necessaria ad finem ultimum, et ad impedienda demerita moralia positiva theologica, mediis moralibus tum necessariis, tum sufficientibus univarse ad summum commune beatitudinis maximae bonum consequendum, quantis nimirum ipsum uti sic decet, ut minus deceret, si non uteretur (191. 188. 189.); nec vero media isthaec alia sunt, nisi aeterna beatitudo praecise in praemium bene dicto modo merentibus proposita (195.), et aeterna infelicitas male merentibus proposita in poenam (198. 199. 206. 207.). Ergo &c.

## 320.

*In eadem creationis hypothese DEUS omnes actiones liberas theologice formaliter et magno quidem gradu positive malas (309. III.), etsi agens malitiam directe non intendat, ab omni homine omitti tam efficaci voluntate necessario vult, ut eas committenti cuique, nec satis efficaci poenitentia denuo ante mortem retractanti (219.), aeternae beatitudinis iacturam, et positivam aeternam infelicitatem, in poenam certissime decernat, atque intentet.* Omnis enim talis actio libera importat DEI contemptum practicum, et demeritum positivum morale (318. II.): ergo per demonstrata praec. &c. &c.

## 321.

*In eadem hypothese DEUS actiones et omissiones liberas theologice formaliter, sed modico gradu positive*

*ve malas, etsi agens malitiam non intendat, ab omni homine omitti seria quidem et efficaci voluntate necessaria vult; cuius tamen voluntatis effectus non sit aeternae, sed temporalis solum poenae, in hac, vel altera futura vita luendae, intentatio facta committenti eas, nec ante mortem efficaci poenitentia, retractanti. Talibus enim actionibus cum ex hypothese levis tantum demeriti theologici moralis positivi ratio insit (318. III.), nec eae finis ultimi substantiae per se opponantur; iam (260.) ostensum est, eas neque remedia tam severo per se indigere, nec DEUM infinite bonum ad tam severa remedia (non necessaria ad finem ultimum consequendum) adversus illas adhibenda movere posse, qualia sunt beatitudinis integra iactura, et poena infelicitatis aeternae. Posunt eadem tamen, ac debent movere DEUM ad poenas temporales intentandas &c. (261.)*

322.

*Actiones formaliter theologicae bonae directe intentae, quae ad bonum statum seu consensionem subiecti cum fine ultimo conservandam omnino necessariae non sunt, id est, quarum omissio quidem negative, sed non positive mala est (295.), DEUS ab homine, earum facultatem liberam completam habente, quidem ita serio committi vult, ut, proposito in singularum praemium novo gradu beatitudinis, eas promoveat, sed easdem libere quidem, sine formali tamen contemptu, omittenti poenam positivam aliam, quam eius novi praemii iacturam, non intentet. 2.) Et quidem quo fuerint eiusmodi actiones in sua specie ac individuo formali theologica bonitate excellentiores; eo maiore beatitudinis praemio proposito DEUS ad eas univ[er]se invitat. Vi hypothesis enim tales actiones media, ad finem ultimum ex parte hominis per se necessaria, non*

non sunt; etsi perquam sint ad eundem promovendum aptae. Sufficiens ergo morale medium ad eas promovendas ex parte DEI erit praemii aeterni gradus novus pro motivo propositus, isque tanto maior, quanto nobilior actionis bonitas; eoque medio morali sic uti DEUM decet, ut, ni faceret, summum beatitudinis gradum, per summa merita moralia theologica universe consequendum, seu finem ultimum, haud efficaci satis benevolentia vellet; id quod a DEO prorsus alienum est (165. 188.). Ex adverso cum omissio talium actionum non sit positive, sed tantum negative mala (ex hypothesi), nec proinde ipsi fini ultimo, aut hominis cum DEO similitudini, positive contraria (295. 299. II.): idcirco, tametsi defectus quidam merus maioris honorationis DEI practicae in ea omissione libera interveniat, positivum tamen DEI contemptum (qui in affectu voluntatis praevalente erga rem DEI perfectioni contrariam consistit (202.), ac demeritum positivum morale theologicum (295. IV. not.) non importat; atque adeo ratio non suppetit, cur DEUS extremo poenae remedio ad id genus actiones promovendas universe utatur: siquidem omnis ratio poenae positivae culpam, seu demeritum morale positivum, supponit (163.). Sufficit ergo loco motivi absterrentis id genus omissioni liberae opposita iactura novi gradus praemii aeterni, non nisi per actionem contrariam promerendi. Ergo &c. &c.

\* Multo minus poterit Deus, pro sua in nos benevolentia, cuilibet id genus omissioni poenam aeternae iacturae beatitudinis constituere, aut infelicitatem omnino positivam aeternam intentare: quia sic nimis multa merita moralia exigendo ad beatitudinem absolute consequendam hoc ipso beandorum numerum nimis quam  
immi-

imminueret, spectata praesertim hominum naturali nimis magna infirmitate ad opera semper optima patrandam, et horum vulgo eximia difficultate.

323.

*Actiones liberas formaliter bonas, sed bonitate et moralitate mere physica, theologice vero indifferentes (seu ob defectum reflexionis super bonitate theologica, seu ob defectum intentionis istius directae 307.) neque praemium novi gradus beatitudinis aeternae per se merentur; neque DEUS ulla necessitate tenetur, ut easdem poenae positivae intentione impediatur; vel ut reflexionem sensus intimi super bonitate earum theologica, atque ipsam directam huius formalis bonitatis intentionem, similis poenae positivae intentione negligentibus facta (extra casum necessitatis 319. iam propositum) universe promoveat. Etenim in praesente hypothese creationis, in qua non nisi per bona merita theologica, ex destinatione finis ultimi libere posita, beatitudo obtineri ab homine debet (165. I.), id genus actiones, omnis moralitatis bonae theologicae expertes, nullam rationem immediati medii sufficientis, vel necessarii ad hunc finem, nec rationem veri meriti theologici habent (318. IV.); ex altera vero parte fini ultimo non contrarie; sed solum per defectum privative et contradictorie opponuntur; quatenus, cum materiali omnigena, atque insuper physica aliqua formali bonitate polleant, a theologica tamen formali bonitate vel omnino, vel saltem ab istius directae intentione deficiunt: quapropter extra necessitatis casum, de quo 319., tum reflexionis super theologica earum bonitate, tum intentionis directae istius, ommissio etiam libera (praeterquam quod saepe nec libera ista sit) non est, nisi negative mala (295.), ac proinde rationem demeriti mora-*

moralis theologici positivi per se ipsam obiective spectata nequaquam habet (318. II. IV.). Itaque non ita decet DEUM poenis positivis tum illam reflexionem sensus intimi super bonitate earum actionum theologica, tum directam intentionem istius, promovere, ut istarum poenarum omisso ipsum dedeceat (163.); satisque idem finem ultimum, huiusque merita moralia theologica, seu usum istorum, promovet, si tum ad ipsam reflexionem illam, et ad directam intentionem bonitatis theologicae, omnibus actionibus liberis adhibendam, perinde atque universe ad actus formaliter theologice, bonos (praec.) praemio conveniente proposito omnes invitet. Ergo &c. &c.

\* Ex his iam principiis omnis investigatio legum divinarum naturalium et positivarum quarumcunque, totaque Ethica particularis pendet. Ethicae tamen generalis officium est solummodo generalia legum divinarum et humanarum principia et regulas demonstrare; ad quam demonstrationem via nobis primum per accurate praemissas notiones potestatis moralis, iuris, et obligationis, complananda est. Equidem iam notiones istas tradidit alias in Theologia naturali (a 609. Theol. Nat.): ne tamen mancum Ethicae Generalis opus proponam; eadem hic quoque repetendae sunt. Id solummodo exinde merito inferas, tam sine aliqua principiorum Ethicae generalis notitia nullam genuinam divinarum perfectionum, quam sine divinarum perfectionum scientia nullam genuinam Ethicae tractationem, subsistere posse.

### §. I. DE NOTIONIBUS POTESTATIS MORALIS, IURIS, ET OBLIGATIONIS.

324.

*Potestas moralis, seu recta facultas moralis, est facultas libera vel ad actionem aliquam committendam, vel ad eam omittendam, salva morali recti-*

rectitudine saltem negativa (2.), seu ita, ut actio, vel omissio, saltem non sit positive moraliter mala. Quodsi recta moralis facultas ita simul tum ad actionem committendam, tum ad eandem omittendam copulative detur, ut tam actio, quam eius omissio libera, careat malitia morali positiva. *Ius* dicitur: quod proin copulativa facultas recta moralis est tam ad agendum, quam ad non agendum.

\* Potestas moralis praecise talis, et seiunctim a iure, tantum datur ad actiones sic bonas simpliciter, ut earum omissio sit simpliciter mala, vel vicissim: contra ius datur ad actiones, quae quidem secundum se simpliciter bonae sunt, quarum tamen omissio simpliciter mala non est (295.), imo quae saepe etiam actionibus se melioribus praecise contradictorie opponuntur, ac proin cum his impossibiles eodem tempore sunt. Ex quo satis patet, facile ex dictis 293. 295. item praecipue ex dictis 307. ostendi, tam *iuris* quam *potestatis moralis* notiones datas reales esse, ac vere possibiles. Quod vero eadem a recepto usu loquendi non dissentiant, ex decursu tractationis huius abunde elucescet. Neque hic controversias cum Ill. Wolfio recoquere animus est, quas in Theologia Naturali iam oppido sublatas suppono. Ceterum notionem *iuris* hic quidem haud amplius evolvi oportet, quam ad Generalis Ethicae officium necesse est; ulteriorem eius deductionem vero Iuri Naturae, ceu parti Ethicae particularis, cuius omne obiectum in eo continetur, reservamus.

325.

*I. Potestas moralis duo involvit, nempe facultatem liberam, et rectitudinem saltem negativam actionis (vel omissionis), ad quam illa dari dicitur, id est, immunitatem istius a malitia morali positiva. E. g. eleemosynam largiris aliquam egeno; omittis tamen largiri liberaliorem, quam posses. Omissio*

*Stattler Eth. christ. univers.*

T

haec



haec talis est, quam libere facere potes sine malitia morali positiva; etsi negative mala moraliter sit: habes ergo potestatem moralem omittendi largitionem illam liberaliorem.

II. *Ad actionem (vel omissionem) liberam, positive moraliter malam, potestas moralis absolute dari non potest.*

III. *Aliud tamen est, actionem esse moraliter possibilem, aliud competere ad eam committendam moralem alicui potestatem. Prius aliud non est, quam actionem ita esse in libera physica potestate, ut nulla magna difficultas eius exercitio obstet, siquidem ex opposito moraliter necessaria est actionis ommissio, seu actio ipsa moraliter impossibilis, si haec sit perquam difficilis (131.): alterum vero aliud non enuntiat, quam actionem fore rectam saltem negative, si libere ponatur; id quod esse potest, etsi eadem actio ob difficultatem sibi conjunctam sit moraliter impossibilis. De omissione analoge idem ex integro valet.*

## 326.

Quoniam necessitas moralis liberae actionis non est, nisi magna difficultas omissionis eiusdem liberae (aut vicissim), orta ex magno excessu taedii, aut voluptatis, sese proidentis circa stimulos seu motiva impellentia, vel absterrentia (131.): idcirco *necessitas moralis ad agendum libere, vel non agendum*, tot modis oriri potest, salva libertate, in homine, quot modis *oriri potest* praedicta difficultas actionis vel omissionis liberae; nimirum 1.) *vel ab intrinseco et ex ipsa dispositione* (333. Psychol.) *subiecti, seu personae agentis relate ad actionem vel omissionem liberam; ex confusa scilicet et erronea repraesentatione boni et mali, quod simul*  
inest

ineft omni actioni vel omiffioni liberae (293.), aut pravo habitu, circa actionem (vel omiffionem) moraliter malam iam contracto, et perturbatorum affectuum vehementia (de qua re abunde iam dixi in Psychol. 225. 226. item ibid. 288. 289., atque etiam in ifta Ethica generali 27.), quo pacto reipfa neceffitas illa moralis communis et naturalis ad morale malum in hominibus nascitur, et varie in variis intenditur ipfo exercitio et afliuetudine mali moralis; 2.) *vel ab extrinfeco ex circumftantiis seu personarum aliarum, seu rerum, loci item subinde, aut temporis, quae nova motiva abfterrentia ab actione, vel omiffione, aut ad eam impellentia, determinant* (292. V.), ex quibus insignis aliquis novus gradus taedii, aut voluptatis, eidem accedat.

\* Sic e. g. neceffitas moralis, qua trahimur a bono morali ad morale malum (132.), ex ipfa intrinfeca indifpofitione naturae noftrae oritur, quae difficultate laborat (337. Psychol.), fibi verum bonum morale factis diftincte repraesentandi, ac proinde etiam idem prae bono mere apparente appetendi, quod posterius et valde vivaci conceptu fibi repraesentat, et ex ipfo usu habituque, a teneris contracto, facillime appetit.

327.

*Personae extraneae quaecunque ad actionem (vel omiffionem) liberam noftram positive promovendam, ceu cauffae per se, seu ex directa intentione (310.), concurrere poffunt praecise vel confilio, id est, simpliciter significando iudicium suum de eo, quid nos facere deceat, quid non; vel exhortatione, seu fola laude aut vituperio ad ipsam actionem, vel omiffionem, impellendo; vel invitando, id est, significando, quid fieri a nobis velint (aut omitti), ac simul certo promittendo boni alicuius physici, in*

T 2

fua

potestate certo positi, largitionem, si ad ipsorum votum actionem liberam committamus, aut omit-  
tamus; *vel iubendo*, id est, significando, quid fieri  
(aut omitti) a nobis velint, simulque declarando  
certum voluntatis propositum, quo decernant,  
iuxta ipsorum votum non agentibus (vel actio-  
nem non omittentibus) malum physicum irro-  
gare ex certa sua physica potestate; *vel denique*,  
cum de actione libera, in actum externum exeun-  
te, agitur, *physicam facultatem suam indulgendo* per  
modum concaussae, vel instrumenti, e. g. cum  
servus iuvat dominum in effringenda cista ad fur-  
tum committendum.

\* Omnes certe alii modi concurrendi ad alienam  
actionem vel mere negativi sunt, vel non ex directa  
intentione promovendi eandem numero actionem  
praecedunt.

## 328.

*I. Solo consilio simplici, vel exhortatione concur-  
rens ad alienam actionem liberam, vel omissionem, nul-  
lam agendi, vel non agendi necessitatem moralem alteri  
imponit.* Ex solo enim consilio, quo ad summum  
intrinsicam actionis bonitas obiectiva, vel malitia,  
alteri declaratur (praec. et 187.), sicuti ex sola  
inani laude ac vituperio, nisi alia spes, aut polli-  
citationes &c., accedant, nullus insignis gradus  
voluptatis aut taedii actioni (vel omissioni) libe-  
rae ab extrinseco accedit. Atqui in tali insigni  
gradu taedii aut voluptatis necessitas moralis con-  
sistit (131.).

*II. Qui solam facultatem suam physicam ad actio-  
nem extrinsecus complendam instar concaussae, vel in-  
strumenti, indulget; nullam quoque necessitatem mo-  
ralem simpliciter libere agendi, vel non agendi, im-  
ponit;*

ponit: quia solum, ut causa occasionalis, actionem externam ipsam possibilem reddit; ad volitionem vero agendi, aut nolitionem, nulla positiva motiva iucunda, aut molesta suppeditat.

*III. Invitans, siquidem bona non spernenda, sed respectu ad agentem et actionis (vel omissionis) difficultatem habito eximia promittat iuxta votum suum se gerenti, imponit necessitatem aliquam moralem agendi. Spes enim certa boni dicto sensu eximii, voluptatis agendi, vel non agendi, excessum gradu eximio determinat (131. 326.).*

*IV. Iubens, si quidem nolenti iuxta votum suum agere vel non agere, mala physica non spernenda, sed respectu ad agentem et actionis (vel omissionis) difficultatem habito, satis magna intentet, certamque ea infigendi potestatem physicam ostendet, necessitatem moralem agendi, quod ipse vult, vel non agendi, quod vult omitti, imponit. Ratio in Cor. III. data hic ratione metus ex opposito valet.*

*V. Quodsi vero invitans modica bona promittat, aut iubens modica mala intentet, respectu habito ad agentem et actionis difficultatem; aut certa non sit eius physica potestas ad ea bona conferenda, vel irroganda mala, aut dubia voluntas: neuter veram necessitatem moralem imponit; quia modica voluptas, aut taedium, vel spes incerta, ac incertus metus, eximium excessum unius partis motivorum, impellentium nempe, vel absterrentium, non determinant (326.).*

329.

*Ut detur potestas moralis invitationis, vel iussu promovendi alienam liberam actionem (vel omissionem), tum actionem istam (vel omissionem) oportet esse sim-*

T 3

pli-

*simpliciter moraliter bonam, id est, aptam ad finem bonum, ab invitante vel iubente directe intentum, tum ipsam invitationem, vel iussum morali rectitudine saltem negativa pollere.* Quodsi enim actio talis (vel omissio) foret moraliter positive mala, invitatio ad eam, ac iussum, ceu directa mali intentio, esset positive malus (327.); siquidem ex rationato rationis sufficientis bonitas, vel malitia, recte colligitur. *Deinde* utcunque bona moraliter actio (vel omissio) libera sit, quae invitatione, vel iussu, promovetur; si invitationi, vel iussui unde unde determinatio intrinseca, seu modus aliquis intrinsecus accedat (292. III. IV.), quo malitia positiva ipsa vitietur; idem cum potestate morali fieri nullo item pacto poterit (324.). Ergo &c. &c.

\* *Pars prima* huius thesios magni momenti principium continet, ex quo inferemus, lege praecipi, nisi actionem liberam simpliciter bonam, et aptam ad finem, legislatoris sapientiae consentaneum, nequaquam posse. *Pars altera* fundamentum est notae praecipuae in definitione *obligationis* mox ponendae.

330.

*Ut iussum ex potestate morali locum habeat, eius aliqua necessitas ad actionem liberam (vel omissionem), ceu ad finem, sic esse debet, ut invitatio non suffeclura ad eundem finem, consequendum aliquo pacto praevideatur.* Cum enim iussione timor mali, ac proin excessus quidam taedii, pro motivo agendi, ingeratur; ac proinde molestia aliqua creetur hominis libertati; dedecet vero malum quodcumque permittere, vel quamcunque molestiam alteri creare, nisi ex intentione boni maioris, et quatenus illam permittere necesse est ad istud consequendum (142. 143.); eo quod videlicet per-

permissio id genus molestiae secus bono fine prorsus careret: idcirco simpliciter malus est iussus, nec ex potestate morali proficisci tunc potest, cum nulla est eius ad actionem alienam liberam (vel omissionem) utcunque bonam consequendam necessitas, et invitatio per motiva iucunda ac mitiora suffectura satis praevidetur.

331.

Necessitas moralis liberae actionis committendae, orta a persona extranea, et ex ipsa inprimis certitudine de potestate morali istius ad eam imponendam, illud est, quod vulgo *obligationem*, et quidem *passivam*, vocamus. Unde *obligatio activa* est actio personae unius, pro certa potestate sua morali necessitatem moralem liberae actionis, vel omissionis, alteri personae imponentis.

\* Quamcunque bona vel mala dispositio interna subiecti liberi, etsi necessitatem agendi moralem in isto determinet (326.), *obligare* non dicitur ad agendum: secus vel maxime a pravis habitibus obligarentur homines ad malum agendum, ii inprimis, qui vulgo servi sunt suorum pravorum affectuum. Sed neque res ceterae extraneae, nec tempus, nec locus, etsi origo necessitatis moralis esse queant, obligare ad agendum ullo in proprio sensu dicuntur; quia videlicet potestate morali et omni moralitate influxus earum in nostram libertatem penitus caret. Sed nec una persona alteram seu invitatione, seu iussu suo utcunque violento obligat, si etiam bonam utcunque actionem iubeat, seu amicus, seu latro sit, nisi constet alteri, potestatem moralem illi seu ad haec promissa facienda, seu ad has poenas sibi intentandas, competere. Omnes itaque notae in definitione data plane essentiales sunt. Nimirum proprium est obligationis, ita undique veluti hominem ligare et necessitate morali urgere ad bonum agendum, vel omittendum malum, ut exitum, seu prudentem obtentum non inveniat, quo se excuset de malitia

lita commissae actionis; sic tamen, ut libertatem ipsam physicam non tollat.

332.

*Facultas seu potestas obligandi est potestas physica et moralis connectendi cum libertate agendi physica personae alterius nova motiva agendi potius, quam non agendi (aut vicissim), eaque distincta a bonitate vel malitia intrinseca fundamentali actionis, vel omissionis liberae, ad quam ista obligatur. Est enim potestas physica et moralis (praec.), determinandi necessitatem moralem ad actionem vel omissionem liberam, non utique vagam, sed in sua specie saltem iam determinatam, atque adeo intrinseca fundamentali bonitate vel malitia obiectiva iam antecedenter ad voluntatem invitantis ad eam, vel iubentis eam, aliunde praeditam (303. 304.): quae et ratio est, cur invitatio, aut iussus ad eam consequendam, ceu finem, dirigatur. Itaque necessitas moralis superaddita, motivis constare ab ipsa intrinseca fundamentali actionis bonitate vel malitia diversis, debet; adeoque facultas obligandi &c. &c.*

\* Philosophi morales recentiores vulgo cum Ill. L. B. Wolfio obligationem passivam in ipsa moralitate intrinseca actionis liberae iam contineri volunt; quare genuinum obligationis conceptum prorsus in praeposterum verti mihi quidem evidens est: siquidem, praeterquam quod actio, ad quam datur obligatio, ab ipsa obligatione, quae ad eandem datur, non distinguitur, insuper via praeccluditur discernendi, quid ex parte obligantis requiratur, ut obligatio a vi morali iniusta differat, quam etiam latro inferre potest, et cuius illatae reus etiam amicus est, qui amicum etiam ex studio benevolentiae ad actionem utcunque bonam, extra casum extremae necessitatis et amentiae, arroganti iussu cogere sustinet. Finis totus tam praeposteri conceptus introducti est, ut ostendant, etiam Atheum adhuc ad actiones moraliter bonas obligari. Verum melius dice-

dicerent, etiam pro Atheo regulas morum, sed obligationis expertes, valere; tumque saluum esset, quod volunt. Modo autem plus volunt, quam evincere queant; atque sic hoc ipso rem inutiliter involvunt. Enimvero nobis Christianis longe potior cura esse debet, ut obligationis divinae et humanae indolem tandemque sanctam et iustam quam distinctissime per notiones foecundas sub oculos ponamus, quam ut operam cum Atheis perdamus; quibus multo minus curam morum persuadebimus, si persuadere DEI timorem non possimus.

333.

*I. Qui cum certa potestate physica, et morali, praestandi promissa, invitat, aut cum eadem potestate, infligendi mala intentata, quid iubet; obligat (327. 331. 332.).*

*II. Qui nudum consilium dat, non obligat (cit.).*

*III. Obligatio passiva sine certa cognitione potestatis physicae et moralis, obliganti competentis, item sine certa cognitione de seria eius voluntate obligandi, nec concipi potest (331. 328. V.).*

334.

Actio, qua alicui necessitas moralis libere quid agendi, vel omittendi, imponitur, vulgo etiam *vis moralis* appellatur: et si quidem necessitas ista imponatur per motiva blanda et iucunda, cum agendi libertate connexa, *vis amica*; sin autem per motiva molesta, *moralis coactio* appellatur. Potestas physica et moralis, inferendi vim amicam alienae libertati, *potestas imperfecta*; potestas contra physica et moralis cogendi, *potestas perfecta in libertatem alterius* vocari solet; et qui posteriore ista gaudet, et quatenus, is alterius *superior* eatenus dicitur; non item, qui solum priore. Vicissim *subditus* is et eatenus appellatur,



tur, in cuius libertatem, et quatenus alteri potestas perfecta competit.

*I. Consulere itaque, et invitare potest salva morali rectitudine etiam, qui alterius superior non est, cui consulit, et quem invitat.*

*II. At cogere moraliter non potest, nec nisi eatenus, nisi qui, et quatenus est superior eius, quem vult cogere moraliter (327.)*

## 335.

Ex his fluit divisio obligationis in perfectam, et imperfectam. *Obligatio perfecta* est, quae fit coactione morali, seu quae procedit ex potestate perfecta in libertatem eius, qui obligatur, sive quae a superiore, qua tali, oritur; *imperfecta*, quae fit vi morali amica, seu quae non a potestate in libertatem alienam perfecta, qua tali, vel non a superiore, qua tali, procedit.

## 336.

*Obligatio passiva tam perfecta, quam imperfecta gradus diversae magnitudinis habere potest; prout nimirum necessitas moralis maior, vel minor ex maiore, vel minore excessu taedii, aut voluptatis, oritur, quae sese ex parte motivorum iucundorum, aut molestorum prodit, quae obligans imperfecte, aut perfecte, cum agendi libertate connexuit. Vnde obligatio perfecta gravis simul dicitur, cum ob malitiae actionum (vel omissionum) liberarum, superiori displicentium, magnitudinem poenae absolute magnae et graves intentantur; obligatio autem perfecta quidem, sed levis, appellatur, si ob eiusdem malitiae parvitatem (262.) poenae absolute leves intentantur.*

\* Possunt vero poenae etiam absolute leves (comparate ad alias poenas) esse satis graves respective ad agentem et actionis difficultatem, ut nihilominus necessitatem moralem determinent, sicuti in poenis purgatorii et inferni, quarum illae levibus, istae gravibus culpis a DEO intentantur, obvium apertumque exemplum suppetit.

• 337.

Quoniam *obligatio passiva* ex actibus intellectus, id est, ex cognitionibus motivorum, et ex certa cognitione moralis et physicae potestatis, obliganti competentis, ad ea motiva cum agendi libertate connectenda, constat (331. 333. III.): idcirco *veritatis logicae iuxta ac falsitatis est capax* (62. Logic.); ac proin *obligatio passiva aliquando falsa* aequae, ac *aliquando vera dari potest*.

338.

I. *Quod vel non est actio, sed passio tantum, vel non actio (seu omissio) libera, vel non moraliter bona, in id vera obligatio cadere non potest, sed falsa solummodo, ex erronea opinione orta, quod sit actio (seu omissio) libera moraliter bona* (331. 329.).

II. *Vt obligatio sit vera, requiritur, ut tam potestas physica et moralis obligandi* (332.), *quam ipsa voluntas, tam perfecte, et tam graviter obligandi, quantum actu creditur, re ipsa detur in obligante.*

\* *Etiam obligatio logice falsa est obligatio metaphysice vera; quia tota obligationis passivae notio generica ipsi convenit* (331.); proinde obligatio in veram et falsam, seu existimatam, recte dividitur. At *iniusta obligatio*, quam vocant, per se obligatio simpliciter non est, nisi per errorem *iusta* putetur: fecus dicere deberemus, viatorem a praedone vere obligari ad extradendas ei pecunias, quas iste petit metu mortis intentato.

§. II. DE

§. II. DE NOTIONE LEGIS, ALIISQVE EIDEM  
CONNEXIS.

339.

*Lex moralis* est regula morum (3.), superioris iussu pluribus communiter praescripta; five ad quam in agendo observandam plures simul perfecte obligantur. Si uni solum praescripta sit, *praecceptum* vulgo appellatur. *Lex affirmativa* est, quae actionem, *negativa*, quae omissionem regulae conformem praescribit; illa vulgo *praecipiens*, haec *prohibens* appellatur. Dividitur item *lex* in *veram*, et *falsam*, seu existimatam, eo sensu, quo ipsa obligatio (337.). Eadem est *divisio praeccepti*.

\* Non datur tertia species legis inter praecipientem et prohibentem: quia obligatio non nisi in actionem vel omissionem cadere potest. *Lex permittens* ergo, quam vulgo sic vocant, lex non est respectu eius, cui actionem vel omissionem permittit: respectu aliorum vero eadem lex prohibens est, quibus nempe actionis permissae impeditio vetat.

340.

I. In legis praescriptione itaque plures actus ex parte superioris, unam actionem compositam determinantes, conveniunt; nimirum ex parte intellectus 1.) iudicium distinctum de bonitate positiva moralis actionis, vel omissionis liberae, subdito praescribendae, id est, ipsa regula morum praescribenda (3. 309. II.); 2.) consilium, seu iudicium certum, quod iussus, quo regula praescribitur, seu actio obligans, sit actio simpliciter bona, seu quod deceat, superiorem velle hanc talem actionem, vel omissionem, iussu aliquo praescribere subdito suo (327. et 187.); secus enim non potest dari potestas moralis iubendi, nec obligatio activa (328. n. 2. et 329.): deinde

inde ex parte voluntatis; 1.) voluntas actualis efficax, ut actio a subdito fiat, vel omissio; 2.) voluntatis efficax decretum, quo refractario poenas certo infligendas decernat; 3.) voluntas efficax utramque priorem istam voluntatem suam subdito cum certitudine intimandi; 4.) iussus, seu certa actualis significatio illius utiusque suae voluntatis facta subdito, coniuncta cum intimatione certa suae ad hoc potestatis physicae et moralis: siquidem sine primis illis duobus actibus voluntatis iussus non esset logice verus; nec proinde vera connexio motivorum novorum cum agendi libertate, nec vera obligatio daretur (327. 330.): sine tertio iussus idem non existeret, nec sine iussu effectus, id est, obligatio passiva (333. 334.).

341.

*II. Ex parte subditi in legis praescriptione, seu effectus necessario connexi, interveniunt; 1.) certa cognitio potestatis physicae et moralis iubendi, superiori competentis; 2.) certa cognitio actualis efficacis voluntatis eiusdem, tum qua velit ille hoc a se fieri, vel omitti; 3.) tum qua serio decreverit poenas refractario infligere.* His enim in cognitionibus motiva consistunt, ex quorum connexione seu coexistentia cum agendi libertate obligatio passiva exoritur (329. 334.).

342.

*Omnes actus (340.) ex parte superioris legem praescribentis recensiti pertinent ad essentiam legis, excepto ultimo, videlicet iussu actuali, qui solum est attributum.* Omnes enim et singuli illi actus ita sunt primum, quod in lege concipitur, ut sine eorum singulis lex non concipiatur (quod ex rationibus loc.cit. additis patet), nec ullus illorum sit ratio sufficiens

ciens alterius, excepto iussu, qui, ceu actio externa, a priori determinatur per actualem voluntatem iubendi, tertio loco inter actus voluntatis positam; atque idcirco recte attributum legis vocatur.

\* Interim *actus intellectus* praefati pertinent ad legem, ut est regula ipsamet recta; *actus voluntatis*, ut est regula obligans, ut actiones liberae sibi conformentur.

## 343.

*Lex moralis obiectiva* dicitur, prout, ceu obiectum cognitionis subditi (341.), reipsa existit in superiore (340.); ac proinde absolvitur actibus loc. cit. recensitis. *Lex moralis subiectiva* est, prout existit per cognitionem in subdito, seu est ipsa cognitio subditi, pro obiecto habens legem obiectivam, et continetur actibus (341.) enumeratis.

## 344.

I. *Lex subiectiva est effectus necessarius legis obiectivae actu existentis* (praec. 341. 340.). Est enim effectus necessarius iussus superioris, qui est attributum legis essentiale (342.).

II. *Lex obiectiva complectitur obligationem activam, lex autem subiectiva est ipsa obligatio passiva* (329.).

III. *Vnde omnis legis obiectivae talis effectus necessarius est obligatio actualis passiva plurimum subditorum in communi.*

\* Nulla itaque existit lex, cui respondeat tantum *obligatio in actu primo*, nec vox ista rem possibilem denotat, nisi per eam intelligas legem nondum absolute existentem, sed solum extituram, si existeret certa conditio. Sed hoc ipso obligatio in actu primo non erit obligatio absolute existens. Ex adverso lex  
omnis

omnis absolute existens, uti omnibus actibus suis (340.) enumeratis completa esse debet, ceu ad essentialia eius pertinentibus; ita, ceu causa efficiens completa, sine suo necessario effectu esse non potest,

345.

*Promulgatio legis activa* est ipse voluntarius iussus superioris (340. n. 4.): huius autem effectus necessarius, seu ipsa lex subiectiva (344. I.), seu notitia legis obiectivae, *promulgatio passiva* recte appellatur.

346.

*I. Promulgatio activa est attributum essentialiale legis obiectivae actu existentis* (342.): quae sine passiva promulgatione, ceu effectu suo necessario, existere non potest (praec. 344.).

*II. Leges, cum actu obligant, iis, quos obligant, ignotae esse non possunt.* Legis enim obiectivae actu existentis effectus necessarius est obligatio passiva, id est, ipsa promulgatio passiva. (344. III. 345.)

\* Quod thesis ista, applicata ad promulgationem legis humanae, non nullos offendat, inde est, quod videant, in foro externo post promulgationem, in loco quodam ad hoc praefixo semel publice factam, leges humanas pro iam universe constitutis, et omnes subditos eisdem obligatos haberi, etsi saepe ea ratione notitia ad singulos reipsa non pervenerit. Notandum vero, etiam in foro externo sicuti notitiam eo pacto delatam, ita omnium obligationem supponi solummodo, tam diu videlicet, donec oppositum rite probetur; eo quod vulgo non nisi ignorantia affectata, aut ficta, locum habere videatur. Probatio vero ignorantiae inculpabilis idcirco exigitur externa, quia ad interna humanus oculus non attingit. Nec vero potestas humana, universe nimis quam limitata, id omne semper obtinet, quod vult; ac proinde Princeps terrenus, etsi velit obligare omnes, tamen effectum istum

istum quoad omnes subditos non semper actu assequitur; seu quod potestas physica deficiat, seu quod operae pretium esse non videatur, tantum sibi negotium sumere, quanto opus esset, ut obligatio actu ad singulos pertingeret.

## 347.

*Legislator est, qui legis existentiam determinat; supremus legislator, qui secundum exercitium potestatis obligandi, seu ferendi leges, nulli superiori subest.*

*I. Omnis superior plurium subditorum, eadem ratione sibi subiectorum, potestate ferendi leges gaudet;*

*II. Et qui ista gaudet, ceu superior, plures, eadem ratione sibi subiectos, habet.*

## 348.

*Lex omnis vere existens suas habet rationes sufficientes, tum possibilitatis, tum existentiae, id est, ex quibus intelligitur, cur sit possibilis, et cur actu existat: nihil enim omnino est sine ratione sufficiente.*

## 349.

*I. Quoniam lex est regula morum perfecte obligans (339.), rationes sufficientes dari debent legis, tum quatenus regula est, tum quatenus obligat, tum quatenus perfecte obligat; et quidem tam possibilitatis, quam existentiae.*

*II. Ratio sufficiens possibilitatis legis, quatenus est regula morum, est ipsa rectitudo, seu aptitudo actionis, vel omissionis, ad finem aliquem bonum. Regula morum enim est iudicium, istam aptitudinem, seu rectitudinem, ac bonitatem moralem enuntians (3. 209.); quae proin vera esse non posset, nisi actio ipsa (vel omissio) libera secundum se reipsa, recta*

recta esset, seu apta ad finem aliquem bonum; prout enuntiat regula.

*III. Ratio sufficiens possibilitatis legis, quatenus obligationem importat, eamque perfectam, ac tantam praecise, est tum necessitas, tum sufficientia; ipsius obligationis praecise talis ac tantae, ad actionem ipsam (vel omissionem) moraliter bonam, a subiecto agente libero consequendam. Nisi enim sufficiens esset obligatio ad hunc finem, utilitatem seu sufficientem aptitudinem in ratione medii ad suum finem non haberet; nec proin ipsa esset recta, nec cum morali potestate imponi posset: si non esset necessaria; rursus deficeret potestas moralis ad iustum edendum (330.), quo obligatio ipsa imponitur.*

\* Enimvero rationes possibilitatis legis sunt motiva sufficientia ad hoc, ut legislator sapienter et recte moveatur ad ferendam legem, perfecte et tam graviter praecise obligantem omnes subditos. Atqui motiva ista sunt tam aptitudo actionis (vel omissionis) ad commune bonum, quam necessitas legis, et praecise tantae obligationis, ad eam actionem tam utilem communiter a subditis obtinendam. Obligare ad actiones inutiles, aut obligare gravius, quam necesse est, utrumque cum recitudine morali legislatoris pugnat.

350.

*Actionis (vel omissionis) liberae aptitudo ad bonum finem, vi cuius ea in morum regulam praescribi potest (praec. II.), per ipsam qualitatem individuaalem atque determinationes intrinsecas eiusdem determinatur (291.). Est enim ipsa rectitudo actionis (vel omissionis) liberae, seu consensus cum bono fine.*

351.

*Necessitas obligationis legalis simpliciter talis (seu perfectae) determinari potest vel per indispositionem*  
Stattler Eth. christ. univers. U inna-



*innatam appetitui liberò subditorum relate ad actionem liberam (vel omissionem), lege praescribendam, vel per pravam habitum ei positive contrarium, usque malo libertatis, ab eis per accidens contradum; quapropter externis stimulis novisque motivis, iussu legali ingerendis, opus sit, ut ad exercitium liberum eius actionis (vel omissionis) permoveantur.*

352.

*Necessitas vero huius praecise tam gravis obligationis partim determinatur per easdem rationes (praec.); partim vero etiam ex ipsa aestimatione finis, a legislatore intenti, et necessitate actionis, lege praescribendae, eiusque ad promovendum eundem finem, vel impediendum, momento seu aptitudine maiore, vel minore. Motivum enim legis gravis iniungendae non potest esse, nisi gravitas finis, et momentum aptitudinis, vel impedimenti, quod inest actioni liberae (vel omissioni), lege praescribendae, relate ad eundem finem promovendum, vel impediendum (336.); nec decet benignum legislatorem, graviore obligatione, id est, maiore molestia, premere subditos, nisi et bonum, cuius causa id facit, eo sit maius, et maior quoque exinde illius consequendi spes, vel metus, ex diverso momento actionis, lege praescribendae, aut vetandae, appareat (330.).*

\* Quae de ratione legum vulgo post III. Wolfium docent, perquam esse imperfecta et manca, facile ex ex huc usque dictis patebit illorum peritis. Solas rationes legem finales, *regulae* morum tenorem, seu actionis intrinsecam qualitatem, ceu medium, determinantes (304. Ontol.) vulgo attingunt, omisis iis, quae *obligationis*, *regulae* apponendae, proprium motivum sunt. Sed lubet magis aedificare, quam in diruendo alieno aedificio inutiliter elaborare. Rerum intelligentes, utro cognoscent, quis propius rem attigerit.

353. Ra-

353.

*Rationes sufficientes existentiae legis sunt Sapientia, Sanctitas, Bonitas, Iustitia, et Potentia Legislatoris.* Vt enim regula morum plures in communi actu perfecte obliget, id est, ut et regula morum sit, et obligatio perfecta, eaque determinata, gravis, vel levis, plurium ad eandem actionem liberam (seu omissionem), bono alicui fini promovendo aptam; seu ut lex aliqua determinata (339. 329.) existat; opus est, ut obligare volens, *primo* finis ipsius bonitatem omnem, huiusque valorem iuxta, atque aptitudinem medi ad eundem, id est, actionis liberae (vel omissionis) praescribendae bonitatem moralem intrinsecam, seu cum eo fine convenientiam, itemque obligationis determinatae imponendae (ceu medi remoti) sufficientiam et necessitatem omnem ad eam actionem liberam, in praesens consequendam a subditis, distincte perspectam habeat; ut sic ad eam actu imponendam cum vera morali potestate progredi valeat. Atqui scire fines optimos et media omnia meliora, proxima, et remota, horumque subordinationis recta consilia suggerere, *Sapientiae* proprium est (531. Theol. Nat.). *Deinde* opus est constanti rectitudine liberae voluntatis in legislatore, vi cuius tam in bono quovis atque optimo fine efficaciter intendendo, quam in utendis aptioribus ad illum mediis, sapientiae verae consiliis sese conformare semper paratus ac promptus sit; quod ad *Sanctitatem*, seu voluntatis ut rectitudinem pertinet (539. 542. *ibid.*). *Post haec*, moralis rectitudo in obligatione ipsa imponenda sibi perfecte constet; oportet, tam esse benevola in subditos voluntate, ut ultra necessitatem nihil molestiae gravioris eis imponat: et nihilominus: praevalente studio boni maioris communis contra

U 2

studium

studium boni minoris privati ac exposcente id totum necessitate, molestia quadam certa ac definita premi permittat eos, qui aliter ad communis maioris boni sincerum studium ob liberae voluntatis indispositionem quamdam (351.) revoeari non posse praevidentur: atqui *primum* illud merae benevolentiae genus ad *Bonitatem*, seu benignitatem; *alterum*, ceu quoddam genus temperamenti bonitatis, ad *Iustitiam* spectat (208. item 545. et 598. Theol. Nat.). Denique, ut effectum sapiens, sancta, bona, et iusta, voluntas legislatoris sortiatur; per se evidens est, opus esse efficacia, et potestate disponendi perfecte tum de ipsa libertate hominis per actualem certam significationem seriae suae voluntatis, qua velit istius obsequium iuxta, ac negatae obedientiae poenas; tum de ipsis poenis in casu repugnantiae actu irrogandis: quod utique ad *Potentiam* pertinet (491. Theol. Nat.). Itaque rationes sufficientes existentiae legis etc. etc.

## 354.

I. *Actio (vel omissio), quae non est simpliciter bona moraliter, lege vera praescribi non potest. Patet ex 349. II.*

II. *Actio (vel omissio) etiam non necessaria ad finem, decentur a legislatore intentum, modo utilis ad eundem certius, vel perfectius, consequendum sit, recte lege praescribitur; si quidem ob rationes (351.) expressas necessaria esse perfecta legis obligatio praevideatur ad actionem illam a subditis obtinendam. Patet ex loc. cit.*

III. *Lex eo gravior per se locum habet, quo aestimabilior finis est, cuius medium est actio (vel omissio) lege praescribenda; quo maior istius ad illum necessitas;*

cessitas; quove maior eiusdem ad finem promovendum aptitudo. Patet ex 352.

IV. *Ex adverso lex vera non nisi eo levior locum habet, quo finis, a legislatore intentus, minus aestimabilis, quo minus ad eum est necessaria actio (vel omis- sio), lege praescribenda; et quo minor huius ad illum utilitas vel aptitudo. (loc. cit.).*

V. *Non nisi actiones vel omissiones liberae lege praescribi possunt: non enim, nisi istae ad mores pertinent; ac proinde legis seu regulae morum capaces sunt.*

VI. *Lege nulli quid impossibile praecipere potest, seu absolute tale, seu respectu ipsius: quia talium omisio libera non est, sed physice saltem neces- saria.*

VII. *Qui lege obligatur ad finem absolute, etiam obligatur lege ad usum mediorum, fini illi conse- quendo necessarium, quoad in eius libera est potestate. Non enim obligatur ad finem, nisi quoad hic illi libere possibilis est (VI.): atqui non est illi, nisi per media possibilis, quae et quoad sunt in eius libera potestate. Ergo etc. etc.*

355.

*Lex necessaria est, quae et quatenus necessa- rie existit, seu quatenus eius rationes sufficientes existentiae omnes necessariae sunt; lex contingens, quae non necessarie existit etc.*

*Leges necessariae obligatio necessaria; legis con- tingentis obligatio contingens est.*

356.

*Lex moralis naturalis est, cuius rationes suf- ficientes omnes in ipsa natura legislatoris, liber-*

U 3 tatis

tatis naturalis subditorum, et ipsius actionis, continentur; seu quae ipso lumine rationis naturalis innotescit.

\* Conceptum legis naturalis, ab Ill. Wolfio praeformatum, et passim apud eius recentiores asseclas receptum, non moror; quippe quem iam in Theol. Nat. 670. et seqq. refutavi. Profecto secundum eius conceptum lex divina, sub poenis aeternis vetans actiones intrinsece malas, esset *positiva et arbitraria*; quia a voluntate DEI repetitur, insuperhabito eo, quod sit necessaria, et in ipsa DEI, libertatis humanae, et actionum illarum natura fundata. Vide item a me dicta Theol. Nat. 420. not.

\*\* Kantiana figmenta de natura legis moralis refutata abunde invenies tum in dem Anbange zum Anti-Kant, tum in der allgemeinen kathol. christl. Sittenlehre im siebenten Unterrichte des ersten Theiles.

### §. III. DE EXISTENTIA LEGVM, CONSILIORVM AC IVRIVM NATVRALIVM.

357.

*Quoties homini moraliter certo constat de theologica obiectiva bonitate alicuius liberae actionis, simulque de eius necessitate ad finem ultimum, seu de malitia positiva morali theologica obiectiva omissionis eiusdem actus; toties DEVS, ceu supremus omnium hominum Superior et Legislator, virtute infinitae sapientiae, sanctitatis, bonitatis, et iustitiae suae, proque omnipotentia potestatis suae in omnem humanam libertatem, necessitate tenetur ad significandam cum omni morali certitudine eidem homini suam seriam et efficacem voluntatem, qua velit, talem actionem ab eo committi, eidemque refractario intentare positivae aeternae infelicitatis poenas. 2.) In hypothesi, in qua homini constat moraliter certo de theologica obiectiva malitia alicuius liberae actionis, item DEVS simili*

*cum*

*cum efficacia, et certitudine, et eiusdem poenae interminatione significare debet suam voluntatem, qua illam actionem velit ab eo omitti. 3.) Quodsi omiffionum vel actionum liberarum tantum levis theologica obiectiva malitia ab homine cognoscatur, DEVS voluntatem suam de eisdem cavendis tantum sub levis ac temporanae poenae, in hac vel altera vita luendae, interminatione significare tenetur. Vult enim DEVS seria, et efficaci, ac necessaria voluntate in omni ista triplici hypothefi mediis istis; ceu mere moralibus, atque unice fufficientibus, promovere bonum ufum libertatis per actiones bonas commiffas; et malas omiffas: quatenus fcilicet pro fua Sapientia et finem ultimum omnium optimum, id est, beatitudinem, per merita moralia, ex certa eius intentione pofita, confequendum, et media unice apta et necessaria ad hunc effe haec ipfa merita necessario cognofcit; quatenus item ob innatam humanae libertatis naturalis indifpofitionem, et moralem neceffitatem ad oppofitum, haec ipfa media, id est, interminationem poenae aeternae, vel temporalis, in dicta triplici hypothefi cum omni determinata gravitate fua effe neceffaria cognofcit (161. 164. 165. II. III. 132. 195. 198. 207.): quatenus deinde pro fua infinita Sanctitate, feu mentis rectitudine, neceffario vult tum ipfum finem, tum media praedicta, prout ea velle fe decere ex fapientiae confilio cognofcit (165. I. 177. I. 196. 199. 188.): quatenus praeterea quidem ex infinita Bonitate fua, cum poenae temporales ratione levium culparum impediendarum fufficiunt, maiores poenas non intentat; et nihilominus vi eiusdem Bonitatis, qua fummo communi bono prae bono privato intendit, cum Iuftitia aequae infinita decernit, eos, qui deftinata malitia fummo illi bono communi*

refragantur, molesto quidem intentatae poenae competentis, sed plane necessario stimulo nolentes compellere (319. 320. 321.). Atqui non vellet istud totum ferio, et prout Sapiencia infinita decere suggerit, nisi actu omnem istam voluntatem suam cum certitudine significaret: si quidem motiva non cognita mediis moralis rationem omnino non haberent; incerta autem solummodo, ac dubia cognitione apprehensa, non haberent saltem rationem mediis moralis sufficientis (153. 328. V.), si spectentur praesertim relate ad necessitatem moralem, qua libertas naturalis natura sua a bono ad malum morale abstrahitur (132.). Ergo DEVS necessitate tenetur etc. etc.

## 358.

*DEVS legibus necessariis et naturalibus praecipit omnes actus formaliter theologicis bonos, quorum necessitas ad finem ultimum actu ab homine libero cognoscitur; 2.) et legibus similibus prohibet omnes actus formaliter theologicis malos; 3.) et quidem obligatione nunc gravi, nunc levi, pro magnitudine necessitatis illorum ad finem; et malitiae istorum. Actus enim formaliter theologicis boni et mali sunt, quorum bonitas et malitia obiectiva theologica actu cognoscitur, dum committuntur (305.). Atqui respectu istorum sub hypothesei proposita in Deo dantur omnes actus intellectus et voluntatis, ad legem (240.) requisiti, ut patet ex praec. et 319. 320. 321.; et quidem determinantes legem subiectivam (341.), seu obligationem passivam gravem, aut levem, pro magnitudine malitiae actionum, aut necessitatis ad finem ultimum (praec. n. 3. et 320. 321.). Ergo imprimis dantur leges divinae praedictae. 2.) Eaedem sunt necessariae sub*

sub hypothese libertatis humanae actu existentis ad eos committendos, et actualis cognitionis bonitatis, vel malitiae theologicae obiectivae; quia in dicta hypothese DEVS vi sapientiae, sanctitatis, bonitatis, et iustitiae suae, necessario vult, et pro infinita potentia potest significare actu suam voluntatem active obligantem (praec.); ac proinde in dicta hypothese omnes rationes sufficientes existentiae necessariae in DEO insunt. Atqui actus theologice formaliter boni vel mali dictam conditionem libertatis et cognitionis in conceptu suo iam important (305.). Ergo leges illae divinae actu *necessariae sunt* (355.). 3.) Denique legum illarum rationes omnes sufficientes possibilitatis insunt in qualitate ipsarum actionum, seu istarum intrinseca malitia obiectiva formali theologica (siquidem et ipsa formalitas istius malitiae ad intrinsecam determinationem obiectivam earum pertinet (308.)), et in ipsa natura libertatis humanae, quae ob naturalem indispositionem (seu ob naturalem necessitatem moralem ad malum) indiget hoc medio ac tota gravitate istarum legum (195. 198. 206.); rationes vero existentiae omnes, suppositis his rationibus possibilitatis, actu a priori existentibus, insunt in ipsa natura DEI, eiusque sapientia, sanctitate, iustitia, et potentia etc. Ergo leges istae *sunt naturales* (356.).

\* Porro quod primum istius thesisi membrum attinet, evidens est, aliquos actus formaliter theologice bonos omnibus hominibus necessarios esse tum indeterminate, tum in specie: *indeterminate* aliqui necessarii sunt; quia secus merito theologico omnis homo careret, quod tamen in praesens est medium ad finem ultimum necessarium: *determinate* necessarii sunt, sine quibus, in specie positus, homo delaberetur in actiones positive malas, et DEI lege prohibitas.



395.

*DEVS lege affirmativa naturali ac necessaria non praecipit omnes eas actiones liberas theologice formaliter bonas, quae ad finem ultimum, seu consensum status mentis interni, cum eodem conservandum, necessariae non sunt. Patet hoc iam quidem evidenter ex dictis 322., applicatis ad notionem legis (339.), et quidem necessariae ac naturalis (355. 356.). Sed pone nihilominus, DEVM lege naturali omnes praecipere: quaero; an omnes omni tempore, et omnibus hominibus praecipiat: an vero quovis tempore determinato aliquam, eamque determinatam; vel solum indeterminatam; item hanc uni, alteri aliam. Non potest primo omnes omni tempore, deinde nec omnes omnibus tempore seu eodem, seu diverso, committendas praecipere: primum enim evidenter impossibile; alterum non minus impossibile esse constat abunde a posteriori; quia vel tolleretur omnem diversitatem statuum et conditionis hominum, quos constat parere diversas obligationes positivas, aliis statibus non communes, g. g. statum Doctoris, Medici, Advocati, Militis, Famuli etc. etc.; vel sequeretur, obligationes positivas cuiusque status cunctis aliis statibus et conditionibus hominum libere electis esse communes. Neque potest tertio quovis determinato tempore cuivis homini praecipere aliquam determinatam, nempe hanc uni, alteri aliam: quod si enim hoc ita esset; deberet esse aliqua ratio sufficiens necessaria, quae aliam legem naturalem positivam determinatam pro diversis hominibus determinato quovis tempore determinaret; cum lex omnis necessaria et naturalis rationes sufficientes necessarias (355.), et lex quaevis determinatas rationes sufficientes, habere debeat. At qui*

qui talis ratio sufficiens necessaria *nec* se offert ex parte essentiae specificae, hominibus omnibus communis, et eiusdem in omnibus; quia secus, ubi ratio sufficiens eadem, idem quoque ratiatum et eadem omnium obligatio positiva eodem quovis tempore futura esset: *neque* ex parte discriminum individuantium essentialium cuique homini; quia ista a nobis non cognoscuntur; nec proinde ex eis, ceu ratione sufficiente diversa, diversitas legum quemque obligantium colligi posset: *neque* ex parte discriminum quorumcunque accidentalium, cuiusque hominis priorum; quia ista vulgo non efficiunt, ut una actio bona determinate et hoc determinato tempore praecise facta, necessaria sit ad finem ultimum prae alia; ac proinde non determinant legem affirmativam determinatam, seu hanc determinate actionem bonam hoc determinato tempore praecipientem (358. n. 1.): secus profecto nulla esset libera electio tum status totius vitae, tum inter bona opera diversa; siquidem tum illius, tum cuiusvis istorum in specie et individuo, obligatio determinaretur per aliquod discrimen individuale personae, seu libere ab ea determinatum (id est, seu ex observatione, seu ex transgressione legis alicuius praecedentis), seu omnino non liberum, e. g. in prima legis obligatione, quae post primum sufficientem rationis usum inciperet. *Itaque nihil superest, nisi ut cuivis homini pro quovis tempore praecipiat aliquam actionem bonam indeterminate, id est, prohibeat omnem malam, et praecipiat hoc ipso aliquam, aliquo pacto, quocunque demum, vere et simpliciter etiam in individuo bonam; siquidem, quae sola inter malam simpliciter, et simpliciter bonam in individuo media esse posse videtur, nempe actio in individuo inutilis (293. 294. II.),*  
ceu

ceu carens omni rectitudine, ac dedecens creaturam rationalem, DEI lege item prohiberi infra (372.) independenter ab isthic dictis demonstrabitur. Iam vero hoc semel pro evidenti assumpto, evidens quocunque est, non quamlibet actionem theologice formaliter bonam, neque in praesens, neque toto etiam spectato vitae tempore, praecipui cuique homini divina lege naturali: siquidem evidens est, non quamlibet cuilibet homini aliquo vitae tempore sic esse necessariam, ut sine ea simpliciter bene agere, etiam formaliter theologice, non possit. Ergo &c. &c.

\* Atque hinc est illud Philosophiae moralis axioma, *leges negativae naturales obligare pro semper, non item affirmativas.* Cum enim ad finem ultimum, bonumque cum eo mentis consensum conservandum, universe et absolute, ac citra ullam hypothesin particularem, necessarium sit vitare quamcunque cuiuslibet speciei actionem malam: idcirco lege DEI naturali necessaria omnis mala actio, omni tempore, et omni homini, quae talis, prohibetur. Ex adverso cum ad eundem finem quaevis bona actio, quovis tempore, et in omni homine necessaria non sit, imo nec in omni homine diverso tempore: idcirco non omnis bona actio omni tempore, nec omni homini aliquo vitae tempore DEI lege naturali praecipitur. Et tamen *ex eo, quod DEUS lege naturali omni tempore omnem malam actionem prohibeat, sequatur necessario, quod idem lege naturali praecipiat omni tempore omni homini, ut bene agat quocunque pacto, nec otietur, aut inutilia agat; siquidem inter bonam et malam simpliciter etiam in individuo non nisi otiosa seu inutilis actio media est: tamen non sequitur, quod quamlibet determinatam cuilibet homini actionem bonam naturali lege praecipiat.* Iam vero in isto principio tam evidente omne fundamentum Catholicae mox tradendae doctrinae de existentia verorum consiliorum ad meliores et optimas quasque actiones invitantis DEI, nec tamen severa lege ad eas cogentis, continetur; quam iam pari evidentia continuo ex isto fundamento demonstrabimus.

*DEUS* lege naturali ac necessaria non praecipit, ut semper agamus libere, quod esse optimum ex iis omnibus actionibus theologice formaliter bonis cognoscimus, quae in libera nostra sunt potestate; attamen ad istud praemium alterius vitae maioribus promissis nos invitat: ac proinde dantur reipsa quaedam *DEI* consilia in sensu vulgo a Catholicis Doctoribus asserto; quae videlicet differant a lege praecipiente quacunque, solumque maioribus promissis alterius vitae praemiis ad ea, quae meliora sunt in humanis actionibus liberis, proxime possibilis, invitent. Primum sic demonstro. Non omnes actiones formaliter theologice bonae, id est, quae actu, ut tales, possibiles nobis sunt, quovis tempore, nec ex pluribus earum, aliqua determinata nobis *DEI* lege determinato quoque tempore praecepta est; sed tantum, ut actiones formaliter theologice bonas, ad finem ultimum necessarias, iis temporibus, et toties, suscipiamus, quibus, ac quoties sunt necessariae; item ut nunquam male simpliciter, sed semper, quoties aliquid libere et humano modo agimus (286.), aliquid boni simpliciter agamus (praec. not.). Iam vero eo ipso, quod saepe non aliquod determinatum ex pluribus, nobis proxime possibilibus etiam Theologice formaliter bonis operibus nobis lege *DEI* praeceptum sit, fieri potest, ut ex istis diversis, formaliter theologice bonis actionibus, nobis aequè possibilibus, quorum nullum praecipitur, cognoscatur a nobis unum fore obiective fundamentaliter melius altero, ex. gr. eleemosyna liberalior prae minus liberali extra casum magnae necessitatis &c. &c. Atqui in tali casu *DEUS* evidenter consilio suo, et promissis maioribus alterius vitae prae-

praemiis, solum ad id, quod melius esse novimus, invitat (322. n. 2.); quin ullatenus praecipiat se- vera lege, aut prohibeat agere, quod minus esse bonum cognoscimus: siquidem, cum neutrum per hypothefin sit praeceptum, dum libere agimus, quod minus bonum esse videmus, meliore omisso, adhuc simpliciter bene agimus; nec in eo quid- quam a rectitudine positive, sed negative solum, deficimus; quatenus actionem in individuo com- mittimus, qua positive crescit status perfectionis mentis nostrae; etsi magis is cresceret, si melio- rem eligeremus (293. 2.): *quod primum*. Iam verò ex isto *alterum*, vi solius notionis Catholicae vulgaris, ultro evidenterque consequitur.

\* *Scriptura Sacra discrimen istud consiliorum a lo- gibus divinis pluribus in locis aperte quoque insinuat.*

a) Locus omnium maxime manifestus est Matth. XIX. 16. *Ecce unus accedens ait illi (Christo Do- mino): Magister bone! quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? Qui dicit ei: -- Si vis ad vitam ingre- di, serva mandata. Ecce! primo de necessariis illum instruit, sine quibus ad vitam aeternam non datur in- gressus; atque ista insinuat consistere in observatione legum, seu mandatorum. Dicit vero illi adolescens: Omnia haec custodivi a iuventute mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi IESUS: Si vis perfectus esse; vade, vende, quae habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in caelo: et veni, sequere me. Ecce! iam non de necessi- tate loquitur, quae fit, ut sine isto vitam aeternam adolescens per se ingredi non possit; sed de perfectio- ne maiore libera: Si vis, si perfectus esse vis; non in- tentat iacturam vitae aeternae nolenti, sed volenti ostentat maiora in caelis parata praemia: Habebis the- saurum in caelo. Non me latent ineptiae Calvini et aliorum, hunc locum in alia quaeque trahentium; quas abunde pridem Bellarminus Lib. II. de Monachis Cap. IX. aliique refutarunt. Sufficit cunctis alienis sensibus refutandis evidentia rationis, qua constat, sua omnia vendere, ut quis Christum Dominum propius studio*

studio perfectionis totius Christianae imitetur, non esse lege naturae praeceptum; esse tamen evidenter aliquid melius dominio proprio divitiarum, innumeris curis animum distrahente, et revocante a liberiore studio altioris perfectionis. Cum itaque verba Christi ex modo enuntiandi legem naturalem per se non innuant; quidni, convenienter evidenti rationi, ea de mero consilio intelligamus? Quod autem loc. cit. tantum agatur de casu, quo proprietates bonorum huius vitae in collisionem veniat cum professione religionis et fidei Christianae, ut in Martyribus; quemadmodum vult D. Fridericus Meier Berolinensis in Phil. Pract. Univ. 189. non sine sarcasmo illudens universo statui perfectionis religiosae apud Catholicos tam venerabili: id non solum novum est, et ante hunc scriptorem inauditum, sed mirum in Philosopho Morali Christiano; quippe qui ignoret, quantum emolumentum et administriculum afferat ad liberiores cultum perfectionis, cum dominio privato omnem curam temporalium abiecit. Qui in rebus tam sanctis rident Catholicos, hos ego non risu, sed commiseratione sincera prosequendos existimo. Mitius de religiosorum hominum paupertate, et, licet non omnino praecise, humaniter tamen sensit Ill. Christianus Wolfius Iur. Nat. P. II. 129. not., nullibi etiam alias, quod scio, Catholicis, nec Religiosis quidem infestus. b) Alter, ceteris disputationi minus obnoxius, locus est I. Corinth. IX. ubi ab illis verbis: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, manducandi, et bibendi* (impensis Corinthiorum, quibus in sacris ministrabat &c. &c.) late probat S. Paulus, sibi fuisse licitum de Evangelio vivere, sicut Dominus ordinavit, ut inferius dicit; ac proinde spirituales curam Ecclesiae sustinendo convenientem sustentationem a fidelibus accipere. Post quae subdit: *Sed non usi sumus ista potestate*; et addit: *Non autem scripsi haec, ut ita fiant in me* (id est, quasi optem deinceps a Corinthiis congrue sustentari); *bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit &c. &c.* Hic sane duo distinguit, scilicet Evangelizare, et sine stipendio congruae sustentationis accepto Evangelizare: utrumque supponit esse

esse bonum; illud tamen esse necessitatis, quia de illo praeceptum positivum a Christo ipso acceperat; istud priori iunctum multo quidem solo priore melius, at mere suo arbitrio sine lege obligante relictum. Hinc ait, Evangelizare solum non sibi esse specialem gloriam; ex adverso *gloriam* suam, quam *evacuari* nolit, in eo fatetur esse, quod *sine sumtu ponat Evangelium*. Et vero quisquis es, Doctor Christiane! nonne melius te facturum, et maiora relaturum a DEO praemia credis; si, praesertim a bonis fortunae iam satis ad necessitatem instructus, gratis doceas, praesertim minus a fortunae bonis instructos? An vero idcirco lege te ad hoc naturali teneri existimas? Quis caecus, nisi qui in rebus tam apertis, et obviis, caecutit?

\*\* *SS. Patres* citare prudens abstineo, quos in ista re a Catholicis stetisse omnes, nimis quam compertum est, et videre est apud Bellarminum loc. cit. et apud Suarium de Relig. Tr. VII. L. I. Cap. VI. n. 6. et seqq. Praetereo item prudens ea Scripturae loca, in quibus Consilium Virginitatis graphice inculcatur; ne loco non suo non necessarias adhuc controversias misceam. Quaeso! quid de facto Polonicae Principis dicunt isti Philosophi Morales, quod novissimo nuntio 25. Nov. 1772. in Novellis publicis (ex Gellertianis scriptis quidem reipsa excerptam fabulam) legimus. Arteriam illi absciderat imprudens Chirurgus, quem pro aperienda vena vocaverat, vir licet alias artis suae fama conspicuus. Inde necessitas nata ad brachium amputandum: huius vero etiam vulneris curatio tam male successit, ut ei moriendum esset. Prospiciens illa, ex eo casu artificio illi artis suae exercitium vehementer delapsurum, ut erat bonis fortunae locuples, tantum illi testamento legat, ut deinceps sine artis suae exercitio percommode ex censu, in optimo illius defunctae Principis praedio pro se constituto, sustentari posset. Quaero iam, inquam: An lege naturali obligata factum istud tam heroicæ caritatis haec moritura Princeps femina edidit? An divinorum praemiorum spe, aut gratuito DEI amore illecta, quod optimum facere potuit, ex solo consilio fecit?

\*\*\* Op-

\*\*\* *Opponunt* vero 1), nos DEO omnia debere: ergo nihil a lege liberum. *Resp.* Vis dicere: DEUM dignum esse, et mereri a nobis omnia; concedo prorsus: at concedas mihi vicissim velim, DEUM nimis esse bonum, quam ut omnia bene acta, quaecunque in nostra potestate sunt, etiam ad finem ultimum non necessaria, poenis intentatis exigat. Atqui hoc ad legem requiritur. 2) Aiunt, in consilio, quod nos dicimus, intervenire voluntatem DEI: atqui DEI voluntatem legem esse: item non posse contemni talem DEI voluntatem sine DEI offensa et iniuria: ergo eius neglectum fore peccatum, id est, legi divinae contrarium. *Resp.* Voluntatem DEI imperfecte solum obligantem, id est, solum invitantem, non esse legem (327. 339.). Ad ultimum respondebitur infra 408.

361.

*Actiones liberas materialiter bonas, quarum tamen nulla prorsus alia, quam physica bonitas ab agente libero in praesens cognoscitur, ac quae proin nullam habent formalem theologiam bonitatem vel malitiam obiectivam, DEUS nulla lege praecipit, nec prohibet, nec ad eas, qua tales, ullo consilio naturali invitatur.* Nulla enim illis inest ratio seu meriti, seu demeriti theologici (323. 318. IV.), nec proinde positivam aptitudinem ad finem ultimum, in praesens a DEO constitutum, id est, ad beatitudinem, proprio merito theologico morali acquirendam, nec vero etiam positivam cum illo contrarietatem, in se continent. Ergo nec ratio possibilitatis eis inest, ut lege praecipiente a DEO, illum unum finem ultimum intendente, praescribi possint (349. II.); nec earundem omissio rationem possibilitatis continet, vi cuius posset lege divina ipsa praescribi: siquidem et actiones illae per se materialem saltem bonitatem et consensum cum puro bono, seu fine ultimo, habent, et omissio earum hoc tantum boni habere potest, ut scilicet

*Stattler Eth. christ. univers.* X *illa-*



illarum actionum vice meliores actiones, theologica formali bonitate praeditae, locum habere possint. Atqui DEUS lege nos non obligat ad actiones liberas, seu meliores, seu optimas; nisi istae in praesens necessariae sint ad finem ultimum (358. 359. 360.); neque ulla necessitate tenetur, ut aut actiones physice et materialiter iam per se bonas poenae positivae interminatione impediatur, aut reflexionem sensus intimi super bonitate earum theologica (289. n. 6.), ipsamque directam istius intentionem, similis poenae motivo universe promoveat (323.). Denique cum nihilominus omni positiva formali aptitudine ad finem ultimum, a DEO intentum, seu omni ratione meriti moralis theologici careant; hoc ipso etiam evidens est, quod DEUS consilio naturali eiusmodi nec invitare ad eas possit, quo alterius vitae praemium, id est, beatitudinis incrementum, eisdem promittat; siquidem praemii ratio rationem meriti supponit (329.). Ergo actiones liberas materialiter bonas &c. &c.

## 362.

Itaque sive *actiones (vel omissiones) liberas theologice formaliter indifferentes* dicas eas, quae omnis *formalis* theologicae tam bonitatis, quam malitiae expertes sunt; sive eas dicere malis, quae nec divina lege praecipuntur, nec prohibentur, neque demum etiam divino consilio suadentur: *evidens est, dari actiones liberas (vel omissiones) theologice formaliter indifferentes; etsi nullae dentur materialiter indifferentes seu physice, seu theologice (praec. et 307. not.).*

\* Ceterum nullus Catholicorum negat, dari actiones tertio quodam modo indifferentes, videlicet, quae lege

lege nulla Dei vel praecipiantur, vel prohibeantur: siquidem isti omnes consilia vere talia admittunt. Ex adverso A catholici vulgo consilia negant: et praeter ea multi ex illis, nec pauciores ex istis, etiam actiones indifferentes, tam consilii, quam legis, in individuo expertes negant.

\* \* Qui secundum notionem *legis naturalis* Wolfianam solum considerant physicam bonitatem et malitiam, tam materialem, quam formalem; nec ullo pacto curant bonitatem et malitiam theologicam actionum humanarum (300. 305.), earundemque nexum et relationem cum bonis et malis vitae alterius; quique proinde nec alias leges naturae examinant, nisi quibus determinatur felicitas mere materialis vitae praesentis; quibus denique nullum discrimen inter leges et consilia interest (360. not.): illos mirum non est secundum sua principia negare omnem indifferentiam actionum humanarum liberarum; quia revera ad bonitatem et malitiam physicam indifferentia nulla in eis possibilis est. Verum isti advertant, dum sententiam suam adversus Theologos Christianos, maxime Catholicos, acrius defendunt, hisque saepe non sine acerbitate laxitatem opinionis exprobrant; advertant, inquam, quam longe in statu quaestionis ab istis ipsi discrepent. Advertant item, tamentum a parte rei inter opposita (hoc est, inter bonitatem et malitiam materialem, etiam theologicam) praecisio ab utroque locum non habeat (307. not.); eam tamen locum habere in mente humana; quae et a bonitate et a malitia theologica attendenda reflexionem abstrahere, et in sola bonitate physica actionis, seu sufficiente motivo actionis liberae, inhaerere et acquiescere potest.

363.

*I. Actiones liberae theologice formaliter indifferentes, physice tamen et theologice materialiter bonae (307.), ideo a parte rei, in individuo, seu in ipso actuali suo exercitio, theologice formaliter indifferentes sunt, vel quia nulla ad theologicam, sed ad physicam*

*cam solummodo bonitatem reflexio fit, cum actu libere suscipiuntur; vel quia, etsi reflexio fiat ad bonitatem theologiam quoque, tamen ea directe non intenditur, neque actuali, neque virtuali intentione (315. 316. 317.); eo quod nulla menti conscientia occurrat legis divinae, eam directam intentionem praecipientis (323. 361.), atque idcirco ob qualemcunque difficultatem seu reflexionis illius, seu directae intentionis, homo libere agens in sola bonitate physica formaliter intendenda acquiescit.*

*II. Interim eadem specie actio, e. g. ambulatio, quae nunc ob solam physicam bonitatem formaliter suscipitur, et theologice formaliter indifferens est, si modo fieret reflexio ad eius bonitatem theologiam, seu aptitudinem ad finem ultimum (quae in actionibus simpliciter bonis semper aliqua bonitati earum physicae coniuncta est 307. not. 300.); itemque accederet directa intentio istius, seu actualis, seu saltem virtualis; eadem, inquam, specie actio (291.), continuo evaderet theologice formaliter bona in individuo. E. g. si ambulatio attenderetur esse hoc ipso apta ad promovendam beatitudinem alterius vitae, quatenus est apta ad sanitatem conservandam; eo quod sic homo expeditior reddatur ad exercitium virtutum; sique ea aptitudo ambulationis directe pro fine proximo vel actuali, vel virtuali intentione intenderetur; eadem in specie ambulatio, prius mere physice bona et theologice formaliter indifferens, nunc evaderet in individuo, seu vi huius novae accidentaliter determinationis intrinsecae accedentis, reipsa theologice formaliter bona (316. n. 2. 317.); quae sine ista accidentaliter determinatione alias fuerat in individuo theologice formaliter indifferens.*

*III. Dan-*

*III. Dantur itaque actiones specificae, quae indifferentes sunt ad hoc, ut in individuo fiant theologice formaliter indifferentes, vel theologice formaliter bonae; 2.) et tales sunt omnes illae actiones physice et theologice materialiter bonae, quae, quando, et quatenus non sunt necessariae ad conservandum consensum praesentem subiecti liberi cum fine ultimo: siquidem cum reflexione ad solam bonitatem physicam, vel saltem sine directa bonitatis theologicae intentione, peragantur tunc (318. IV.), quando nulla praesens obligatio ad actiones alias theologice formaliter bonas, et ad praedictum finem necessarias, actu urget (358. n. I.).*

\* De alia specificarum actionum indifferentia ad bonitatem et malitiam individuaalem etiam mere materialia iam dictum (294. V. seq.).

*IV. Quoties tamen suscepturo actionem liberam materialiter simpliciter bonam ultro occurrit recordatio seu reflexionis faciendae super theologica bonitate, seu, ista iam cognita, occurrit naturale consilium divinum invitans ad directe intendendam illam bonitatem (359.), ut actio fiat meritoria theologice (318. I.); siquidem eo in casu ob qualemcunque difficultatem ac molestiam omittatur seu praedicta reflexio, seu directa intentio: ommissio ista est moraliter negative mala, et quidem malitia negativa theologice formali; 2.) qua tamen etiam mere negativa formali theologica malitia carent id genus actiones materialiter simpliciter bonae, si nulla prorsus reflexionis, aut directae intentionis praedictae recordatio, seu divini consilii actualis intimatio, menti occurrat.*

364.

Quod n. 1. huius corollarii IV. praec. expressi, id vulgo Theologi *imperfectionem formalem theologiam*

X 3

*gicam* appellant; quae est omiffio libera actionis theologicæ melioris seu partialis seu totius compositæ. I. *Haec porro ipsa gradus suæ malitiæ negativæ habere potest*, vel pro magnitudine boni, in actione neglecti, vel pro facilitate, qua actio libera ad eum gradum bonitatis evehi poterat, vel pro claritate et vehementia internæ intimationis consilii divini moventis ad eam actionem positive formaliter theologicæ bonam libere suscipiendam.

II. Interim ex dictis præc. n. 2. et 362. *evidens est, posse dari actiones liberas theologicæ formaliter tam indifferentes, ut ne imperfectione quidem formali theologica inficiantur.*

\* Dixi in definitione imperfectionis theologicæ, eam esse omiffionem melioris actionis, aut partialis, aut totius compositæ: id est, aut omiffionem solius directæ intentionis, qua in actione ceteroquin bona vel optima, istius bonitas theologica actu intendatur; quæ intentio esset pars totius actionis compositæ ex pluribus determinationibus intrinsicis (291.), ad actionis speciem pertinentibus, et ex ista intentione, ceu determinatione individuali: aut omiffionem totius actionis alicuius in specie, sic, ut ne materiale actionis quidem suscipiatur.

## 365.

Imperfectioni formali theologicæ respondet e diametro *imperfectio formalis physica*, quæ, si mere physica sit, est omiffio libera actionis physice melioris, ad quam in præsens nobis facultatem liberam completam suppetere cognoscimus.

\* Superfedere hac notione possemus, nisi ea apprimè serviret tum ad notionem actionum indifferentium (de quibus 362. 363.), tum insuper et præcipue ad propriam *actionis otiosæ* notionem, oppositione discriminis sui magis illustrandam, de qua mox agendum.

366. I. Im-

*I. Imperfectio formalis mere physica committitur, vel cum actio physice melior, nobis possibilis, ex integro libere omittitur, vel etiam cum actio simpliciter physice materialiter bona atque utilis cum cognitione quidem, sed sine directa intentione, suae bonitatis committitur, ex solo motivo delectationis seu voluptatis, quae in eius continuatione percipitur; quin referatur per voluntatem positive ad finem alium etiam solummodo physice formaliter bonum (314.).*

*II. Hoc ipso tamen, quod talis actio saltem materiali bonitate physica adhuc polleat, et pollere etiam cognoscatur (etsi ea non intendatur), nondum positive physice mala, sed solum physice formaliter imperfecta est: perinde videlicet atque imperfectio formalis theologica, qua omnis intentio directa bonitatis formalis theologicae omittitur, non idcirco per se actionem reddit positive imperfectam (363. IV. n. 1.).*

\* Ex. gr. cibum capis, sanitati et vitae ipsi conservandae aptum, simulque non immoderatum, etsi non omnino necessarium. Consciens materialis physicae bonitatis actionis istius, tamen eam directe non intendis, sed comedis praecise, quia delectat; quin tamen illam directam intentionem verae bonitatis physicae excludas positive: actionem ergo materialiter physice bonam (imo etiam materialiter theologice bonam, quae participatio quaedam sit boni divini increati), et formaliter saltem non positive malam committis, sed solum negative malam, id est, physice imperfectam ob defectum bonitatis formalis directe intentae, non autem infectam positiva malitia formali hoc ipso, quod actio secundum se esse materialiter bona cognoscatur, et nullo pacto cognoscatur esse materialiter positive mala (305.).

*III. Quodsi tamen intentio directa bonitatis physicae positivo actu superaddito excluderetur; cum sic*

*tota actio composita ab istam partialem determinationem superadditam contrarie opponeretur actioni physice meliori, actio eadem fieret positive et simpliciter mala (293.):* siquidem talis exclusio esset directa aversatio boni finis, per eam actionem promovendi.

\* Ex. gr. comestio cibi cetera sani, sed cum exclusione positiva huius aptitudinis ad sanitatem aut vitam conservandam suscepta praecise ob voluptatem, positive mala est, et ordini naturae, etiam mere physice moraliter bono, contraria.

\*\* Iam facile ex huc usque dictis intelliges, *actionem otiosam*, quam vulgo dicimus, secundum conceptum suum vulgarem neque ad meras imperfectiones physicas pertinere; neque ad eas actiones positive intrinsece malas, quae per se et in sua specie tales sunt; quales ex. gr. sunt illae, de quibus in hoc tertio corollario memoratum est: *non ad primas*; quia secus musicus instrumento suo ludens, etiam per unicum solummodo minutum temporis, non ob aliquam utilitatem, sed praecise ob voluptatem ex sua musica capiendam, otiosus dici deberet; idem valeret de Poeta, aut pictore, praecise voluptatis gratia carmina, aut imagines formante; quod est profecto contra sensum communem, quem natura de actione otiosa habemus: *non ad alteras*; quia nec otiosissimus homo in otiosa sua garrulitate intentionem utilitatis, quam iocosum aliquod colloquium per se quoque habere potest, positive excludere vulgo consuevit. Aliiter ergo propria actionis otiosae notio determinanda est, ut sit completa simul ac determinata in sua specie; quod sic exequor.

367.

*Actio otiosa* est actio libera, in specie sua quidem simpliciter bona, attamen in praesens et sub his individuis circumstantiis inutilis, ac materialis etiam omnis bonitatis physicae expers (294. II.).

\* Dixi,

\* Dixi, otiosam actionem in specie sua debere esse simpliciter bonam; quia, si alia peculiari malitiae specie vel circumstantia individua iam per se inficiatur, non ad mere otiosas, sed positive malas in sua specie et individuo actiones referenda est. Ceterum definitio haec sensui recepto vocis apud ipsos SS. Patres Ecclesiae Christianae ex integro est conformis; qui omnes otiosam locutionem vel inutilem vocant, vel superfluum, vel infructuosam, item, quae nemini prodest, nec loquenti, nec audienti, quae ad propositum finem non facit etc. Interim tamen huius notionis tum realitatem, tum discrimen ab omni alia specie actionis malae, non mere otiosae, ostendere oportet, atque docere, quo pacto actio, de se in sua specie non destituta simpliciter omni physica bonitate, in individuo tamen ob circumstantias ei minus convenientes eadem bonitate profus exuatur; quin tamen simul aliam positivam malitiam contrahat, a mera inutilitate distinctam: quod quidem loc. cit. iam ex parte factum; hic tamen porro uberius iuvat evolvere.

368.

*Actio in sua specie quidem simpliciter bona fit otiosa et inutilis, 1.) si usus bonus, quem actio per se habere posset, iam totus aliunde sufficienter praesto sit; quin commissione nova praesente actionis augeatur; quod patet ab exemplo syllabizationis loc. cit. propolito: 2.) si personae, quae effectum bonum actionis subiecti instar recipere in praesens deberent, ad eum recipiendum in praesens sint absolute male dispositae; ut si furdo loquaris: 3.) si locus, vel tempus, vel res ipsae, quae per modum materiae, vel instrumenti, concurrere ad actionem deberent, actioni impedimenta absoluta obiiciant; ut si aquae voces inscribere labores etc.: 4.) si ipsa persona agens facultate sufficiente destituatur e. g.; ad praegrandem rupem loco movendam etc. etc.*

\* Ex ratione primi capituli actiones praecipue, quae vulgo ad non inhonestam mentis et corporis relaxa-



tionem utiles sunt, sola immoderatione temporis, aut nimia frequentia, otiosae et inutiles saepissime fiunt; uti ambulatio, venatio, lusus, iucunda colloquia etc.; quae omnia vulgo post aliquod tempus, sine bono, quem possunt praestare, iam satis obtento, in otiosas actiones transeunt; etsi nulla alia immoderationis, vel inordinationis, species se immisceat.

369.

*I. Actio otiosa differt ab imperfectione formali theologica.* Haec enim committi potest per actionem, physice formaliter in individuo bonam et maxime utilem; quae tamen aut ex mera directa intentione solius bonitatis physicae, neglecta scienter reflexione ad bonitatem theologicam, vel certe istius directa intentione ommissa, suscipitur, aut occasione melioris alterius actionis theologice formaliter bonae committendae contra naturale DEI suadentis consilium libere dimissa (364.).

370.

*II. Actio otiosa differt etiam ab actione formaliter theologice indifferente, quae omnis omnis formalis imperfectionis expers esse potest* (364. II. et 363. IV. n. 2.). Haec enim perinde adhuc physice formaliter bona et utilis in individuo manet. Ut si studiis philosophicis oeconomiae causa praecise intendas, sine ulla immoderatione, vel alterius officii neglectu.

371.

*III. Differt quoque actio otiosa a mera imperfectione physica formali* (365. 366.); sive quae sit mera omissio libera actionis physice melioris ex integro, sive omissio directae intentionis, qua in actione physice simpliciter etiam revera in individuo adhuc per se iam bona et utili materialiter praecise omit-

omittitur libere directa intentio physicae bonitatis, seu ipsius utilitatis physicae: siquidem vi definitionis actio otiosa etiam materiali utilitate, seu bonitate physica, in individuo caret.

\* Discrimina haec, quae in rebus tam manifeste data sunt, in quibus superioris aetatis scriptores vix aliquid satis definiti tradi posse existimasse videntur, sans exemplo servire possunt, quo doceamur, quid notiones metaphysicae, minutius explicatae, gravissimis in quaestionibus prodesse soleant.

372.

*Actio otiosa libere commissa ens omne intellectu praeditum positive dedecet; 2.) ac proinde lege DEI naturali, leviter quidem obligante, prohibetur. Caret enim omni consensu cum eius perfectione essentiali, atque adeo etiam rectitudine negativa destituitur; cum non tantum bono maiori, sed omni bono, opponatur, quippe carens omni bonitate, seu utilitate, etiam mere materiali (1. 2.). Ergo dedecet omne ens rationale (187.). 2.) Dedecet enim DEVM permittere moraliter, nec stimulo aliquo poenae pungentiore urgere servum pigrum, qui libere cessat ab omni etiam materiali cooperatione ad commune bonum et finem ultimum creationis, seu beatitudinem, etiam quoad substantiam solummodo promovendum; et acedia ista genus vitii est, quod solis promissis praemiorum non satis corrigitur, nisi etiam poenis intentatis stimuletur. Ergo ipsa natura actionis, hominis liberi ad otium prona, et DEI Sapientia exigit, ut lege aliqua, ac proinde naturali lege, otiosa actio prohibeatur. 3.) Quoniam tamen nihil omnino boni ad breve tempus agere nondum est grave malum; intra maius autem tempus alioquin aliae peculiare obligationes ad actio-*

actiones, circa media ad finem ultimum necessaria versantes, urgere solent (295.); idcirco obligatio, praecise actiones otiosas vetans, non nisi levis est, ceu respective iam sufficiens (336.).

\* Superest, ut, separatis iam quaestionibus, discrimine aliquo discretis, quaestionem tantis contentionibus disputatam quoque resolvamus, videlicet: an citra interventum alicuius merae otiositatis liceat committere actionem physice quoque ita imperfectam, ut, ommissa intentione directa physicae bonitatis, quae eidem nihilominus adhuc ex natura sua etiam in individuo inest, praecise actio talis suscipiatur ob voluptatem eidem connexam; modo nulla alia positiva inordinatio accedat, e. g. immoderati affectus, effusionis nimiae in voluptatem id genus etc. etc. Qui tenent, id licere, nec DEI lege naturali prohiberi; caute istud et perstudiose admonent. Sic e. g. monent, *gulae* vitium prohibitum committi, siqua in cibo vel potu immoderatio admittatur ex eis, quae sequente versiculo exprimuntur: *Praepropere, laute, nimis, ardentem, studiose*; pariter *vanae complacentiae* labem prohibitam esse, immodico gaudio, seu meritorum gradui non commensurato, seu nimis diu ac saepe, indulgere; rursus immodicam laudationem sui, aut iusto cupidius studium alienae laudis, ad *vanam gloriam* lege prohibitam pertinere; demum *curiositatis vitium* immodica sciendi cupidine incurri. At moderatam ex musica, ex picturae aspectu, ex lectione poematis etc. voluptatem captare sine ulla utilitatis alicuius physicae directa intentione, negant DEI lege prohiberi; etsi fateantur, nos DEI suadente consilio ad perfectiora invitari. Alii ex adverso volunt, nos DEI naturali lege obligari, ut actiones omnes liberas ad finem saltem physice bonum formali directa intentione referamus.

## 373.

*Lege DEI naturali praecipiente obligamur ad constantem habitualement intentionem directam ipsius finis ultimi creationis nostrae promovendi, beatitudinis*

nis nimirum per merita theologica obtinendae; eamque tam efficacem, ut illius, seu intentionis primitivae, virtute non minus constanti habituali derivativa intentione efficaciter velimus adhibere media necessaria, id est, exercere cum relatione formali positiva ad eundem finem, actiones theologice formaliter bonas, quas ad eum finem conservandum absolute necessarias esse cognoverimus, et removeere eiusdem certa impedimenta, id est, omittere cum relatione formali negativa ad eundem finem actiones formaliter theologice malas (310. 315. 312. 314. 358.). 2.) Utraque habitualis haec intentio, primitiva scilicet finis ultimi, et derivativa utendorum mediorum necessariorum et cavendorum impedimentorum, itidem vi legis divinae naturalis tam efficax esse in nobis debet; ut, quamprimum praevisione, seu relatione formali intellectus (314.), cognoscimus relationem materialem particularis actionis alicuius theologice bonae in ratione medii necessarij ad finem creationis ultimum, vel relationem materialem particularis actionis theologice malae in ratione certi impedimenti eiusdem, hac praevisione excitata habitualis illa utraque intentio insuat movendo ad exercendas in individuo actiones formaliter theologice bonas, quae dicto modo necessariae actu cognoscuntur, et ad omittendas formaliter theologice malas, quae certo cognoscuntur fore impedimento fini ultimo. Et enim ad finem ultimum reipsa consequendum, et ad conservandum habitualement nostrae statum cum illo probe consentientem haud sufficere posse, ut expectatis occasionibus actualibus, in quibus necesse est quosdam actus theologice formaliter bonos in specie elicere, aut quosdam malos in specie cavere, praecise tunc actuali praesente intentione illos eliciamus, istos omitamus, sed requiri habitualement dispositionem et praeparationem, ac veluti facilitatem quamdam men-

mentis, continuo facile evigilantis ad omne periculum gravis iacturae finis ultimi, evidenter sequi videtur ex comperta necessitate morali, qua vulgo omnes a bono ad malum morale abstrahimur. Nam *inprimis* ex actionibus theologice formaliter bonis, quae necessariae esse possunt ad periculum certum transgressionis legum divinarum, actus moraliter theologice formaliter malos prohibentium, in occasionibus istorum particularibus quotidie occurrentibus amoliendum, ac proinde ad bonum mentis statum relate ad finem ultimum conservandum prima omnium sine dubio est firmum mentis propositum nullum libere et scienter negligendi medium necessarium conservandae spei ad beatitudinem, et nullum eidem ponendi certum et grave impedimentum, idemque saepius cum efficaci ipsius finis intentione repetitum; quod propositum habitu deinceps perseverans reipsa aliud nihil est, quam ipsa habitualis intentio, de qua nobis hic sermo est. Sine id genus proposito etenim, et absque habituali facilitate quadam comparata mentem in particulari casu quovis inclinandi ad eam liberae electionis partem, quae fini ultimo ac vero ipsius bono consentit, certum semper periculum est, ne ab inordinatis affectibus, et morali necessitate trahentibus, in sinistram partem a iusta reflexione ad legem DEI, et eiusdem transgressionis malitiam, ac utiusque effectus, nimis facile abstrahatur. Atqui actiones theologice formaliter bonas, quae dicto modo necessariae sunt, DEVS lege naturali praecipit (358.). Ergo etc. etc. *Deinde* evidens utique est, cum meritis positivis moralibus theologicis, ceu mediis unice sufficientibus, obtineri ab homine beatitudo vitae alterius in praesente statu sine dubie debeat (165. III.); nullum

lum autem meritum morale theologicum esse possit, nisi actio moraliter theologice bona ex intentione illius finis ultimi per se consequendi peracta fuerit (166.); necesse prorsus esse, ut quam maxime efficax intentio, id est, appetitio, seu desiderium, finis illius ultimi saepius mente concipiatur, ac proinde (cum secus nulla finis intentio primitiva efficax vere sit) eadem intentionem item efficacem derivativam circa usum mediorum et impedimentorum cautelam imperet (312.); denique idem necesse esse, ut haec utraque intentio nunquam contrario actu positivo retractetur. Atqui ista praecisa habitualementem illam intentionem constantem conficiunt, de qua nobis res est: ac proinde rursus illam esse ad finem ultimum necessariam, in aperto est: quae autem actio theologice formaliter bona dicto modo necessaria est, ea lege DEI naturali praecipitur etc. etc.: *quod primum.* Porro nisi habitualis utraque illa intentio, primitiva, et derivativa, praedictam secundo loco efficaciam haberet; aptitudine sufficiente careret ad finem, cuius causa necessaria esse, et DEI lege praecepta, modo ostensa fuit; videlicet ut, emergente quavis occasione particulari excidendi sine ultimo, aut eius rei periculo, continuo vi sua habituali sese exerat, et veluti contrarii instar ponderis mentem ab ea parte retrahat confestim, in quam ab affectibus inordinatis cum necessitate morali secus traheretur, excitando videlicet mentis reflexionem, vi cuius actionem, vel omissionem, in praesens suscipiendam, tum attentius intellectu, tum facilius etiam voluntate ad finem ultimum seu positive seu saltem negative referat (314.). Atqui modum omnem, actioni theologice formaliter bonae intrinsicum, ratione cuius necessaria et apta est ad finem

nem ultimum (292. IV.), DEVS tam certa lege naturali praecipit, quam actionem simpliciter (358.); siquidem propter eum praecise actionem ipsam praecipit. Ergo etc. etc. *quodalterum erat.*

*Adde:* hanc legem DEI naturalem etiam esse positivam, id est, DEI contingente iussu per revelationem in novo testamento Matth. XXII. 37. modo quodam supernaturali quoque promulgatam illis Christi verbis: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: hoc est primum et maximum mandatum;* et in testamento veteri Iudaeis in Deuter. VI. 5. pariter inculcatam: et ultimis quidem verbis Christus satis designat, legem istam, quoad substantiam, ad ipsas leges uaturales necessarias pertinere, imo primam esse et maximam omnium; ceu quae medium necessarium ac generale pro ceteris omnibus legibus, facilius, et certius observandis, praescribat, videlicet tantam tamque constantem, tamque efficacem (saltem habitualement) DEI, ut finis ultimi obiectivi, dilectionem, id est, desiderium eius fruendi tam efficax, et in habitu saltem constanter conservandum, ut illius virtute quivis mente conclusum firmiter habeat, nullius alterius inferioris boni amore subeundi eius iacturam; seu negligendo medium ei obtinendo necessarium, seu ponendo aliquod eius grave impedimentum. Profecto voces illae: *In toto corde tuo;* et ut Deuter. VI. habetur: *Ex tota fortitudine tua;* tum constantiam aliquam (saltem habitualement videlicet), tum efficaciam praedictam important; qua DEI fruitio, ceu finis ultimus, honoratione DEI practica (201.) et affectu praedominante, rebus omnibus contrariis praefertur.

\* Dixi,

\* Dixi, requiri tantam in illa habituali intentione finis efficaciam, ut, data occasione agendi quid contrarium fini, huiusque praevisiōne orta, mox excitata eius habitualis species *influxat movendo* ad actiones vel omissiones bonas; non autem dixi, easdem sibi conformiter absolute determinando: neque enim habitus per se libertatem adimit, tam parum quidem, quam necessitas moralis ad vitium libertati physicae per se obstat; cum nec habitus aliud, quam facilitas sit agendi bene.

374.

*Nulla lege DEI naturali perfecte, sed solum consilio DEI naturali invitante imperfecte obligamur, omnes et singulas actiones et omissiones liberas voluntatis intentione seu actuali, seu virtuali, referre ad finem theologicæ formaliter bonum.* Intentio enim talis, comes singularum actionum et omissionum liberarum, seu actu repetita in singulis, seu virtute habituali in singulas influens (315.), est modus agendi intrinsecus (seu determinatio intrinseca) non necessarius ad conservandum praecise statum subiecti cum fine ultimo consentientem, etsi utilis ac necessaria sit ad merita moralia theologica plura cumulanda (318. I.): licet enim is modus agendi in actionibus, vel omissionibus pluribus ablit; modo istae omnes et singulae ita determinantur, ut omnes fiat nihilominus physice formaliter (atque eo ipso materialiter theologicæ) bonae; iam non ullo pacto erunt aut fini ultimo positive contrariae, aut malae simpliciter, sed solum minus bonae, seu negative solummodo malae (363. IV.). Itaque locus quidem consilio divino naturali est, quo DEVS altiore beatitudinis gradu, in praemium promisso, nos invitando ad talem actualem, vel virtuales intentionem, singulis actibus liberis apponendam, imperfecte obliget; at nulla suppetit necessitas re-

*Stattler Eth. christ, univers.*

Y

qui-



quisita, ut ad talem actionis modum positivum lege naturali praecipiente perfecte obliget (358. n. 1.).

## 375.

*Actiones eas omnes singillatim lege divina naturali obligamur per voluntatis intentionem actualem, vel virtuales, negative referre ad finem ultimum creationis, in quibus, eas commissuri, actu praevidemus periculum vere probabile, ne in eis interveniat modus aliquis seu determinatio intrinseca (291. 292. IV.), per quam actio tota composita fieret positive moraliter mala. Negative enim referre actionem ad finem, est, data praevisione relationis materialis actionis, quod, certo modo peracta, futura sit impedimento finis, curare, ne sic determinetur, ut actu sit impedimento, id est, ne fiat fini contraria, seu moraliter mala simpliciter (314. 293.). Atqui ad istud lege divina naturali eadem obligamur, qua obligamur vitare actiones formaliter theologice malas, stante dicta hypothese praevisionis periculi (358. n. 2.); eo quod sine intentione actuali, aut virtuali saltem, finis, ceu primitiva, derivativa intentio removendi impedimenti finis eiusdem, dari omnino non possit (312. I. et II.). Ergo etc. etc.*

## 376.

*In omnibus actionibus illis physice imperfectis, in quibus bonitas saltem physica directe non intenditur, nec actuali, nec virtuali intentione, sed quae committuntur ex solo motivo voluptatis (366. l.), certum periculum intervenit immoderationis committendae in earum susceptione, seu ratione temporis nimii, quo eis inhaeretur, seu ratione immoderati affectus (369. 370.); nisi saltem negative per voluntatem referantur ad finem*

nem ultimum creationis: 2.) idque periculum est eo maius, quo voluptas, actioni natura insita, est intensior. Cum enim per hypothesin in susceptione talium actionum voluntas in sola voluptate intentione sua positiva acquiescat (314. 85.), nec alium finem seu regulam recipiat, secundum quam vel tempus fruendae talis voluptatis, vel acquiescentiae suae vehementiam determinet, ac moderetur, sola voluptas, ceu finis unicus, pro regula existet. Iam vero voluptas caeca, ex usu ipso crescens, et idea deceptrice facile ultra verum augeri solita (225. 226. Psychol.), praesertim cum natura sua est vehementior, ingenti facilitate voluntatem sibi unice intentam ultra moderationis metas propellit, ita, ut actio, licet in sua specie per se nondum positive ac simpliciter physice mala (366. II.), in individuo tamen ex accessu immoderationis, seu quoad tempus, seu quoad affectum, tanquam ex nova intrinsece mala accidentali determinatione (291.), fiat simpliciter mala, ac DEI lege prohibita (358. n. 2.), gravi ea, vel levi, pro contractae malitiae quantitate.

377.

Itaque 1.) tametsi dentur actiones physice simpliciter formaliter bonae, et theologice formaliter indifferentes, quas ad finem theologice bonum referre nullo modo obligamur lege divina naturali (374.); cum scilicet referuntur positiva voluntate saltem ad finem physice bonum: tamen non licet communiter et universim agere, et committere actiones etiam physice materialiter bonas unice ob voluptatem; quin eadem saltem negative referantur voluntate ad finem creationis ultimum, seu theologice bonum (375. 376.). 2.) Unde male argues, si dicas: Non licet agere ob solam voluptatem: ergo non dantur actiones theologice indiffe-

*rentes, aut vice versa*: neque enim ob solam agitur voluptatem, cum bonitas actionis saltem physica directe intenditur; etsi a theologica abstrahatur.

\* Omni itaque iure summus Romanus Pontifex Innocentius XI. inter alias LXV. propositiones damnavit n. 8. hanc: *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum; modo non obfit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Nam 1) nullam aliam regulam cibi et potus sibi praestituere, quam voluptatis satietatem, id est, ne quidem negative actionem ad ullam boni finis regulam referre atque exigere, profecto idem est atque immoderationi affectus fraenum ultro relaxare; cum appetitus voluptate sola, nisi denique molestia aliunde misceatur, nunquam satiatur, ac proinde non nisi tunc in tali hypothese cesset ab usu cibi ac potus; cum iam immoderationis effectum cum molestia sentire incipit. 2.) Peior adhuc est ratio thesi addita: *frui enim re aliqua, est in ea, ut sine ultimo, plene acquiescere* (45. 85.) *ob solam eius voluptatem*: atqui hoc, praesertim sic *universe* pronuntiatum, evidenter falsum est; quia in iis actibus, in quibus voluptas valde intensa est, uti in copula coniugali, tam plena acquiescentia morali necessitate in immoderationem transit: quam ipsam ob causam ab eodem summo Pontifice damnata est propositio n. 9.: *Opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni caret culpa veniali.* Praeterea, quod ad alteram istam propositionem damnatam singillatim attinet; tanta est vehementia simul et ignobilitas voluptatis illius, ut, nisi positiva intentione ad finem sibi proprium actio illa referatur, inordinatione in praxi omnino carere non possit; eo quod spiritualement animam dedecet sane, in tam vile bonum tanta vehementia libidinis abripi; nisi ratione utilitatis ipsius ad alium nobiliorem dignioremque finem id fiat. Vnde et communissime Catholici Doctores cum S. Thoma Aquinate (in Epist. 1. ad Cor. cap. VII.) tenent, lege divina leviter saltem obligante prohiberi actum coniugalem exerceri ob solam voluptatem cum exclusione directae intentionis finis eius naturalis.

• • Cete-

\*\* Ceterum traditis inde a 359. huc usque doctrinis paene singulis varii se opponunt. Ac 1.) quidem *contra existentiam Consiliorum naturalium*, 359. 360. assertam, pugnant plerique scriptores Philosophiae Practicae Generalis de numero Protestantium, aiuntque vera lege naturali divina nos ad omne id teneri, quod optimum in moribus esse cognoscimus, siquidem id exequi sit in nostra potestate. *Probant* ex eo, quod optimas actiones omittentibus poenae naturales a Deo naturae Auctore, constitutae sint, videlicet iactura omnium illorum bonorum effectuum, qui, veluti totidem nostrae felicitatis incrementa, ex actionibus melioribus atque optimis fuissent consecuturi. *Verum* isti adversarii notionem *legis* sibi propriam supponunt, qua videlicet legis nomine omnem *morum regulam* comprehendunt, ac insuper obligationis divisionem perfectam et imperfectam isthic negligunt (332. not. 335, 339.). Si per legem non nisi *morum regulam* intelligas, quae intrinsecam bonitatem vel malitiam actionis, hancque seu negativam, seu positivam, repraesentet, atque ita doceat, quo pacto institui oporteat actionem, ut optima sit, aut omni etiam mere negativa malitia careat; recte profecto dixeris, lege naturali praescribi, ut semper optimum faciamus: quia haec revera optima *morum regula* est. At nobis lex non est, nisi *regula morum*, perfecte, id est, sub poena gravi aut levi, obligans. Iam vero sola iactura bonorum fructuum optimae actionis non nisi bonorum, seu praemiorum, naturalium iactura est; nec poenae, id est, mali physici positivi ob culpam illati, rationem adhuc habet. Ergo neque legem veram ac proprie talem illius iacturae certa licet praevisio determinare potest. At demum nos, Christianae Ethicae intenti, insuper non de lege qualicunque hic inquirimus; sed an talis detur, cuius vis in vitam alteram se extendat. Talem probent adversarii, nisi de nomine nobiscum litigare velint. Hoc dum fecerint, pro certo tenemus, esse quasdam, easque optimas actiones liberas, ad quas quidem Deus promissis grandibus alterius vitae praemiis nos invitet, quin tamen eas omittentibus ullam alterius vitae poenam proprie talem intentet: quod idem sane est, ac dicere, *dari*

*non solum leges divinas naturales, sed et consilia naturalia et meras invitationes ad optimas quasdam actiones, nulla ceteroquin lege praeceptas,*

378.

*Ius naturale* est ius (324.) seu facultas recta moralis tam ad aliquid agendum, quam ad idem omittendum; cui nulla obstat lex naturalis, seu praecipiens, seu prohibens (356.).

*Dantur ergo iura naturalia, quae homini competant.* Ius enim est facultas recta moralis, tum quid agendi, tum idem omittendi, salva rectitudine saltem negativa (324.), id est, quin seu actio, seu omissio, sit *positive* moraliter mala (loc. cit. et 3.). Atqui dantur multae simpliciter bonae actiones liberae, quarum omissiones quoque non sunt *positive*, sed solum *negative* malae (295.); et tales sunt omnes omissiones liberae meliorum aut optimarum actionum, quae solum DEI consilio naturali suadentur (359. 360.): ac vicissim dantur actiones liberae simpliciter quidem bonae, sed *negative* malae, quatenus melioribus opponuntur contradictorie (296.); talesque sunt omnes actiones solum physice formaliter bonae, sed theologicice formaliter indifferentes, item omnes actiones etiam theologicice formaliter bonae, sed melioribus oppositae; quando ponuntur cum reflexione et intima conscientia de consilio DEI naturali invitante ad actiones illas theologicice meliores (loc. cit.). Dantur ergo saepius iura, id est, saepius facultas recta moralis suppetit et agendi aliquid, et idem omittendi, salva utrinque rectitudine morali saltem negativa: et cum in id genus casibus iuri praesenti nunquam obstat lex DEI naturalis, seu praecipiens actiones bonas  
non

non necessarias, quae salva rectitudine negativa morali omitti possunt (359. 360.), seu prohibens actiones minus quidem, attamen simpliciter bonas, aut bonas solum physice, sed formaliter theologicè indifferentes (361. et loc. cit.); idcirco iura illa, quae saepe dari ostensa sunt, iura naturalia sunt (praec.).

\* Ex his facile intelliges, eos, qui simul *consilia* nulla, nec ullas *actiones indifferentes in individuo* admittunt, iurium naturalium, homini competentium, existentiam revera admittere, vel asserere, salva doctrinae consequentia, haud posse. Neque enim sola *potestas moralis* ad agenda ea, ad quae lege stricta obligamur, ius dici potest; cum tali modo idem foret *obligatio*, quod ius, et vicissim: id quod communi naturae sensui aequè ac recepto usui vocum istarum repugnat. Qui vero consilia quidem admittunt, actiones autem formaliter theologicè indifferentes negant, iura in sola facultate libera committendi et omittendi actiones meliores, quae solum consilii sunt, constituere coguntur.

\*\* Verum contra existentiam id genus iurium naturalium, quae consistant in actionibus indifferentibus exercendis, alii atque alii opponunt iam 2.) duplex, licet parum dissimile argumentum. Primum sic habet. Omnis actio humana, seu deliberata, vel est conformis bono naturae, vel non est conformis: si primum; est positive bona: si alterum; est positive mala: ergo nulla datur indifferens. Alii sic idem proponunt. Omnis actio vel est conformis regulae morum, seu prudentiae consilio; vel non est conformis &c. &c. Alterum argumentum sic habet. Nulla potest dari actio libera sine certo aliquo fine proposito, cuius causa suscipitur actio. Iam vero ille finis, in actione propositus, vel est ipse finis ultimus creationis, nimirum beatitudo, per actionem promovenda; vel saltem est alius finis proximus utilis ad illum finem ultimum, ex. gr. sanitas, per ambulationem conservanda; vel denique nec est finis utilis proximus: in primo et altero casu actio, e. g. ambulatio, est positive bona; in tertio ne-

Y 4

cessa-

cessarium est, ut fiat praecise ob finem proximum mere delectabilem, id est, praecise ob voluptatem, cum inter utile ac delectabile bonum proprie medium non detur (43. not.); atqui positive malus finis est sola voluptas actionis; id quod inde *probat* univ[er]se, quod tali modo in bono quodam infimo, ceu sine ultimo, vere acquiescatur, quae est inordinatio summa.

\*\*\* *Iam vero* nihil facilius est, quam ostendere, neutro ex his argumentis quaestionis scopum, de qua Theologi Christiani isthic tractant, ullo pacto attingi. *Nam primum argumentum*, cum nihil quidem distinguat inter bonitatem physicam et theologicam formalem, confusione laborat, ac probat solummodo, actus, licet theologice formaliter indifferentes, si tamen fiant cum directa formali intentione bonitatis verae physicae actionis eiusdem, fore physice formaliter bonos; uti e g. ambulationem, sanitatis causa susceptam, non fore physice indifferentem, sed positive bonam: at his stantibus, tales actiones, physice formaliter bonae, erunt theologice formaliter indifferentes; sive indifferentiam repetas a sola bonitate et malitia formali theologica fundamentali et antecedente ad legem DEI (307. not 308. 315.); sive repetas eandem a defectu omnia legis divinae, seu praecipientis, seu prohibentis eius actiones (362. 361.). Item probat argumentum illud primum, actiones physice saltem materialiter bonas, sed sine directa formali eius bonitatis intentione, praecise ob voluptatem, attamen citra omnem immoderationem affectus aut temporis positas, fore adhuc materialiter saltem bonas atque utiles, et formaliter saltem non positive malas, nec lege DEI prohibitas, sed meras imperfectiones physicas formales (366. I. II.); attamen ex hoc non sequitur, habituras ullam simpliciter theologicam formalem bonitatem; nisi quatenus saltem negative actu, vel virtualiter, referuntur ad bonum finem; multo minus, quod sint lege divina praecipitae; cum potius saltem consilio divino naturali (invitante ad theologice formaliter bonas actiones) dissuaderi soleant. Nihil itaque omnino ad rem praesentem valet primum argumentum. *Ceterum qui dixerit*, tales actiones fore positive bonas; quia conformes

mes sunt legi divinae permittenti, et quia bono motivo istius legis nituntur; siquidem peragantur, *quia licitae sunt* divina lege: sane oppido a scopo aberrant; cum lex permittens proprie non detur (339. not.), et licentia actionis non habeat rationem motivi impellentis, sed solum occasionis, seu conditionis, sine qua forte quis non ageret; eo quod lege prohibente, siqua existeret, ceu motivo contrario, absterretur: seu quod idem est; licentia actionis solum est negatio legis, ceu motivi absterrentis. Verum id genus argumenta, tam aperte inepta, saltem non deberent perpetuo recoqui, multo minus inutilium subtilitatum acumine minutim dissecari.

\*\*\*\* *Quod ad alterius argumenti rationem attinet;* facile intelliges, prima duo disiunctionis membra eodem confusionis vitio circa bonitatem physicam et theologiam formalem cum priore laborare, et sic secundum ista haud amplius evinci, quam priore illo argumento. Tertium disiunctionis membrum reflexionem aliquam meretur: tametsi enim solas imperfectiones physicas formales (365. 366.), eas saltem attingere videatur, quae in actionibus physice solum materialiter bonis, at non cum directa intentione formali bonitatis, sed ob solam voluptatem, cum omni licet affectuum ac temporis moderatione, committuntur; nihilominus etiam ad actiones omnes theologice formaliter indifferentes extendi vis argumenti secundum illud tertium disiunctionis membrum potest. Cum enim e. g. ambulatum exis ob actionis istius utilitatem ad sanitatem conservandam, nihil cogitans vel intendens de theologica bonitate, sed in physica formali bonitate eius actionis sistens; quaestio redit de intentione sanitatis, tanquam finis, hoc scilicet modo: An sanitatem ambulando intendis, ceu utilem ad finem ultimum beatitudinis? an solum in, ea ceu fine ultimo delectabili, sistis et acquiescis? *In primo casu* ambulatio, erit etiam theologice formaliter bona, et, licet non praecepta lege divina, tamen sub modo talis intentionis consilio saltem suadebitur: *in casu altero* acquiescentia in voluptate infimi generis, ceu in fine ultimo, inordinatione non carebit, ac proin iterum non erit



indifferens, sed positive mala, ac DEI etiam lege prohibita. *Verum responsio duplex* nodum omnem facile extricabit. Itaque *primo loco* adnoto, argumentum hoc solas imperfectiones physicas formales (366. I.) in secunda classe memoratas cum difficultatis qualicunque specie attingere; at nullo pacto ad eas, quae ibidem primo loco censentur, vim eius extendi posse. In actionibus enim theologicis formaliter quidem indifferentibus, in quibus bonitas actionis physica saltem directe intenditur, uti e. g. sanitas in ambulatione, habitualis saltem intentio beatitudinis in genere et in confuso (quin scilicet distinguatur beatitudo theologica a physica, aut quin discernatur, aut actu distincte cogitetur, beatitudinem non nisi in similitudine cum DEO huiusque fruitione consistere) semper intervenit, et quidem necessario; eo ipso, quod una quidem ex parte ad bonum purum in genere appetendum, postquam sensu naturae communi de nostra ad illud fruendum capacitate saltem obscure admonemur, liberi haud omnino sumus (93. 103. 105.); altera vero ex parte finis actionis bonus, e. g. sanitas in ambulatione, ne utique necessarie, ut mere delectabilis, sed etiam ut utilis ad beatitudinem in genere ac mere physicam in id genus actionibus utique intendi possit, et vulgo ab hominibus prudentibus, nec iusto mollius vivere affectantibus, intendi re ipsa soleat. Quo casu actio id genus adhuc omni theologica formali bonitate carebit, et tamen physice formaliter sic bona erit, ut nulla prorsus inordinatio positiva similis obiici eidem queat; de qua argumentum eas actiones materialiter bonas, sed physice formaliter imperfectas, accusat, quae solius voluptatis eisdem insitae causa, ceu ob finem ultimum, ut aiunt, fiunt.

\*\*\*\*\* *Secundo loco* itaque directe ad argumentum, actionibus his postremis praecise applicatum, *respondeo*: primo non mihi videri positivae malitiae universim damnandas actiones omnes, quae fiunt solius voluptatis causa, si et voluptas ipsa modestissima et paullo per se nobilior sit (uti in pulcritudine artificiosa e. g. musicae, picturae, poematis &c.), et simul omni non solum immoderatione, sed et huius probabili periculo careat:

careat: cuius ratio est, quod habitualis intentio beatitudinis physicae in genere saltem necessitate morali in id genus actiones sua virtute semper influat: *secundo* non displicere mihi distinctionem, quam vulgo ad argumentum hoc reponere Theologi nostri, actiones istas sub iusta omni moderatione susceptas ab omni positiva malitia simpliciter defendentes, consuevere; videlicet, per eas actiones in sola voluptate ipsis insita acquiesci *tanquam in fine negative ultimo, non autem ut in fine positive ultimo*; ac proinde non inordinationem seu malitiam positivam, sed solum negativam, id est, defectum a maiore possibili bonitate, eis inesse: item sic agentem frui quidem rebus, *ceu sine negative ultimo, non autem positive tali*. At enim explicatione magis distincta huius distinctionis opus est, quam qualis vulgo de ea dari solet; eaque sequens est. Qui e. g. ludit, ambulat &c. ob solam quidem voluptatem, istis actionibus insitam, non autem ob earum utilitatem seu aptitudinem ad finem ultimum beatitudinis, in genere saltem mente conceptae; is actionem iuxta ac voluptatem ipsam in ea perceptam utique *positiva intentione voluntatis, veluti medium*, ad finem beatitudinis ultimum non refert (314.). Quodsi tamen in ipsa acquiescentia affectus sui in voluptate actionis constanter ita intentione saltem virtuali respiciat finem illum beatitudinis in genere, ut nihil immoderationis admittat, qua positive ab eodem fine recedat, aut fini *impedimentum* ponat; finem saltem physice bonum omnino ex mentis oculis non dimittit, sed pro regula et mensura actionis constanter retinet, ad eumque actu *refert saltem negative* (loc. cit.): idem non omnino acquiescit in sola voluptate actionis *ceu, in fine positive ultimo* (hoc enim si vellet, nihil refugeret ab omnimodo recessu positivo a beatitudine, per quamcunque immoderationem temporis et affectus, qua voluptati, ceu fini positive ultimo, tota sui, affectus effusione inhaereret, curis aliis omnibus neglectis), sed solum *ut in fine negative ultimo*; quatenus eo modo agendi, eoque individuo actionis, ad beatitudinem, ceu verum finem ultimum, positive non accedit: ex quo tamen neutiquam sequitur, quod iam hoc ipso recedat ab isto positive per actionem ei contrariam. Recte itaque (366. II.)

con-

conclufi, tales actiones effe quidem phyfice moraliter imperfectas et malas negative, non tamen *per fe* positive simpliciterque malas; nifi intentio (habitualis videlicet) finis melioris, beatitudinis in genere videlicet, positive excludatur (loc. cit. III.). Vbi iam adnotaffe illud adverfus omnia argumenta contraria ab auctoritate fufficiat; SS. Patres et Theologos plerisque, qui negant, in voluptate actionis, tanquam in fine ultimo, acquiefci poffe, non femel probe diftinguere acquiefcentiam in voluptate moderata folum negativam a positiva, et vulgo de posteriore folum recte intelligi, ubi fubinde univerfe enuntiant, omnes actiones liberas ad finem ultimum vi legis divinae referendas effe. Patebit hoc ex dicendis infra 383. not. 2. *Quodfi iam opponas*, hac fupposita explicatione fequi, praedictas actiones, etiam phyfice imperfectas, ob folum voluptatem prorfus moderatam pofitas, fore positive bonas, pertinere *vel* ad ordinatam fui dilectionem; *vel* ad eutrapeliam, cuius eft, mifcere utile dulci et feria iucundis, ad honeftam animi fatigati refocillationem; *vel* ad prudentiam, quae dicitur, ut in rebus quibusdam exiguis gratificemur naturae, e. g. commode fedendo, abigendo muscas etc. etc. *refpondeo*: fi quidem intentio fiftat in fola voluptate positive, nec referat iftam (et cum ea ipfam actionem) fimul, ceu utilem, ad alium finem (quod facit Eutrapelia iuxta, ac prudentia), actionem fore phyfice simpliciter quidem, fed folum materialiter, non autem formaliter bonam: *bona simpliciter* erit; fecus enim deberet hoc ipfo effe vel otiofa, vel positive feu simpliciter mala (294. I.): *Materialiter* autem folum bona erit, *non formaliter*; quia voluntas nullam veram eius *bonitatem refpectivam*, feu utilitatem, positive intendit (per hypothefin); *bonitas vero abfoluta*, feu voluptas vera, in qua positive bene quis acquiefcat, non nifi fini ultimo ac bono puro competere potest (105.). Id verum nihilominus eft, negativam relationem talium actionum ad finem faltem phyfice bonum, vel ad beatitudinem in genere, cuius virtute intra moderationis limites voluptatis appetentia coercetur, merito morali phyfico non carere, etfi theologico certe careat. Vnde *actio tota compofita* ex delectatione et huius negativa ad finem

nem physice bonum relatione tamen adhuc etiam formaliter physice bona dici poterit:

\*\*\*\*\* Atque huc usque dictis quidem plene satisfieri omni dubio existimo, quod super assertis (359. 360. 361.) oriri possit. Verum supersunt alii, et quidem diversae classis auctores, quibuscum Ethicam Generalem Christianam, id est, non mere naturali, sed supernaturali statui morali hominis Christiani convenientem (10.), scribenti peculiare negotium est, Ethicae mere philosophicae scriptoribus non commune. Quaerendum nimirum superest, 1.) an existant aliquae leges etiam supernaturales seu positivae divinae, id est, obligantes ad actiones vere supernaturales; quae convenient statui supernaturali morali, in quo sumus a DEO in praesens constituti: item an talium legum per actiones supernaturales iis conformes observatio sit medium morale prorsus necessarium in praesente statu ad beatitudinem consequendam. Sed haec quaestio, cum decidi, nisi ostensigne talium legum in particulari, non possit, nimirum legis fidei divinae, spei, et caritatis DEI supernaturalis etc.; commodius ad eam Ethicae Christianae particularis partem differtur, in qua officia hominis Christiani erga DEVM singillatim expendentur. *Quaerendum* 2.) superest, an lege quadam generali divina positiva obligemur in statu Christiano ad actiones omnes liberas dirigendas ad finem supernaturalem theologicè bonum, id est, ad similitudinem cum divinis perfectionibus, vel ad beatitudinem formalem, quae in DEI fruitione consistit, per eas promerendam. Istud enim ex Christianis, et quidem Catholicis Theologis fuisse, qui assererent. Superest 3.) *quaerendum*, an lege quadam generali divina, vel naturali, vel positiva, in praesente statu morali Christiano obligemur in omni actione libera DEVM formali caritate supernaturali diligere, id est, omnia agere et omittere ex motivo caritatis DEI supernaturalis, non quidem perfectissimae (360.), vere tamen perfectae: id quod rursum varii docuere, uti videbimus. Incipiemus vero a quaestione ultima, eique secundam subiiciemus, naturali ordine id postulante. Prius tamen proprietates legum et iurium natura-

turalium, hoc toto paragrapho assertorum, brevibus Corollariis subiungemus.

379.

*I. Leges DEI omnes obiectivae, seu necessariae, uti naturales, seu contingentes (355.), sunt aeternae: quia consistunt in ipsis actibus intellectus et voluntatis divinae immutabilis (343. 340.).*

*II. Leges DEI etiam naturales subiectivae existere in tempore incipiunt: quia consistunt in actibus intellectus creati (343. 341.), eo scilicet modo, quo omnis effectus creatus aeternae DEI voluntatis tamen in tempore existit; etsi ipsius causa, DEI nempe voluntas, ab aeterno existat: cuius ratio est, quod ipsa DEI voluntas effectum non nisi in tempore existentem velit; cum nihil creatum ab aeterno esse possit.*

*III. Omnes leges DEI, etiam naturales, absolute contingentes, et DEO liberae sunt: quia creatio libera est, sine qua nec leges tulisset ullas; atque insuper quia, facta etiam creatione, adhuc liberum est DEO concedere homini cognitionem bonitatis vel malitiae fundamentalis theologicae de quavis actione vel omissione libera in individuo; qua deficiente cognitione, lex DEI naturalis locum non habet (361.).*

*IV. Supposita tamen actu in homine praedicta cognitione bonitatis necessariae vel malitiae obiectivae theologicae de quavis actione libera in individuo peragenda, leges DEI naturales, seu praecipientes actionem bonam, seu malam prohibentes (358.) sunt hypothetice necessariae: quia, posita semel illa cognitione, actiones et omissiones liberae iam non possunt esse mere materialiter, sed necessario, cum fiunt,*

fiunt, *formaliter* theologice bonae et necessariae ad finem ultimum sunt; aut sunt formaliter theologice malae, aut denique theologice quidem formaliter bonae, sed non necessariae ad finem ultimum sunt (295. 305.): in primo casu lege naturali DEUS illas praecipit, in altero simili lege prohibet, in tertio non quidem tali lege praecipit, sed consilio suadet naturali (358. 359.). Atqui lex omnis naturalis, sub hypothesei existentiae tam Legislatoris, DEI, quam libertatis humanae, ad talem actionem complete expeditae, necessaria est; quia sub dicta hypothesei eius rationes sufficientes omnes, ac proin etiam rationes existentiae, id est, DEI natura, et voluntas vi naturalis suae sapientiae, sanctitatis, et iustitiae obligans, necessario existunt (355. 356. 358.).

§. IV. AN IN PRAESENTE STATU MORALI CHRISTIANO EXISTAT LEX DEI NATURALIS, AUT POSITIVA, OBLIGANS UNIVERSE AD ACTIONES OMNES LIBERAS DIRIGENDAS AD FINEM THEOLOGICE BONUM, EVMQVE SUPERNATURALEM.

380.

*Finis actionis theologice bonus est vel bonitas ipsa theologica absoluta ac praesens ipsius actionis, finis ultimi instar propter se ipsam directe intentata, id est, praesens eiusdem similitudo cum actibus et perfectionibus divinis (300.), vel bonitas theologica respectiva, seu utilitas et aptitudo ad promovendum finem ultimum, nempe ipsam beatitudinem, in perfecta DEI similitudine et fruitione consistentem. Finis non theologice bonus est omnis alius, a priore diversus, seu sit bonitas mere physica,*

fica, seu sola voluptas moderata &c. &c. *Finis naturalis* est, qui et quatenus ex lumine rationis naturali cognoscitur; *supernaturalis*, qui et quatenus cognoscitur lumine fidei divinae supernaturali.

381.

*I. Etiam, qui caret lumine fidei divinae supernaturali, finem theologice bonum naturalem, seu ex solo lumine naturali cognitum, in sua libera actione, ceteroquin materialiter bonam, directe intendere potest.* Potest enim illum cognoscere, ut vere bonum, aut optimum, atque, ut talem, velle.

*II. Idem autem, in defectu talis luminis fidei divinae supernaturalis, finem supernaturalem directe intendere non potest;* quia nihil sub ulla ratione volitum esse potest, sub qua cognitum non est.

*III. Nulla ergo lex DEI, seu naturalis, seu positiva, obligans ad referendam actionem ad finem supernaturalem, in hominem, fidei divinae supernaturali lumine prorsus carentem, durante isto defectu, actu cadere potest:* quia ad rem intendendam sub aliqua ratione, sub qua cognita non est, necessitas moralis, seu lex aliqua obligans (339. 331.), imponi nequit; cum talis intentio sit absolute metaphysice impossibilis. Porro neque fidei ipsius ignorantia in gentili homine, qui nunquam audit Evangelii praedicationem, immediate vincibilis, nec ullo pacto voluntaria (284.), ac proin nec perinde culpabilis esse potest; sicuti tamen ignorantia DEI ac finis ultimi in homine, ratione rite utente, certo vincibilis est.

\* Verum ex isto, quod infideles tali obligatione non teneantur, ac proinde ea etiam non impediuntur, quo

quo minus actiones vel physice, vel etiam theologicæ formaliter bonas, mere tamen naturalis boni finis gratia, edere possint; ex isto, inquam, nondum absolute probatur, quod fideles Christiani, supernaturali fidei divinæ lumine actu illustrati, stante hoc supernaturali lumine, non obligentur universe lege DEI, seu connaturali huic statui morali, seu positiva, ad actiones omnes liberas dirigendas ad finem supernaturalem, illius supernaturalis luminis virtute actu cognitum; ac proinde ex aliis principiis id porro probandum superest.

382.

*Etiam supposita iam hypothesei status Christiani morali, in quo participes sumus actu luminis fidei supernaturalis, repraesentantis nobis varios fines theologicæ bonos actionum nostrarum liberarum, tamen evidenter nulla datur lex divina, naturalis, seu connaturalis huic statui, obligans nos perfecte ad omnes actiones nostras liberas referendas, seu dirigendas, ad finem theologicæ bonum, illo fidei supernaturalis lumine cognitum.* Evidens enim est, lege divina naturali affirmativa, seu præcipiente, in quacunque hypothesei, nos non obligari ad omnes bonas actiones, aut ad quamcunque formalem earum bonitatem directe intendendam, sed solummodo ad eas, quæ et quatenus in data hypothesei reipsa necessariae sunt ad conservandum præsentem bonum statum subiecti agentis, sive eius consensum cum fine ultimo (358. n. i. 359. 360.). Atqui ne nunc quidem sub hypothesei christiani status morali et luminis divinæ fidei, actu nobis repraesentantis supernaturali modo fines theologicæ bonos singularum actionum liberarum, ne nunc quidem, inquam, directæ intentio talis finis in omni prorsus actione libera est necessaria ad statum perfectum subiecti agentis præcise conservandum; tam parum scilicet, quam in statu mere naturali

*Stattler Eth. christ. univers.*                      Z                      neces-



necessaria est simpliciter aliqua directa intentio finis theologicæ boni naturalis in omni prorsus actione libera (374.); siquidem utriusque omiſſio mera non potest, nisi ad summum esse negative mala, non item positive mala (295. 322.). Ergo &c. &c.

\* Qui nimis faciles sunt in legibus naturalibus affirmativis, cum universali extensione afferendis, non attendunt difficultatem argumenti eisdem proprii, ex quo existentia earum unice probari potest, nempe necessitatem, ex DEI, hominis, et actionis ipsius natura ortam (356.). Iam vero quam parum necessarium est ad præsentem mentis perfectionem præcise conservandam, ut homo quivis semper agat, quod omnium optimum esse cognoscit; tam parum necesse ad eundem finem est, ut semper agat ex fine theologicæ bono simpliciter, et multo minus, ut agat semper ex fine supernaturali: aut cur demum non etiam homini Christiano saltem sufficiat agere ex fine theologicæ bono naturali? Item an etiam, quidquid mali, aut minus boni *omittet*, ex fine supernaturali *omittere* obligabitur? At cur non obligabitur ad *omissiones*, et tamen obligabitur ad *commissiones* dirigendas ad finem supernaturalem? Nimirum hic meminisse oportet eorum, quæ 215. 216. l. 243. de DEI misericordia diximus, quæ non permittit, ut DEI iustitia facilis sit ad poenas (quod aequè valet de poenis levibus, si adversæ sententiæ patroni affirmant DEI legem solum leviter obligantem), actionibus utcunque bonis promovendis statuendas, nisi necessitas urgeat; sed præcise maiore gradu et præmio beatitudinis promisso ad maiora merita invitare solet: siquidem nihil magis summo gradui universalis beatitudinis hominum consequendo obstaret (quem tamen DEVS pro fine creationis ultimo certo sibi constituit (165.)), quam si homines ea beatitudine hoc ipso mox in poenam prorsus exciderent, quam primum aut non optimum omnium, quod possent (360.), aut non ex fine supernaturali, aut nec theologicæ formaliter bene agerent (361.), id est, si semper lege gravi ad sic agendum obligarentur. Porro, ut mox ostendam, lex

lex leviter solum obligans ne quidem esset medium aptum et sufficiens per se ad executionem regulae morum tam difficilis, tam univ[er]se, et tam constanter urgentis. Unde etiam vix ostendes, legem affirmativam naturalem, per se tantum leviter ad actiones positivas obligantem, nisi quae ad gradum diligentiae et attentionis debitae completum adhibendum urget, cuius modicus neglectus legi, integrum diligentiae istius gradum praecipienti, leviter solum adversatur: etsi et tales leges, prout totam actionem completam respiciunt, per se graves quoque semper esse soleant. Denique ad consequendam simpliciter aliquo vero merito theologico beatitudinem necesse non est, ut quis eam mereatur, aut promoveat per omnes actiones liberas, sed ad hoc sufficiunt aliqua merita subinde posita: ad ista autem merita iam acquisita deinceps conservanda, nec lapsu aliquo in morale demeritum iterum destruenda, medium necessarium non est, ut quis per omnes actiones liberas de novo mereatur, praesertim merito semper supernaturali.

383.

*Lex positiva, seu graviter, seu leviter obligans saltem Christianos ad omnes actiones liberas dirigendas ad finem supernaturalem, non esset medium morale utile et aptum ad promovendum finem creationis ultimum, id est, ad summum beatitudinis gradum, univ[er]se ab humano genere per merita moralia consequendum: ac proinde talis lex divina positiva facile supponenda non est. Non esset utile medium lex graviter obligans: quia esset nimis difficilis materia, ad quam obligaret; cuiusque executionem lex talis necessariam faceret ad finem beatitudinis consequendum. Atqui evidens est, quod, qui difficiliorem medio quodam adhibito reddit consecutionem finis, medio non utili utatur, nec tam promoveat; quam impediat talem finem. Sed nec lex leviter solum obligans esset medium aptum: hoc*

ipso enim, quod materia lege praecepta esset difficillima, perpetuo occupans omnes liberas actiones, nec tamen absolute ad finis substantiam necessaria, frustra urgeretur remedio leviter solum urgente et movente voluntatem; siquidem necessitas moralis, ex agendi difficultate ac taedio orta, foret longe maior, quam ea, quae tali lege, et metu poenae levis, per eam intentatae, oriretur. Atqui Sapientiae consilium nulli legislatori suadere potest, ut aut inutili ad finem, imo noxio, aut tali medio utatur, cuius insufficientia ipsi certo perspecta est; cuiusque effectus ut plurimum non nisi maiore malo, id est, pluribus culpis et poenis subditorum, constaret. Ergo etc. etc.

\* Probant sententiae huius patroni vulgo hanc thesin etiam ex Baianis propositionibus a Pontificibus Romanis condemnatis (25. *Omnia opera infidelium sunt peccata etc.*). At enim huius contradictoria cum sit. *Non omnia opera infidelium sunt peccata; sequitur solum, aliqua infidelium opera vel esse indifferentia, vel etiam simpliciter theologicè formaliter bona, seu per accidens* ob ignorantiam legis positivae fidei et infidelitatem negativam, *seu per se*, quod nempe talis lex obligans, ut omnia referantur ad finem supernaturalem, reipsa non detur etiam pro fidelibus, *seu quod reipsa etiam ipsi quosdam actus ante iustificationem edant ex fine supernaturali.* Iam, qui hic nobis adversantur, haud quidem admittunt actus theologicè indifferentes ceu licitos, nec tenent, infideles agere ex fine supernaturali; tenere tamen possunt, edere illos subinde actus theologicè formaliter bonos ex fine naturali; excusari vero a peccato per accidens, quod legem referendi actiones ad finem supernaturalem perinde, ac ipsam fidem Christi ignorent ob infidelitatem negativam. Qua explicatione semel assumpta, nihil ex dicta damnatione satis praecise pro thesi praesente probatur. Vnde probationis genus istud supra (374.) ex certo consilio omitto, nec isthic assumere consultum puto.

\*\* En-

\*\* Enimvero, quibus notiones sapientiae, sanctitatis, bonitatis, et iustitiae, DEI legislatoris familiares et satis distinctae in mente inhaerent, itemque notiones necessitatis moralis, difficultatis etc. etc.; eisdem demonstratio videri omnino debet, quod hoc et praec. loc. dixi. *Probat* nihilominus Clariss. D. Amort. Disput. I. de actibus Human. q. 4. Conclus. 2. existentiam legis divinae (naturalis, an positivae, non definit), obligantis omnes, ut actiones liberas dirigant ad finem supernaturalem, argumento ex SS. Scripturis, SS. Patribus, et ex ratione petito. 1.) *Ex Scripturis* allegat Ep. ad Coloss. III. 17. *Omne, quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes DEO et Patri per ipsum.* Item Ep. I. Corinth. X. 13. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* 2.) *Ex SS. Patribus* textus cumulat, atque, esse hunc communem eorum sensum. 3.) *Ex ratione* varie id ipsum urget; nempe a) hoc sine infundi Christiano homini gratiam sanctificantem, velut naturam supernaturalem, ut, sicuti in statu mere naturali non licet ei agere contra ordinem rationis: sic in statu supernaturali non liceat agere, nisi iuxta ordinem gratiae, id est, secundum finem supernaturalem. b) Servus Evangelicus, qui ex Mna sive talento suo nullum retulit fructum, ei respondentem, fuit damnatus ad tenebras exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium: ergo et poenam luet, saltem temporalem, qui nullum fructum refert ex aliqua portione sui talenti, id est, ex facultate aliqua, in casu quovis singulari agendi ex fine supernaturali. c) Deus et natura nil faciunt frustra: ergo nec Deus et gratia. d) Si non daretur obligatio semper agendi ex fine supernaturali, liceret agere ex fine solius voluptatis: atqui non licet hoc; quod sic probatur: Certum est, quod non liceat in usu operis coniugalitatis: ergo nec in ullo alio opere ob identitatem rationis, ob quam non licet discrimen facere inter voluptates ullas sensuales; eo quod omnia earum genera generale periculum sibi coniunctum habeant inordinati affectus, propter quod necesse est eas universe prohiberi, nec relinquere iudicio cuiuslibet privato, quando sint prohibendae, quando non.

\*\*\* *Verum* facilis est ad ista argumenta omnia *responsio*. Nam 1.) quod *ad textus S. Scripturae* attinet, non illi magis legem, quam consilium invitantis ad meliora quaeque, profecto exprimunt. Atqui, ut ostensum, lex DEI positiva obligans, et ad actiones omnes universe se extendens, supponi facile non debet: secus profecto aequè inferre licebit, nos lege obligari, ut omnia ex actuali motivo caritatis in DEVM et expresse propter Christum agamus; id quod certo falsum esse, paullo inferius ostendetur. Itaque revera Apostolus in illo loco Epistolae ad Coloss. et ad Corinth. non nisi consilium proposuit, quoad suadet aliquid faciendum; legem vero ad summum negativam, quoad monet, ne quid contra honorem Christi aut DEI gloriam faciamus; vel uti explicant Theodoretus et Theophylactus, ne opera nostra faciamus cum fiducia mercedis aliunde, quam per Christum recipiendae, non per legem Moyfis, aut fidem Evangelii, a novatoribus quibusdam annuntiati: quae lex mere prohibens impletur sola negativa relatione omnium operum ad finem bonum, etiam mere naturalem. Certe Apostolus etiam I. Corinth. XVI. 14. similem loquendi modum tenet dicens: *Omnia vestra in caritate fiant*, et tamen non nisi consilium inculcat, vel legem negativam, ne scilicet quid fiat contrarium caritati.

2.) *Quod ad SS. Patres* spectat; aio, nec cum doctrina Patrum, nec cum communi sensu scholarum praecipuarum Theologiae Christianae assertionem legis, de qua hic agitur, consentire. Et *inprimis* perlectis attente omnibus Patrum textibus, quos D. Amort longo sermone recitat, nullum invenio, qui vel probabiliter asserat legem referendi actiones omnes *ad finem supernaturalem*: imo nullum, qui legem ita exprimat referendi eas *omnes ad finem theologicè bonum vel naturalem solum*, ut non, salvo omni contextu, possit, imo convenientius debeat intelligi pro mero consilio; cum utique voces, *oportet hoc facere, debetis, facite hoc etc.*, non magis legem, quam consilium enuntient. Nullum item inveni usquam Patrum, qui plus ad summum asserere verisimili interpretatione videretur, quam *relatione voluntatis negativa* omnes actiones, saltem in quibus peccandi periculum praevidetur, ad DEVM ita referendas esse, ut caveatur, ne quid in ipsis Deo et fini beatitudinis nostrae contrarium admit-

admittatur (376. 377.). Ex aduerso saepe Patres aperte affirmant, infideles bene agere posse, et aliquam talium bene actorum mercedem temporalem a Deo accipere; etsi fide supernaturali ac proinde supernaturalis finis intentione careant; imo etsi in agendo de Deo non cogitent; idque affirmando nihil memorant, idem a Christianis fieri non posse; uti *S. Hieron.* in Ep. ad Galat. cap. I. et in Matth. cap. XXII. et *S. Chrysof.* hom. LXVII. ad Pop. Antioch. *S. Aug.* etiam de Christianis id apertius absoluteque affirmat Serm. LII. de temp.; qui vulgo genuinus habetur, et nunc est CCCXLIX: *Licita, inquit, humana caritas, qua uxor diligitur; illicita, qua meretrix, vel uxor aliena; - - licitam ergo caritatem habete. Humana est, sed, ut dixi, licita est; non solum autem ita licita est, ut concedatur, sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana caritate diligere coniuges, filios, amicos vestros. Sed videtis, istam caritatem posse esse et impiorum, id est, paganorum, haereticorum, Iudaeorum.* Enimvero nihil apertius dici potest tum ad asserenda consilia (359.), quibus praecise ad actiones meliores et supernaturales a Deo invitemur, tum ad negandam legem etiam pro Christianis latam, referendi actiones omnes mere physico formaliter bonas ad finem seu supernaturalem, seu theologice bonum saltem naturalem, aut ex amore puro ad DEVM: cum utique pagani et praesertim impii illi, quibuscum communem esse vult Christianis licentiam humane caritatis, non dilexerint uxores suas vulgo propter DEVM. Dum itaque idem Augustinus lib. I. de doctr. Christ. cap. 21. dicit: *Cum dixit (Devs): Toto corde, tota nima, tota mente diliges DEVM; nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat: de negativa relatione solum loqui intendit; id quod verba continue sequentia evincunt: Nullam vitae nostrae partem reliquit, quae vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus diligentis impetus currit.* Similiter *S. Gregorius M.* loquitur in hom. XXVII. in Evang. Ioan.: *Diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt.* *S. Leo M.* de Oper. Miseric. Serm. 7. de Quadrag. cap. 3. ait: *Alia est conditio operum caelestium, alia ter-*

*venorum: mundana benevolentia in iis, quos adiuvat, habet finem; quas utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturae communionem iuvando homini ab homine praeberetur; sed quia, quod non ex fidei fonte procedit, ad praemia aeterna non pervenit, alia est conditio illius etc.; at christiana pietas in summum transit Auditorum etc.: ubi quidem id genus actibus nobiscum negat rationem meriti theologici, sed non immunitatem a malitia morali positiva. Scholarum Doctores deinde communiter eam legem, de qua res nobis est, non agnoscunt. S. Thomas in 2. dist. 41. q. 1. a. 2. expresse affirmat, sine fide in infidelibus posse esse actus bonos, etsi non meritorios; eo quod sola ratio vel prudentia naturalis possit (sine fide) intentionem dirigere in aliquem finem proximum, qui ordinabilis sit in finem ultimum, etsi actu in hunc non ordinetur: et in Corp. ait ibid.: remanere in his actibus (sine merito) bonitatem aliam virtutis politicae, et ideo non oportere, quod omnis eorum actus sit malus. Porro nusquam Doctor idem Angelicus id negat fieri etiam posse in Christianis; multo minus usquam asserit legem relationis operum ad finem supernaturalem. Ex adverso autem in Lect. II. in Epist. ad Coloss. cap. III. citatum versum 17. Apostoli sic exponit: Quidam dicunt, quod hoc est consilium; sed hoc non est verum: sed dicendum erit, quod non est necessarium, quod omnia in DEVM referantur actu, sed habitu; qui enim facit contra gloriam DEI et praecepta eius, facit contra hoc praeceptum: venialiter autem peccans non facit contra hoc praeceptum simpliciter; quia licet non actualiter, tamen habitualiter refert omnia in DEVM. Quae verba sane alium probabilem et dignum tanto Doctore sensum habere non possunt, nisi quod illa Apostoli verba legem negativam expriment, vetantem, ne quid contrarium gloriae DEI faciamus: cum S. Thomas supponat, omnes actiones habitu referri ad DEVM, quae non graviter sunt contra gloriam DEI. Sed apertius eius mens relucet ex Lect. VII. in Epist. 1. ad Corinth. in loc. lic. cap. X. 31. Omnia in gloriam DEI facite. Contra: Ergo nullus actus est indifferens. Respondeo: Relatio haec in gloriam DEI intelligitur vel in actu, vel in aptitudine referendi, quae non est solum in bonis, sed etiam in indifferentibus. Aperte itaque asserit S. Doctor, lege DEI solum praecipi, ut omnes*

omnes actiones sic fiant, ut habitu, id est, aptitudine tales sint, quae non repugnent gloriae DEI, sed, accedente intentione actuali vel virtuali, mox possint referri ad DEVM. Ceterum locus ex 1. 2. q. 18. a. 9. in C., quem vulgo pro contraria mente Doctoris Angelici allegant, nisi me omnia fallant, non aliud probat, nisi nullam esse possibilem in individuo actionem, quae etiam physice indifferens sit; siquidem ibi nullo verbo mentionem facit S. Doctor de relatione ad finem theologicum bonum: cum ex aduerso actum indifferentem, de quo ait in Comment. Epist. I. Corinth. cit. loc., dicat esse talem, qui, sola accedente intentione, ex indifferente, sed tamen iam apto referri ad DEI gloriam, fiat actu bonus, utique theologicus. Interim de mente S. Thomae tractantem vide Moyam Tract. VI. Disp. II. de peccatis, q. 3. S. Bonaventura in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. sic ait: *Talis (scilicet non mala, sed indifferens) actio est, quando quis facit aliquam operationem ita, quod circa creaturam non afficitur inordinate, nec tamen illam operationem comparat ad DEVM, sed facit propter aliquem finem, qui respicit indigentiam naturae: - - - nec DEVS requirit ab homine in statu distractionis et miseriae, quod omnia, quae facit, referat ad se.* Vnde et ibidem S. Doctor verba Apostoli supra citata ex Epist. ad Coloss. etc. ait solum in sensu negativo posse haberi pro lege. Scotus in 2. Dist. 41. q. un. n. 4. sic habet: *Non tenetur homo nec tentione necessitatis, contra quam sit peccatum mortale, nec tentione minori, contra quam sit peccatum veniale, referre semper actum suum in DEVM actualiter, vel virtualiter; quia DEVS non obligat nos ad hoc.* Subscribunt huic sententiae Durandus in 2. Dist. 38. q. 4. n. 8. et plures alii apud Fontaine in Bulla Vnigenit. theol. propugn. c. 7. in prop. 44. damn. Tom. II. f. 239. Denique rationes, pro aduersa opinione allatae, profecto maxime infirmae sunt. Nam a) in primis aliud est, quod in statu mere naturali non liceat contra ordinem rationis (id est, positive moraliter male) agere, aliud, quod obligemur semper iuxta consilium rationis agere, etiam quod ad meliora invitat. Nisi ergo probetur, legem existere semper operandi ex virtute gratiae infusae, fieri poterit, ut solius executionis consilii promovendae causa gratia actualis nobis infundatur; cui tamen tunc utique



cooperari lege non obligabimur. Profecto, qui omnem omissionem cooperationis cum gratia, in praesens ad operandum data ac destinata, lege vetitam esse affirmat; is sane omnis *consilii* existentiam negat. b) Porro allegoria servi Evangelici non nisi figurate repetit argumentum praecedens; ac proinde eadem responsione solvitur. Aliud est enimvero, nullum ex talento suo fructum, aliud, non omni momento aliquem specialem referre. c) Deus sapientissime dat gratias sufficientes etiam ad ea, quae consilii sunt, sicuti ad ea, quae legis sunt. Interim si quis Dei consilium frustretur solummodo, non ideo poenam, sed praemii duntaxat subtractionem meretur. Vnde Deus quidem neutro in casu frustra, id est, nullius finis serio intenti causa gratiam dat, sed non utroque casu iisdem severis mediis, poenarum nempe interminatione, propositum sibi finem urget: secus iterum consiliis non relinqueretur locus. d) Sequela, quarto loco illata, aperte falsa est: non enim illud sequitur, sed istud solummodo, scilicet sufficere, si homo christianus agat ex fine physice saltem formaliter bono directe intento. Interim supra iam probavi abunde, in actionibus physice imperfectis sufficere, si negative referantur ad finem ultimum, saltem naturalem. Disparitas quoque inter voluptates cibi, potus, actus coniugalis etc., et inter voluptatem amoenae musicae, picturae, poematis etc. nimis est manifesta. Praeposterum denique illud legis naturae statuentis principium est, quo statuitur, ob generale periculum inordinati affectus generali lege prohiberi exercitium ipsum actionum, cum voluptate sensuali coniunctarum sine directa *relatione positiva* ad finem bonum, etiam solum naturalem: quia illud periculum evidenter satis cavetur *relatione negativa* (314. 376. 377.) explicata; et falsum quoque est, illud periculum esse aequae generale ac certum in nonnullis moderatissimis voluptatibus auditus et visus, sicuti in gustu et tactu.

\*\*\*\* *Urgent* hic praecipue quaedam dicta S. Augustini ex cap. III. lib. IV. contra Iulianum, quibus absolute asserere videtur, malas esse positive actiones omnes, utut physice bonas, nisi et referantur ad Deum seu finem ultimum, et simul fiant ex fine supernaturali, seu

seu per fidem Christi dirigantur. Cum enim sub finem n. 17. (in Edit. Maur.) dixisset: *Cum non ad suum Auctorem referuntur dona DEI, hoc ipso mali his utentes efficiuntur iniusti*; deinde n. 21. subdit: *Noveris, non officis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes: officium est autem, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est.* Cum itaque facit homo aliquid, ubi homo peccare non videtur; si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. - - - *Veras virtutes DEO servantur. - - - Quidquid autem boni fit ab homine, et non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto sine peccatum est.* Denique ipso in ingressu citati capituli III. n. 1. tanquam certum dogma praemittit: *neminem recte vivere, nisi ex fide per IESVM Christum.* Verum respondeo: S. Augustino toto illo capite propositum esse refutare argumentum Iuliani, negantis, *DEI dona esse virtutes, quibus recte vivitur, et eas naturae voluntatique humanae, non gratiae tribuentis* (vide cit. cap. n. 1.); qui errorem suum istum inde defendere conabatur, quod eas virtutes non nunquam habeant infideles, ita volens evertere, quod ibidem S. Augustinus profiteretur, videlicet *neminem recte vivere, nisi ex fide per IESVM Christum*; item singillatim, *pudicum non veraciter dici, qui non propter DEVM fidem connubii servat uxori.* Ex istius iam propositi intentione S. Pater I.) n. 16. affirmat, etiam dona naturalia ingenii et melioris indolis ac temperamenti ad virtutem aptioris, et quaecunque in homine gentili dicuntur virtutes, dicenda esse *dona DEI.* 2.) Negat n. 17., esse in eis, aut in aliquo homine quocunque, *verum virtutem, nisi fuerit iustus; nec vere iustum esse quemquam posse, nisi vivat ex fide*, affirmat. Secus enim, ait, *si eis (infidelibus) tribuerimus veram iustitiam, nihil erit causae, cur non eos ad regnum (caelorum) pervenire dicamus, ac verissime dictum iri: Si per naturam voluntatemque iustitia; ergo Christus gratis mortuus est. Porro si veram iustitiam non habent impii; profecto nec alias virtutes comites eius et socias, si quas habent, veras habent: quia, cum non ad suum referuntur Auctorem dona DEI, hoc ipso mali his utentes efficiuntur iniusti.* Iam vero quis ex istis non intelligit, S. Augustinum hic non loqui, ac ne ullo quidem pacto cogitasse de lege obli-

obligante fideles Christianos, ac etiam ipsos iustos, ad actiones singulas positive referendas ad DEVM, et quidem actu supernaturali? *Negat* is quidem, in ethnicis ob officia quaedam bona, quae exercent, veras esse virtutes; ait, eos effici iustos etc.: sed non vult hoc ideo evenire, quod eos actus officii boni non referant ad DEVM singillatim; sed quia nullo actu theologicè bono, ac praesertim nullo supernaturali, se unquam convertunt ad DEVM, recipiendo fidem IESV Christi. 3.) Post haec n. 19. aperte explicat, quid ipse intelligat per nomen verae virtutis. *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quae in Christo est, vera promittit, nihil profunt homini virtutes; nullo modo verae possunt esse virtutes.* Amabo! an ex his recte inferes, actiones singulas, quae non profunt ad meritum beatitudinis, fore hoc ipso peccata totidem, legi divinae et beatitudini contraria, etiam in homine fideli? 4.) At, *inquis, Augustinus dicit n. 21., peccariae ipsa actione, quam in gentilibus negat esse veram virtutem.* *Resp.* Augustinum nusquam dicere, ideo praecise peccare in talibus actionibus, quia eas non positive referant ad DEVM, vel ad finem supernaturalem; tum vero priusquam istiusmodi utcunque in speciem adversae opinionis faventia proferat, toto numero 18. 19. et 20. ostendere, quos vulgo in gentilibus vocamus actus virtutum, ab eis suscipi ex imperio alicuius vitii et ex fine vitioso, uti cum se continent, ut eo feliciter contentant in agone, ex vana videlicet gloriae cupiditate; cum prudenter administrant pecuniam ex cupiditate lucrari etc.; et fortiter, iuste, ac temperate agunt ex avaritia; tumque concludit: *virtutes, quae carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis temporalibus, non autem Deo serviunt, veras virtutes esse non posse;* id est, tales, quae ad veram beatitudinem profunt (n. 19. supra). Vnde cum n. 21. in fine dicit: *Quidquid non fit propter hoc, propter quod fieri debere vera sapientia praecipit, ipso non recto sine peccatum est;* sine dubio de eo loquitur, quod sine positive non recto, id est, ex fine positive malo fit; siquidem continuo n. 22. assertum suum probat exemplo eius, qui subvenit periclitanti innocenti, sed ita, ut *gloriam hominum magis, quam DEI amans* hoc faciat. Addit n. 30. hanc obiectionem, sibi a Iuliano motam:

Si

Si gentilis nudum operuerit, nunquid, quia non est ex fide, peccatum est? Cui reponit S. Pater simpliciter: *Prorsus, in quantum non est ex fide, peccatum est; verum pergit porro: Non quia per se ipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.* Vbi vides, supponere S. Patrem, gentiles talia misericordiae opera semper ex vanae gloriae motivo ac sine facere, et ideo peccare. In quo verum, an falsum supponat, non est pugnare huius loci et instituti. Rectissime itaque S. Augustinus dixit, *primo* non esse in ethnicis veras virtutes, quae ad beatitudinem consequendam profunt; quia ad hanc non profunt nisi actus supernaturales, in fide Christi fundati: *secundo* eos peccare, sed non utique in singulis actionibus, sed *habitu* peccatores esse, quia *nunquam* positive ex recto fine agunt, atque idcirco nec se disponunt ad recipiendam fidem dispositione negativa; *tertio* eos saepe peccare etiam in iis actibus, qui speciem officii boni seu virtutis habent; quia ex malo fine operantur. Verum ex his omnibus ne utique sequitur, S. Augustinum contentum non futurum fuisse, si fideles saepe agant ex fine supernaturali positive intento; aliquando tantum negative referant actiones suas ad DEVM; aliquando in actionibus mere physice bonis, et theologice indifferentibus sistant; ita saltem, ut eos a legis divinae violatione liberos pronuntiaret. Talis profecto S. Augustini mens ex locis annot. praec. citatis colligi aperte videtur. Interim locus iste Augustini Baio praecipui argumenti occasio fuisse videtur, ex quo pravam opinionem suam firmare adnitebatur, qua tenebat, *omnia opera infidelium esse peccata, et virtutes Philosophorum vitia esse.* Nam eo loco in lib. II. de virtut. impiorum praecipue utitur, et cap. 5. negat, ideo a S. Augustino negari virtutes infidelium veras esse, quia non salvant; et affirmat, ideo id teneri ab Augustino, quia hoc ipso vitia sint, et damnent, quod fiant sine fide. Attamen veram esse Augustini mentem eam, quam dixi, legenti tum istum locum Augustini, tum Sermonem LII. de tempore, supra citatum, fat fiet manifestum. Vide de his Cardin. Aguirre in Theol. S. Anselmi. Disp. 139. Sect. 3. seqq. et P. Fontaine in Constit. *Vnigenitus.* Theol. propugn. ad prop. 44. et

et 47. Et vero post damnatas a Pio V. et Gregorio XIII. sequentes Bani propositiones, 25.: *Omnia opera infidelium sunt peccata, et virtutes Philosophorum sunt vitia*; 27. *Liberum arbitrium sine gratia DEI non nisi ad peccandum valet*; 30. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, id est, quod ex naturae viribus ortum ducit, agnoscit etc.*; post damnatas, inquam, propositiones istas, earumque damnationem ab omnibus Ecclesiis Catholicis receptam, profecto nemo sine iniuria istas S. Augustino imputare potest; malimque dicere, S. Augustinum non adaequate Iuliano respondisse, quam id genus certos, atque rationi aequae ac Ecclesiae doctrinis adversos errores propugnasse. Siquidem paucioribus utique solvi Iuliani argumentum poterat, dicendo: virtutem infidelium vulgo non nisi physica, nulla autem, aut raro saltem, bonitate theologica constare; et, tametsi et ista ex dono Dei (naturali, vel supernaturali, actuali certe, non habituali) proficisceretur, tamen ad salutem non sufficere, et cum peccato habituali semper consistere, quamdiu sua culpa luminis fidei expertes manent; imo saepe in illis actus virtutis naturalis videntur ob primum finem, ex quo fiunt, in vitia converti. Haec sane, salvis iis, quae supra de actu theologice formaliter indifferente et de sufficiente relatione negativa virtuali actuum physice imperfectorum ad finem ultimum theologice bonum, tradita sunt, reponi cuius, Pelagianos errores illo Iuliani argumento tuenti, adaequati responsi loco possunt. Neque enim quisquam catholicus huc usque defendit, id genus actus theologice indifferentes nomen verae Christianae virtutis, et sufficientis per se ad aeternam salutem, promereri. Quin pro certo tenemus, lege naturali, seu connaturali statui Christiano, Christianos omnes obstringi ad supernaturales actus directae illius intentionis finis creationis ultimi saepe eliciendos, de qua supra (373.) legem mere naturalem, ad actum eiusmodi naturalem obligantem, vel in ipso statu mere naturali, iam demonstravimus: qui actus supernaturales cum sine fine supernaturali elici non possint, qua divinis revelationibus praecipuis (supernaturalis praemii ac beatitudinis promissa a Deo facta, uti et largiendorum sufficientium ad hoc mediorum supernaturalium, nobis proponentibus) firmissime adstipulemur; certissimis aliis legibus, item in  
hoc

hoc Christiano morali statu connaturalibus, nos teneri certum habemus ad actus supernaturales fidei divinae, et spei, in DEI fidelitate repositae, eliciendos; quibus deinceps ad elicienda quam efficacissima desideria illius supernaturalis, nobis a DEO promissae beatitudinis, habituali virtute in quotidianos nostros actus liberos influentia (loc. cit.), ulterius disponamur.

§. V. AN IN PRAESENTE STATU MORALI CHRISTIANO, EXISTAT LEX NATURALIS FIDEI, SPEI, ET AMORIS DEI SUPERNATURALIS; ET AN EIVS OBLIGATIO SE EXTENDAT AD ACTIONES OMNES LIBERAS PERAGENDAS UNIVERSE EX MOTIVO CARITATIS DEI.

384.

**C**aritas DEI pura, est constans et efficax amor complacentiae de infinita et absolutissima perfectione DEI omnisque eius voluntatis, imperio suo efficaci movens, ut secundum cognitionis nostrae gradum actiones nostras liberas conformemus tum ipsis divinis perfectionibus, tum sanctissimae DEI voluntati. *Caritatis DEI substantialis perfectio* consistit in tam efficaci imperio (61.), ut istius virtute nulla malitia morali graviore voluntas nostra in suis actionibus libere unquam a DEI optimi similitudine et voluntate recedat; *accidentalis perfectio* autem illud superaddit efficaciae imperii caritatis, ut ne leviori morali malitia positiva, imo (qui *supremus est gradus perfectionis*) ne quidem negativa (297. 298.), a DEI infinite perfecti similitudine et sanctissimae voluntatis eius placito recedatur. Caritas DEI etiam dicitur *amor purus DEI*, quatenus est affectus primitivus, nec imperatus ab amore concupiscentiae (74.).

385. Amor

## 385.

*Amor DEI non purus, seu concupiscentiae, est desiderium efficax fruitionis DEI, ceu boni nostri finalis intrinseci; cuius item substantialis perfectio consistit in tam efficaci imperio in alias actiones liberae voluntatis, ut virtute istius libera voluntas neque necessarium ad illum finem medium averfando omittat, neque male appetendo, quae eidem graviter contraria sunt, impedimentum illi ponat: accidentalis autem perfectio eam imperii praedicti efficaciam extendit ad ea quoque omittenda, quae fini praedicto contrarie leviter opponuntur: summus denique gradus perfectionis est, si virtute eius imperii voluntas libera arripiat omnia media augendae beatitudinis, et devitet omnia impedimenta augmenti istius, etiam mere contradictorie opposita.*

## 386.

*Evidens est, lege naturali, de qua 373. actum, constantem habitualement vel caritatem DEI, vel amorem DEI concupiscentiae cum omni perfectione saltem substantiali, eaque graviter obligante, nobis praecipere; imo et eam accidentalem eius perfectionem levi saltem legis obligatione nobis praecipere, quae se extendat ad vitanda impedimenta, fini ultimo fruendae beatitudinis contrarie (etsi leviter solum) opposita. Patet ex loc. cit.: siquidem habitualis illa, directa finis ultimi theologicæ boni intentio non est, nisi vel appetitio habitualis beatitudinis, id est, fruitionis DEI, seu ut boni in se et ex vi complacentiae in Deo perfectæ, vel ex imperio amoris concupiscentiae et ex eo, quod illa beatitudo nobis bona, seu nostrum bonum esse cognoscatur (121. 122.).*

387.

I. Evidens est, amorem DEI concupiscentiae cum habituali illa efficacia, perfectioni suae substantiali debita, spectata morali necessitate, ad malum morale et infima sensuum bona mere apparentia tam potenter abstrahente, constanter conservari non posse, nisi frequentatis saepius per intervalla caritatis DEI, purique amoris complacentiae, satisque efficacis, actibus habitus quidam istius caritatis DEI et acquiratur, et in sua efficacia conservetur: siquidem iam in Psychol. 256. ostensum est, amorem concupiscentiae non nisi a duplici amore complacentiae, ceu affectum derivativum a primitivis, imperari posse. quorum unus sit amor efficax complacentiae de ipso bono, quod quis sibi concupiscit, id est, de fruitione DEI, ceu bono nostro summo finali. Atqui non potest amor complacentiae de fruitione DEI, ceu bono nostro, esse satis praedominans & efficax ad quasvis difficultates vincendas in consecrando bono illo; nisi DEUS ipse secundum se, quo frui turi sumus, cum substantiali saltem perfectione amoris complacentiae frequenter a nobis ametur. *Evidens itaque est, lege naturali divina homines obligari ad actus non solum amoris non puri, sed etiam ad actus puri amoris et caritatis DEI per intervalla frequentandos, tanquam media necessaria ad finem ultimum et absolute consequendum, et conservandum consentientem cum illo habitualement statum mentis (358. 373.).*

388.

II. Et quoniam sine certa notitia et credulitate de praecipuis quibusdam dogmatis seu veritatibus, puta, de divinis perfectionibus, quibus

*Stattler Eth. christ. univers.*

A a

mun-



mundi ac generis totius humani in ordine ad finem ultimum gubernatio determinatur, de alterius vitae praemiis et poenis, horumque aeternitate, ac supernaturali indole &c. &c. (quae *dogmata fundamentalia moralitatis* in genere deinceps vocabimus; quatenus sine ipsorum notitia nullus homo sufficientibus motivis, constanter agendi bene moraliter, praeditus esse potest); quoniam, inquam, sine certa et vivaci notitia ac firma credulitate horum dogmatum fundamentalium moralitatis, ceu ob defectum motivorum sufficientium moralium, nemo hominum fatis impellitur seu ad ipsos actus amoris DEI, puri, vel non puri, cum debita efficacia conformiter naturali legi (praec.) eliciendos, neque ad cavendos actus positive moraliter malos, lege naturali prohibitos: idcirco *evidens est, actus firmae ac vivae credulitatis de dogmatis fundamentalibus moralitatis esse medium necessarium ad finem ultimum consequendum, et ad conservandum consensum habitualem mentis cum eodem; ac proinde frequens istorum actuum exercitium lege naturali praeceptum esse omnibus.*

389.

In *Demonstratione Evangelica* Cap. II. Art. III. 40. ostendi, solum communem naturae sensum nimis obscurum, ac, spectata naturali praecivitate ad malum morale, et inter tot adversa errantium dogmata et publica prava exempla contraria, prorsus insufficiens criterium dogmatum fundamentalium moralitatis pro communi hominum vulgo esse; item multo minus capax esse commune hominum vulgus, multoque maximam istorum partem ad demonstrationes illorum capiendas; atque idcirco moraliter fuisse necessariam

riam DEI revelationem de eisdem (ibid. 59. seqq.), eamque actu factam esse divinitus per Iesum Christum (ibid. cap. V. et VII.). *Itaque etiam tum fides, divinae huic revelationi per Iesum Christum factae firmiter praestita de veritate absoluta dogmatum fundamentalium moralitatis* (praec. 242. 248.), *tum eius frequens repetitio, et medium necessarium vulgo est ad finem ultimum, et istiusmodi actuum fidei divinae frequens per intervalla exercitium lege naturali est omnibus praeceptum* (praec. ). 2.) Et quoniam sola cognitio naturalis qualiscunque dogmatum fundamentalium moralitatis, non ex DEI revelatione hausta, propter obscuritatem suam vulgo nec satis viva, neque efficax est ad movendos homines ad legem amoris DEI puri ac non puri observandam, sicuti nec ad observandas omnes leges prohibentes; idcirco *neceffe est ad finem ultimum, et DEI lege naturali praeceptum, ut tum amorem concupiscentiae, quem vulgo amorem spei vocant, tum caritatem DEI, secundum propria sua motiva, per divinae revelationis atque fidei lumen proposita, omnes homines Christiani frequenter eliciant.*

\* Ecce tibi demonstrata fidei, spei et caritatis theologicae supernaturalis naturalia praecepta! Sine dubio praevisa generalis insufficientia luminis naturalis ad dogmata fundamentalia moralitatis, cum sufficiente efficacia et vivacitate hominibus universe proponenda, infinitae Dei benevolentiae pro motivo fuit, ut (quod Christiana religio docet, et in *Demonstratione Catholica*, ostendi) ut, inquam, lege absoluta positiva omnibus adultis hominibus universe pro medio salutis absolute necessario fidem, spem, et amorem DEI supernaturalem, et pro ipsis parvulis necessitatem Baptismi, constitueret. Istiusmodi enim legis, primo intuitu satis severae, reipsa autem cum divina benevolentia convenientissimae, remedio DEUS optimus maximus tum fidei in IESUM Christum praec-

dicationem, tum istius ope vivacem satis, efficacemque, fundamentalium moralitatis dogmatum in omnibus hominibus diffusam notitiam, atque istius ope summum illum gradum communis boni ac salutis aeternae quam efficacissime promovit; ita quidem, ut, ubi obscure solum tuentibus DEI Iustitiae rigor aliquis severus deiicere animum solet, ibi maxime rem intimius scrutanti summus divinae erga universos benevolentiae excessus, omni adoratione, et amore, et adgratulatione dignus se offerat.

\*\* Verum non omnes, etiam ex doctissimis cetera Christianis, ita in bonitate de DEO sensere, et sentiunt hodie; sed leges naturales multo severiores, et fragilitati humanae generali minime consentaneas, DEO affingunt. Etenim *Michael Baius*, Doctor Theologiae Lovanii an. 1550., ac postea Universitatis ibidem Cancellarius creatus, an. 1565. Tractatum edidit *de virtutibus impiorum*; quo nomine infideles intelligens, docebat, *omnia istorum opera esse peccata et virtutes philosophorum esse mera vitia*. Porro hanc doctrinam, ceu corollarium, deducebat ex alio axioma suo fundamentali, quod erat sequens: *Omnis amor creaturae rationalis, omnisque eius actio deliberata, aut laudabilis Dei caritas est, aut vitiosa concupiscentia mundi, aut carnis*. Sensus proprius huius axiomatis est; omnem liberam actionem, non imperatam a DEI caritate, esse intrinsece et obiective malam, et idcirco lege DEI naturali prohibitam, ac proinde verum peccatum: quapropter, cum infideles, DEI veri notitia destituti, utique ex caritate nihil agere soleant, omnia eorum opera esse positive mala. Has doctrinas, ceu e S. Augustini libro IV. contra Iulian. cap. III. (loc. supra cit. 383. not. 3.) excerptas, ex Baii schola deinceps defendendas suscepere *Iansenius Trensus* Lib. IV. de Statu naturae lapsae, et huius praecipui quique affectae, uti *Quessnellus* in Reflexion. Moral. &c. &c. Hos itaque si audiamus, lege divina naturali omnes homines obligantur, ut actiones suas omnes deliberatas referant ad DEUM, id est, ad similitudinem cum eius perfectionibus exigant, et quidem non ex alio, quam formali motivo caritatis. Hoc ni fiat, peccari saltem omissione per-

perfectiois alicuius praeceptae; tametsi cetera actio qualicunque polleat physica, vel etiam theologica bonitate inferioris ordinis: ex aduerso actiones nullas verae virtutis mereri nomen, nisi elicitas ex imperio caritatis: si alienae miseriae succurras ex caritatis in DEUM imperio, vocari eam virtutem *misericordiae*; si ex eodem imperio colas DEUM externe, agas iuste, fortiter, temperanter &c. fore virtutem *religionis, iustitiae, fortitudinis, temperantiae &c.*; secus autem non fore, nisi philautiam, sui, ac mundi vitiosum amorem, si talis motivi imperium absit. Quid quod ipsam fidem ac spem a ratione verae virtutis excludebant; nisi a caritate imperentur.

\*\*\* Sunt vero etiam ex Orthodoxis Theologis, qui, tametsi forte non absolute defendant, obligari homines lege naturali ad actiones omnes ex motivo caritatis peragendas, negant tamen, in infidelibus esse veras virtutes, eo quod, quascunque bonas patrent actiones, ad DEUM nullo pacto referre soleant, aut certe, si quas subinde revera ad DEUM referant, id quidem non sine *supernaturalis* gratiae influxu, attamen ob defectum fidei et status gratiae nullo ad aeternam salutem fructu, fieri. Ita sentire videntur *Gregorius Arimin.* in II. Dist. 26. q. 1. *Caspar Casalius* Lusitanus Episcopus Leitenis, in tractatu an. 1562. edito de quadripartita iustitia L. I. cap. 21. et seqq. *Cardinalis Norisius* in Vindiciis Augustinianis cap. III. §. 4., ubi ait: Scholasticos plerosque, admittendo in infidelibus veras virtutes ex folis arbitrii viribus, a S. Augustini sententia recessisse, nec nisi iuxta Aristotelis Ethicam de virtutibus disputasse; cum S. Augustinus contra ex SS. Literis et altiore Theologia suam derivasset sententiam. His ceteri Augustinianae scholae Doctores vulgo adstipulantur.

\*\*\*\* Sunt denique, Cl. Tournelyo teste (de gratia Q. IV. art. II.), qui distinguunt inter *infideles quosdam*, qui, omni veri DEI notitia plane destituuntur, & *alias*, quibus, licet a Christo alienis, allucet tamen aliqua verae religionis naturalis notitia; quive inde quaedam legis naturalis praecepta ex honesto et laudabili fine observant; e. g. quia DEO inde se placituros, aliquod-

ve ab eo praemium inde relatueros confidunt. In istis non omnia opera esse peccata fatentur: sed priores secundum Augustinum semper pravo fine ac philautiae vitio operari et peccare contendunt. Enimvero hae Orthodoxorum doctrinae facile ad certam veritatem et consensum revocari poterunt, si negativam malitiam quamcumque a positiva (12. 125.), et physicam bonitatem a theologica rite distinguas, et opinionem illam seponas, qua alii actiones mere physice formaliter bonas, theologice autem formaliter indifferentes, nimia liberali asserto et citra rationem ullam sufficientem peccata, id est, *positive moraliter malas*, et idcirco lege naturali prohibitas, dixere. Quippeni enim infideles, etiam omni veri DEI notitia destituti, actum mere physice formaliter bonum exercere potuerint etiam sine gratiae DEI *supernaturalis* auxilio; sed solum ex dono DEI quodam *naturali*? ex. gr. cur non fortiter pati belli molestias amore patriae, esse iusti, ac misericordes erga miseros, potuere ex eo solo motivo, quod id deceat hominem ex consilio rationis; quia vanam inde gloriam captarent? Si Christiani hoc possunt, et saepe faciunt ex his ii, qui ad DEUM referre omnes actiones suas assueti non sunt; cur non et gentiles potuerint? Certe Christiani in id genus actionibus de DEO tam parum, quam gentiles cogitant. Profecto S. Augustinus, etsi loco supra 383. citato (nimirum lib. IV. contra Iulian. Cap. III. n. 19.) tales infidelium actiones bonas dicat quoque esse dona DEI, tamen non dicit esse gratias supernaturales, sed solum naturalia dona; qualia et vocat bonum ingenium, bonum temperamentum, indolem moderatam &c. &c. Talis saltem actio, tametsi *peccatum*, lege divina prohibitum, non sit, tamen nec vera virtus est; quae scilicet hominem formaliter perficit in ordine ad finem ultimum creationis: siquidem ad hanc requiritur, ut ratione meriti theologici et bonitate aliqua formali theologica polleat, sicque medium illius finis evadat, a quo tamen id genus actiones theologice formaliter indifferentes longe absunt (318. I.). Quippeni insuper homines quidam infideles et a Christo alieni, sed aliqua tamen veri DEI et religionis naturalis notitia imbuti, ex. gr. *obstetrices Aegyptiae*, quae a Pharaone Exod. I. 15. seq.

15. seq. iussæ fuere suffocare omnes masculos Hebraeorum in ipso ortu; quippeni, inquam, istæ ex ea, quam ex familiari usu Hebraeorum hauserant, DEI veri notitia et timore (ut Scriptura loquitur: *Timuerunt DEUM*) sperantes quoque, se placituras inde DEO, et aliquod ab eo præmium accepturas, misericordiam parvulis Hebraeorum exhibere, eosque ex hoc motivo, insuperhabito iniusto Regis Pharaonis iussu, in vita conservare potuere? Enimvero nec ista misericordia adhuc ad perfectæ virtutis gradum attingebat: quis tamen negare ausit, vera bonitate aliqua etiam theologica eam fuisse insignitam, cuius motivum DEI timor et spes aliqua præmii a DEO, omnium bonorum remuneratore, accipiendi extiterat? Enimvero nondum actio illa ab obstetricibus fortassis referebatur positive ad finem ultimum beatitudinis ipsius a DEO in vita altera consequendæ: attamen, teste ipsa Scriptura, ab eis referebatur negative ad DEUM, cavendo, ne illi displicerent, et iram eius in se concitarent; et idcirco merito congruo promeruerunt, ut Deus ipsis vicissim temporalis præmii largitione beneficeret, et *aedificaret domos*. Exod. I. 20. Interim hoc ipso, quod DEO ipsimet præmio saltem temporali digna visa hæc obstetricum actio sit, quis ausit dicere, eam aut non fuisse bonam physice, et theologice quoque aliquo saltem pacto formaliter, aut, eo quod ex timore potius ac spe, quam ex caritate DEI suscepta fuerit, omnino fuisse peccatum, DEI lege naturali prohibitum? Certe S. Augustinus Lib. contra mendacium. cap. 15., etsi fateatur, eas obstetrices in eo peccasse, quod post illam misericordiam, Hebraeorum parvulis exhibitam, ad iram Pharaonis declinandam Regi mentiti fuerint; tamen ipsam misericordiam illam DEO placuisse, et præmio dignam fuisse visam fatetur, dicens: *Non est in eis remunerata fallacia, sed benignitas; benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Porro illa quaestio mere scholastica nihil isthuc quidem attinet, an sine, an vero non nisi cum gratia supernaturali id boni moralis patnaverint, ac patrare potuerint, quod reipsa patrare infideles quicumque: modo concedas bonum fuisse, etsi non ex imperio caritatis patratum fuerit. Vide Berthium Lib. XVIII. cap. II. & III.

que duplici asserto sequenti litem componi plane existimo.

390.

*Dantur actiones liberae, non positive moraliter malae (sed solum negative, id est, minus bonae), quae non fiant ex imperio caritatis DEI.* Tales sunt actiones physice formaliter bonae et theologice formaliter indifferentes (307. 363. IV.); item quae imperantur ab amore concupiscentiae, et fiunt cum directa intentione beatitudinis, ut nobis respective bonae (385. 123.). Cum enim DEUS ipse amore benevolentiae nobis eam velit; profecto eam nobis appetendo, DEO conformiter, ac proin theologice formaliter bene, etsi non optime, agimus.

\* Nondum definitio, utrum actiones omnes, ab amore concupiscentiae imperatae, aut aliae quaecunque formaliter utcunque theologice bonae, attingant ad rationem verae virtutis: quippe hac de re infra exactas regulas daturus, atque etiam ostensurus sum, quid virtus philosophica, theologica naturalis, et Christiana supernaturalis, inter se differant. Sufficit hic stabilivisse, aliquid esse medium inter actiones a caritate DEI imperatas (quae sine dubio habitu suo ad veram virtutem pertinent, seu naturalem, seu supernaturalem), et inter peccatum seu actionem positive moraliter malam. Quodsi adversarius quisquam cum Lutero et Protestantibus Moralibus Philosophis *peccatum* dicere malit omnem actionem non summe perfectam; nihil istiusmodi in praesens nos moratur; sed alibi abunde his respondebimus.

391.

*Non tenemur lege naturali omnes liberas actiones exercere ex motivo caritatis.* Neque enim ista frequentia continua actuum caritatis per se medium necessarium est ad habitualementis cum fine  
ulti-

ultimo consensum bonum conservandum; siquidem ad hoc sufficit habitualis illa directio negativa, de qua (373.): neque necessaria est ad beatitudinem ipsam, ceu finem ultimum, merito theologico proprio absolute consequendam; quia tanta meritorum frequentia requiritur quidem ad maiorem, imo maximum possibilem illius gradum promerendum (243.), non tamen ad beatitudinis substantiale meritum simpliciter; quod utique per actus tales, etiam per certa solum intervalla (secundum legem naturae 387. demonstratam) frequentatos, habetur. Ergo nulla suppetit ratio sufficiens in natura seu hominis, seu actionis liberae universe, seu ipsius DEI, cur *lege naturali positiva praecipere* DEUS teneatur, ut omnes ac semper eliciantur ex imperio caritatis. Sed neque actiones liberae propter solam omissionem motivi caritatis sibi coniunctam natura sua fiunt positive moraliter malae, ita, ut idcirco debeant sub tali negativa sua determinatione omnes a DEO *lege naturali negativa prohiberi*. Etenim, ea etiam deficiente perfectione motivi caritatis, adhuc possunt habere, et passim habent, bonitatem imprimis physicam formalem (307.), imo sine imperio caritatis possunt esse theologice bonae formaliter, si imperentur vel a DEI timore (uti omnes omissiones actionum positive malarum, aut observationes legum positivarum obligantium ad actus iustitiae et caritatis erga alios homines; quae omnes honoratione DEI practica constant 201.), vel ab amore DEI concupiscentiae solummodo (385. 386.): ac proinde tantum sunt negative malae, id est, se melioribus solummodo contradictorie oppositae (125.); id quod sufficit quidem, ut DEUS consilio ad eas, imperio caritatis magis perficiendas, invitet (359.); non autem, ut lege



naturali urgeat (360.). Ergo nulla tenemur lege naturali &c. &c.

*Adde.* Auctoritas Scripturae, secundum receptam interpretationem SS. Patrum intellectae, prorsus confirmat fundamentum istius thesisi, loc. praec. stabilitum, videlicet posse quid agi, vel omitti libere, conformiter legi DEI naturali, ac proin moraliter bene, aut saltem non positive male, quin id agatur, vel omittatur ex motivo vel imperio caritatis in DEUM. Etenim Apostolus ad Romanos VII. 14. ait: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt.* Ubi scopus Apostoli est, ostendere Iudaeis necessitatem fidei in Christum, et gratiae per hunc obtinendae, vetatque, ne confidant in sola lege et operibus ei conformiter factis, atque idcirco se praeferant infidelibus, ceu soli digni essent gratia fidei: aitque porro, etiam infideles, qui legem Moysis non habebant, tamen saepe ductu rationis naturalis fecisse aliqua conformiter legi naturali. Atqui (iam argumentari licet) non observarunt infideles isti naturae legem ex imperio caritatis DEI; siquidem istud verisimile non est: ergo sine interventu caritatis potest dari actus conformis, vel certe non difformis, legi naturali. Atque sic quidem interpretantur *Tertullianus* Lib. de Corona Milit. cap. 6., *S. Ambrosius* Ep. alias 41, nunc 73. ad Iren., *S. Hieronymus* in cap. 24. Isai., *S. Chrysostomus*, *Theophylactus*, et *Oecumenius* in Ep. ad Rom. cap. cit., et admittit *S. Augustinus* Lib. de Spirit. et lit. cap. 27. et 28. concludens: *Sicut non impediunt a vita aeterna iustum quaedam peccata venialia, sine quibus haec vita non ducitur; sic ad salutem aeternam nil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cuiuslibet pessimi hominis inve-*

*invenitur.* Tametsi ipse eodem libro cap. 26. (et cum illo, ut solent, SS. Prosper, Fulgentius, et Anselmus) verba illa Apostoli intelligat de gentibus, iam ad finem Christi conversis; ut scilicet commodius solveret Pelagianorum obiectionem, qui ex eodem loco probabant, totam legem ab infidelibus sine gratia Christi solis liberi arbitrii viribus posse observari. At enim Apostolus ait, *gentes, quae legem, revelatam scilicet, non habent, naturaliter* (id est, naturali lumine docente) *facere, quae legis sunt:* atqui gentes iam conversae utique iam lege, revelata a Christo, erant edoctae. Sed neque dicit idem, *gentes implere totam legem naturaliter, sed solum aliqua facere, quae legis sunt.* Ergo communior illa interpretatio, quin Pelagiani inde quid lucrentur, tuto admitti potest, ceu quae et scopo Apostoli conformior est. *Adde* Baianarum propositionum condemnationem (389. n. 2.), a tribus Pontificibus Romanis, Pio V., Gregorio XIII., et Urbano VIII. factam, et rursus ab Alexandro VIII. prop. 8. inter 31. damnatas confirmatam an. 1690. Circa quam ratione notae 1. (383.) advertit, quod, cum ambae propositiones Baii, 389. not. 2. relatae, damnatae sint; recto ratiocinio concludatur haec propositio: *Aliqua infidelium opera non sunt vitiosa, etsi a DEI caritate non imperentur.* *Accedit* Canon 7. Sess. VI. Concilii Tridentini: *Siquis dixerit, opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vera esse peccata etc. anathema sit.*

\* *Pugnant vero contra hanc thesin 1.) varia rationes.*

a) Actio. quae non refertur ad DEVM, est intrinsece mala; quia non exigitur ad normam suam unice rectam, seu quae unicum est. rectitudinis principium.

b) Talis actio est acquiescentia in bono obiectivo  
mere

mere creato; est fruitio boni creati, seu finis ultimi. c) Amare hominem, nisi propter DEVM fiat, inordinatum est, et rectitudine caret: ergo a fortiori amare rem aliam non propter DEVM. d) Etiam agere ex amore solo concupiscentiae (385.) malum est; quia per illum quis acquiescere desiderat in beatitudine formali, seu bono suo obiectivo finali ultimo, et non in DEO, ut bono obiectivo, per istam ipsam formalem beatitudinem (121.); item quia sic DEI fruitio referretur adhuc ulterius ad hominem, ita, ut talis sibi duntaxat, non DEO bene vellet. *Summa enim perversitas est* (teste Augustino lib. LXXXIII. Quaest. q. 3.), *frui utendis, et uti fruendis.* Ergo a fortiori malum est, ne quidem ex motivo amoris concupiscentiae, in DEVM referre actiones. e) Qui agit ex amore concupiscentiae, prius amat se ipsum, quam DEVM, id est, ex imperio amoris proprii amat DEVM: atqui hoc inordinatum est, ut amor proprius imperet, ac dominans affectus sit, et DEI amor imperatus veluti eidem ferviat; oriturque certum periculum, ut, illo invalescente, DEI amor omnino cedere debeat affectui erga creaturas. *Respondeo*: haec omnia duo solum probare, videlicet *primo*, omnem actionem, quae non fit ex imperio caritatis, esse minus bonam, adeoque negative malam, seu tantum negative rectam (2.): *deinde* nisi animus habituali saltem intentione, 373. praescripta, probe praemunitus sit, facillime contingere, ut actiones, quae actu omni formali relatione ad DEVM vacuae sunt, fiant positive malae, affectu voluptatis creatae facile ultra recti metas exerrante; quod ipsi (375. et seqq.) praemonuimus. Minime vero ex his argumentis rite probatur, omnes actiones, a caritate non imperatas, esse positive malas, fini ultimo positive contrarias, atque idcirco lege DEI negativa prohibitas, istoque ipso nomine *peccato* obnoxias (nam istud quidem nos per *peccati* nomen cum universis SS. Patribus Christianae Ecclesiae intelligimus; non autem cum Philosophis Moralibus Wolfianis omnem actionem minus intrinsece bonam opposita; nec solum iudicium rationis enuntians istam oppositionem pro *lege*, sed pro mera *regula* nondum obligante, habemus): neque enim convenire cum DEI bonitate summe benevola, certi

certi sumus, ut hominem (insuperhabita istius innata ad omne verum bonum imbecillitate) intentatis continuo alterius vitae *poenis positivis* (positivis, inquam; nam mera negatio maioris beatitudinis poenae rationem non habet 163.) ad optimum, et ad summae perfectionis exercitium perpetuum impellat; cum fini ultimo, id est, summo bono cummuni, consilia et invitationes per promissa praemia maiora, longe aptius conveniant, ac sola deceant benevolentiam DEI infinitam: quippe quae sola necessitate adduci ad poenas intentandas potest (358. 359. 360.). Vnde *ad a) resp.* Actio nihilominus potest esse *physice* recta, et materialiter theologice, imo etiam theologice formaliter, etsi non fiat ex caritate; nimirum si referatur negative ad DEVM ex timore poenae, per legem actionibus positive malis intentatae, aut ex amore concupiscentiae erga DEVM, ut nobis bonum. *Ad b) resp.* Si relatio negativa habitualis in mente adsit, non erit acquiescentia positiva, sed solum negativa, in re creata, ut bono nostro obiectivo (378. not. 5.). *Ad c) resp.* Amare hominem non ex imperio caritatis, sed ex alio motivo, per se tantum est negative malum, id est, minus bonum, nondum autem per se iam positive malum; nisi recedatur etiam a bonitate simpliciter tali physica. Vide dicta SS. Augustini, Gregorii M., Leonis M. (383. not. 2.). *Ad d) resp.* Amor concupiscentiae, qui fertur in DEVM, ut bonum nobis, evidenter malus simpliciter esse non potest; tum quia per eum voluntati divinae in nos benevolae materialiter saltem (etsi sine formali intentione istius conformitatis fiat) conformatur: tum quia amor iste concupiscentiae per essentiam supponit pro priori amorem caritatis, a cuius imperio saltem habituali ille derivatur secundum demonstrata supra 387. et 256. Psychologiae: quapropter et attributum verae beatitudinis est (123.). Vnde et impossibile est, ut amor concupiscentiae DEI sit satis habituali efficacia sua instructus, nisi frequentatione actuum purae caritatis illum imperantis roboretur (387.). Illud itaque solummodo verum est, minus bene illum agere, qui, actibus caritatis purae raro repetitis, ac solo istius habitu qualicumque contentus, ad amorem concupiscentiae in DEVM minus potenter movetur ex impe-

imperio caritatis seu purae complacentiae de Deo, quam ex complacentia in se ipso, cui bene vult. Cum enim omnis amor concupiscentiae a duplici amore complacentiae (sui nimirum, et boni, quod concupiscitur) imperetur; modo unius, modo alterius amoris complacentiae imperium et vivacitas virtute influendi praestare alteri potest: et si praestat amor complacentiae proprius, id utique minus rectum, sed non positive malum esse potest, cum utique desiderium boni puri noxium esse nequaquam subiecto suo possit. Vnde rursus omnis acquiescentia in bono proprio obiectivo solum negativa est, non positiva; minus recta, sed nondum simpliciter mala. Idem est de fruitione. Hinc Tridentinum Concilium Sess. VI. cap. 31. dicit anathema illi, qui dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis operatur. Ceterum S. Augustinus de positiva fruitione rerum creatarum sine dubio loquitur, ut ex contextu patet; de ea videlicet, qua creaturis, quae media per se sunt finis ultimi, utimur modo fini positive contrario, ne quidem negative eas referendo ad DEVM, nec habitu, nec actu. *Ad e) resp.* Si amor concupiscentiae in DEVM imperet, fieri non potest, ut non aliquo pacto etiam imperet amor caritatis; quippe cuius aliquod imperium praevium ille per essentiam supponit (387.). Deinde idem amor concupiscentiae DEI, ut boni nostri obiectivi, prorsus imperare non potest, imo, quoad is imperat, ne quidem potest permittere id, quod DEI amori qualicumque positive contrarium est; quia istud omne eidem amori concupiscentiae contrarie adversatur. Ceteris iam responsum est *ad d.)*.

\*\* *Pugnant 2.) textibus variis S. Scripturae.* a) DEVS in Scripturis praecipit se diligere *ex toto corde, ex tota fortitudine, ex tota mente etc.* b) I. Cor. XVI. 14. *Omnia vestra in caritate fiant.* c) I. Cor. XIII. 2. *Si caritatem non habuero, nihil sum; etsi fidem habuero, ita, ut montes transferam.* Verum *ad a) resp.* Nulla nobis ratio suadet a communi interpretatione recedere, quae sentit, illis verbis exprimi praeceptum, quoad substantialem perfectionem caritatis, non autem, nisi consilium, quoad accidentalem et summam perfectionem caritatis praescribit (384.). Vide Suarez, de Relig. p. II.

P. II. Tract. VII. lib. I. cap. IX, n. 5. seq. *Ad b) resp.* Verba non magis praeceptum expriment, quam consilium: ergo locum habet regula (383.) in simili quaestione constituta. Potest etiam concipi in eis lex positiva, aliquando omnia per caritatem positive referendi ad DEVM, de qua 387.; vel negativa, omnia saltem habituali intentione referendi negative, ita, ut nihil agere decernamus contrarium DEI perfectionibus ac voluntati; de qua lege dictum 373. 375. seq. *Ad c) resp.* Verba ista Apostoli communi ex sensu Patrum et Doctorum intelligenda sunt de modo dicta habituali relatione positiva omnium operum per caritatem in adultis, et de ipso habitu caritatis supernaturali.

\*\*\* *Pugnant 3.) variis SS. Patrum dictis, a) et primo quidem omnium S. Augustini. Respondeo: S. Patrem hunc loqui nunc de omnia observatione legis 387. demonstratae, qua fit, ut nunquam caritate quis opera sua referat ad DEVM, et hoc ipso destituatur etiam habitu caritatis supernaturali. Hoc sensu dicit in Psalm CXVIII.: Qui noluerit servire caritati, necesse est, ut serviat iniquitati; in Enchirid. cap. 107. Regnat carnalis cupiditas, ubi non est caritas; lib. I. Retract. cap. 5.: Voluntas sine caritate tota est vitiosa cupiditas. Aio deinde, alias eundem loqui de eo, quod sine imperio et influxu caritatis actualis et habitualis perfecta opera, quamlibet bona, non habeant vim sufficientem meriti respectu beatitudinis aeternae supernaturalis; ut cum dicit lib. de Gratia Christi. cap. 26.: Vbi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte opus bonum vocatur; et lib. de Grat. et lib. arbitr. cap. 18.: Quidquid se putaverit homo facere; si fiat sine caritate, nullo modo beneficit; in Enchirid. cap. 117.: Qui non amat, inaniter credit, inaniter sperat etc. Quibus tamen in locis, quatenus de actu caritatis singillatim influente, et non de habitu, ista asserit, caritatis nomine latius uti pro quovis amore DEI, etiam non puro, S. Augustinus videtur. b) Porro alterutro ex istis duobus sensu loquuntur et ceteri Patres, quos nobis isthic item opponunt; puta S. Leo M. in Serm. 5. de Ieiunio: Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut DEI amator est, aut mundi; S. Gregorius M. Homil. 26. in Evang.: Vera fides*

*fides est, quae in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit; S. Thomas. 2. 2. q. 23. a. 7. ad. 1. : Sine caritate non potest esse actus perfecte bonus, quia deest debita ordinatio in ultimum finem. Sane S. Thomas 1. 2. q. 100. a. 10. pro certo habet, hunc modum operandi moralem actum, referendo illum per formalem actum caritatis ad DEVM, non cadere sub praeceptum, quod pro semper obliget, sed tantum pro eo tempore, pro quo speciale DEI praeceptum obligat; uti ex responsione ad 2. 1. c. apertissime patet. Ceterum de mente tam S. Augustini quam S. Thomae circa praeceptum caritatis optime leges Suarium de Relig. Tract. VII. lib. I. c. IX. a num. 11. seqq. c) Denique hoc ipso sensu *negat Augustinus* in omnibus locis, quae adversarii opponendo accumulunt, *opera infidelium bona esse saltem ex fine, etsi ex officio* (id est, materialiter ac physice praecise) *bona quaedam esse*, admittat; videlicet eo quod, licet physica quaedam, imo fortassis saepe aliqua imperfecta bonitate formali theologica polleant (ut in obstetricibus Aegyptiacis, aut in iis, qui non omni veri DEI notitia destituuntur; de quibus supra 389. not. 4.), tamen communiter omni influxu tam actualis, quam habitualis caritatis destituuntur, ac proinde vere bona, id est, substantiali perfectione, ad salutem et finem ultimum per se necessaria, insignita esse nunquam omnino possint; secus enim sine dubio ad ipsam veram fidem ipsis indulgendam id genus dispositione DEVS moveretur. *Quamquam* passim aut ingerat, aut supponat Augustinus, opera infidelium, etiam ex officio bona, ex fine positive malo, ad quem referuntur, corrumpi, et fieri mala positive. At istud nec affirmate defendit, fieri universe (ut patet ex ipsiusmet dictis citatis hoc ipso loco), nec vero probare posset, si reipsa affirmasset. *Denique* recte Augustinus ipsos *infideles omnes malos* dixit ac *steriles*; quippe qui nullum bonum, substantiali perfectione integrum, fecere, quo perducerentur ad salutem, et omittingo saltem caritatem omnem DEI, ad quam per se obligabantur, imo patrandi simul multa positive mala, vere habitu et actu fuere ac mansere praevaricatores. Vide dicta 383. not. 3.*

\*\*\*\* Pro

\*\*\*\* Pro corrodide nota; plures ex adversariis, Augustinianae scholae addictis (de quibus 389. not. 3.) cum Card. Norisio fateri, negativam relationem actionum ad DEVM, quae actionibus liberis materialiter bonis veluti natura inest, sufficere posse, ut actio bona simpliciter sit; eamque item posse absque caritatis imperio fieri (vide P. Berthi lib. XVIII. cap. III. n. 13.): etsi istud iidem ab Augustini saltem doctrina et mente alienum esse existiment, ceu qui omnino senserit, opera, quae non positive referantur ad DEVM, eo ipso esse inflata, superba, aut philanthropiae inordinatae vitio corrumpi. Ipse P. Berthi, qui cap. cit. eruditione solita quaestionem versat, *an opus bonum morale nulla in parte positive malum, seu vitiosum, sine divinae gratiae auxilio edi ab homine possit*; et post confessam speculativam verisimilitudinem affirmantis sententiae n. 20., tamen n. 21. eam *practice* veram esse negat, exinde suspicioni minus rectae sententiae suae locum dedit, quod una ex parte hoc loco ad omnem actum non positive malum DEI gratiae actualis influxum requirat; altera vero simul parte lib. XIV. cap. VII. n. 3. naturam divinae istius gratiae in caritatis inspiratione constituat.

## ARTICVLVS IV.

### DE LEGE DEI POSITIVA

392.

**L**egem contingentem supra (355.) dixi esse, quae et quatenus non existit necessarie, ac proinde quatenus eius rationes sufficientes existentiae necessariae non sunt. Vnde omnis etiam lex naturae absolute contingens est (379. III.). Interim nihilominus eadem lex naturae in hypothesis existentis actu in homine cognitionis certae de bonitate necessaria vel malitia intrinseca actionis vel omissionis, ac libertatis ad utramque, necessaria est (cit. IV.). Iam porro lex, quae,

*Stattler Eth. christ. univers.*

**Bb**

etiam



etiam stante ista hypothefi, necessaria non est, sed adhuc mere contingens, *lex positiva* appellatur.

393.

*I. Lex positiva in sola natura legislatoris, libertatis subditorum, et ipsius actionis, rationem sufficientem completam non habet; nec proinde ex rationis lumine solo innotescit: secus foret, in hypothefi existentiae cognitionis horum trium, necessaria.*

*II. Lex positiva legi naturali contradiclorie opponitur in suo conceptu (356.): ac proinde lex omnis aut naturalis, aut positiva est.*

*III. Nihilominus utraque, obiective sumta, importat voluntatem legislatoris obligantem mediante iussu (340. 342. 343.): secus lex simpliciter dici non posset.*

\* Nihil magis heteroclitum, quam quod recentiores Philosophi Morales passim cum Ill. L. B. Wolfio (Philof. Pract. Gen. P. I. §. 147.) *legem positivam* definiant esse eam, cuius obligatio dependet a voluntate entis rationalis. Sic profecto per 379. III. etiam *lex naturae* erit *positiva*.

365.

*Lex positiva divina* est, quae immediate est a legislatore DEO; *humana*, quae a legislatore homine, uno, vel pluribus.

395.

*I. Ut lex naturae simul fiat lex positiva, id est, ut circa eandem in individuo actionem detur et lex naturae et lex positiva, opus est, ut duae obligationes imponantur, una naturalis, altera positiva. Opponuntur enim sibi lex naturalis et positiva (393. II.):*

II.): ergo per eandem numero actionem, aut passionem obligatio activa et passiva utriusque determinari non potest.

II. *Ut eadem lex fiat simul divina et humana, duplici quoque obligatione, divina et humana, est opus, ob similem rationem.*

III. *In utraque modo dicta hypothese iussu duplici est opus, id est, duplicis poenae interminatione, et duplici promulgatione, altera per naturale lumen rationis, altera per locutionem DEI supernaturalem, vel in casu altero per hominis locutionem.*

396.

*Lex positiva obligare nequit ad ea, quae legi naturali repugnant.* Pone enim id fieri. Tolleretur ergo obligatio naturalis per positivam, ac proinde illa hypothetice eo modo necessaria non esset, quo 379. IV. ostensum est.

397.

*Lex naturalis divina vi solius scientiae possibilium in DEO determinatur in hypothese illius propria.* Consistit enim hypothesis ista in existentia DEI, libertatis humanae completae ad hoc vel illud in individuo agendum et omittendum, et in natura ipsius individuae actionis, sub eaque hypothese lex naturalis necessario existit. Itaque tametsi hypothesis istius ipsius existentia a libero decreto DEI creantis dependeat; tamen necessitas hypothetica legis naturalis sub ista hypothese per solam scientiam possibilium, seu necessariorum, determinatur.

B b 2

398. I. Lex

398.

*I. Lex divina positiva in hypothese legis naturalis propria per solam scientiam possibilium in DEO non determinatur ad existendum: secus et ipsa foret sub ea hypothese necessaria et naturalis (392.).*

*II. Lex divina positiva eo solo fine fieri a DEO non potest, ut ostendet dominium suum in creaturas racionales: quia DEI dominium despoticum esse nequit (635.), nec nisi affectu benevolentiae DEUS moveri potest ad agendum ad extra, et ad disponendas cum summa sanctitate et bonitate creaturas racionales. Vide Theol. Nat. 636. Adde dicta 353. hic.*

399.

*Lex omnis divina positiva determinatur, seu ratione sufficiente existentiae suae, a scientia media generali, qua praevidet universe in hypothese talium legum positivarum, legibus naturalibus coniunctarum, eventurum maximum bonum commune beatitudinis in toto genere humano. Non enim, nisi ex hypothese talis scientiae mediae Sapientia infinita DEO consilio suo dictare potest, legem quamlibet positivam fore medium optimum ad finem boni maximi, quem DEUS intendit in omni opere creationis et gubernationis generis humani, nec nisi Sapientia hoc dictante sanctitas, bonitas et iustitia DEUM determinare potest ad ferendam talem legem. Atqui per 353. rationes sufficientes legum omnium divinarum ex his DEI perfectionibus nascuntur. Ergo &c. &c.*

\* Ecce tibi generale principium omnium DEI legum positivarum, quod (tametsi de quavis in specie et in individuo mox in particulari divinari non possit, quo pacto ad summum humani generis bonum leges  
singu-

singulae positivae divinae conducant) univérse supponi, et omnes DEI leges nobis suavissimas gratissimasque reddere debet.

400.

*I. Tota itaque Lex Evangelica, per Christum Dominum humano generi imposita, quatenus positiva est, non nisi, ceu medium infallibile maioris boni ac salutis humani generis, a DEO proposita est.*

*II. Ipsa quoque potestas Ecclesiastica, ceu divinitus per Christum instituta, eaque DEI lex positiva, qua eidem, iusta decernenti, obtemperare iubemur, eadem ex rationis sufficienti et intentione, constituta a DEO est.*

*III. Idem valet de potestate quavis civili recte constituta, quatenus obligatio divina, eius iustis legibus semper connexa, positiva esse potest.*

\* Addidi hoc ultimum; quia obligatio divina, legibus iustis civilibus adnexa, vulgo est hypothetica naturalis, et ipsa obligatio parendi legislatori civili communiter ex pacto sociali humano ortum habet. Suppono autem isthic, quod independenter ab his in Demonstratione Catholica alias demonstravi, videlicet veram Societatem Ecclesiasticam cum summa potestate spiritali a Christo fuisse institutam.

## ARTICVLVS V.

DE MORALITATE ACTIONVM HVMANARVM CONSEQUENTE AD LEGEM DEI IN STATV MORALI CHRISTIANO.

### §. I. DE NORMA ACTIONVM MORALIVM.

401.

*Norma bonitatis et malitiae moralium actionum est terminus ille relationis, cuius unius similitudine istae in specie et individuo et sunt, et evi-*

B b 3

den-

denter intelliguntur esse bonae; cuius dissimilitudine et sunt, et evidenter intelliguntur esse malae, tum simpliciter, tum in quovis gradu. *Normae istius applicatio est intuitus comparativus normae et ipsius actionis moralis, seu iam factae, seu faciendae; ex quo ortus deinde intuitus bonitatis ipsius, vel malitiae, actionis vocatur dictamen conscientiae; quod proinde non est, nisi intuitus similitudinis, vel dissimilitudinis, actionis liberae cum sua norma, id est, ipsa cognitio bonitatis, vel malitiae.*

\* Nostri vulgo loco normae dixerunt *regulam moralitatis*; a qua nomenclatione tamen video recentiores Moralis Philosophiae scriptores passim abstinere, idque, ni fallor, idcirco; quod vox *regula* in Ethica receptum alioquin significatum habeat, ab isto significato *normae* modo tradito sane diversum. Cum enim Ethica scientia omnes morum regulas tradere dicitur; per regulam intelligimus iudicium distincte enuntians rectitudinem actionis moralem; qui significatus sane a definito significato normae diversus est. Sive enim divinas perfectiones, sive legem DEI, seu voluntatem obligantem, pro norma moralitatis statuas; neutra profecto norma haec iudicio, id est, actu intellectus, sed natura DEI, aut actu voluntatis quoque, re ipsa constat. Quoniam itaque non convenit in eadem disciplina, servato philosophico loquendi instituto, eodem termino cum duplici significato uti, ne confusio oriatur: mihi quoque cum aliis hac nomenclatione abstinendum esse putavi.

\*\* *Dividunt quoque vulgo regulam moralitatis in externam seu remotam, et in internam seu proximam; quarum illam tenent esse legem DEI, istam ipsum dictamen conscientiae de lege DEI. At enim quid de lege DEI, seu norma, tenendum, mox dicam. Quod autem ad dictamen conscientiae; alii putarunt cum P. Camargo, illud esse potius meram applicationem normae. Attamen ex datis definitionibus, quas nemini suspectas fore*

fore opinor, satis patet; istud neque normam esse, neque meram applicationem normae, sed regulam ipsam morum proprie dictam, et normae applicatione acquisitam. *Non est norma ipsa*; quia non est terminus relationis similitudinis vel dissimilitudinis, sed utriusque termini illius ac relationis ipsius intuitus: *non est mera applicatio normae*; quia est istius potius effectus. Si dictamen dicas esse *normam intentionalem*; aliud non dicis, nisi normam repraesentatam; ac facile simul ipse intelliges, intuitum relationis normae ad actionem, id est, dictamen ipsum conscientiae, aliud esse a repraesentatione solius normae. Ceterum, mutatis quidem cum ratione sufficiente antiquis modis loquendi, antiquam veritatem facile adhuc, imo facilius, propugnabimus.

402.

*Norma prima* est, quae est norma omnis bonitatis et malitiae actionum, et ipsa non habet aliam normam, cuius similitudine sit, et esse intelligatur bona. *Norma sufficiens* est, cuius unius applicatione ad summum bonum et finem ultimum beatitudinis quivis pervenire possit.

403.

*Natura rationalis norma aliqua actionum moralium esse simpliciter potest, sed neque prima est, neque sufficiens.* Est enim ipsa bona simpliciter, ceu participans similitudinem boni increati divini (116.), ac simul subiectum seu ratio possibilitatis omnium actionum bonarum et malarum moralium; quod per illas in ratione boni crescit, et perficitur; per istas autem fit imperfectius. Itaque similitudine seu consensu in ratione boni cum subiecto suo, seu cum natura rationali individua, actio moralis et est, et, intellecto eo consensu, intelligitur esse bona, atque inde bonitas actionum physica determinatur, et appellatur (300.); ex

dissimilitudine autem, seu dissensu cum eodem in dicta ratione est, et intelligitur esse mala, physice videlicet: *quod primum*. Nihilominus hoc ipso, quod res ac omnis bonitas creata mera fit participatio boni increati divini; etiam natura rationalis, creata utique, per similitudinem cum isto et est, et intelligitur ipsa esse bona; mala vero, quatenus, seu limitata, eidem dissimilis est; ergo in bono divino increato habet normam se priorem, nec proinde prima norma est; *quod alterum*. Denique, cum eadem natura rationalis finita sit, eiusque bonitas impura per essentiam (102.); eius unius applicatione fieri non potest, ut intuitus nascatur, in quo acquiescere, tanquam in beatitudine formali, ac summo bono seu obiectivo, seu formali, possimus; siquidem non nisi similitudine ipsa DEI et istius intuitu beati esse, ac proinde non nisi applicatione ipsius perfectionis divinae, seu normae, beati fieri possumus (118. 105. 100.). Sed neque actiones mere ex applicatione istius normae creatae, cum bonitate physica peractae (300.), rationem apti meriti theologi habent, quod solum medium aptum morale ac sufficiens esse potest ad veram alterius vitae beatitudinem consequendam (309. IV. 365. III. 318. I.). Ergo nullo pacto sola natura rationalis potest esse norma sufficiens &c.; *quod tertium erat*.

## 404.

*Norma prima, universalis, et absolutissime sufficiens omnium actionum humanarum est DEI perfectio infinita.* Quoniam enim omne bonum creatum tam essenziale naturae rationalis, quam accidentale seu istius actionibus infitum, non nisi participatio quaedam bonitatis DEI increatae est (116.);

(116.); idcirco tam inter naturam rationalem, quam eius bonas actiones similitudinis aliqua cum DEO relatio reipsa sine dubio intercedit, et quatenus haec similitudo existit, eatenus praecise et in eodem gradu omnes actiones istae et bonae sunt, et, ea similitudine intellecta, evidenter bonae esse intelliguntur; ut e. g. cum homo DEUM vera quadam cognitione cognoscit, et amat &c.: ex adverso ex dissimilitudine cum DEO evidenter sunt, et esse intelliguntur malae: ergo DEI bonitas et perfectio secundum se norma, et quidem universalis, actionum omnium humanarum est (401.); *quod primum.* DEUS vero ipse eiusque perfectio, ceu infinita, sibi que sufficientissima (106.), cum non habeat alium relationis terminum, realiter a se distinctum, sibi perfecte similem, nullo pacto est, nec intelligi potest esse tam bonus, quam reipsa est, nisi ex se ipso, ac proin omni norma se priore caret; *quod alterum.* Porro intuitu et applicatione unius istius divinae normae mens rationalis tum pervenire ad intuitum illum omnem bonarum actionum moralium illarum potest, quarum in isthac praesente vita et facultate pollet, et capax est; et per quas mereri alterius vitae beatificum DEI ipsius intuitum potest (siquidem omnis ratio meriti moralis theologici, ac vis moralis ad beatitudinem alterius vitae promerendam, non nisi actionibus theologice formaliter bonis, id est, cum directa intentione bonitatis theologicae, seu consensus earum cum divina perfectione editis inest (300. 318.), et per quas eundem beatificum DEI intuitum ac fruitionem certissime reipsa consequetur (160. 174. 242.). Ergo eadem DEI perfectio infinita absolute sufficientissima norma est; *quod tertium erat.*





illa actionis, quae inde ei accedit, quod quis agat ex motivo legis, ex. gr. ex metu poenae, per legem intentatae, nec ab ipsa lege praecipitur, nec proinde normam in lege habeat. Ergo etc. etc.

\* Dixi, legem non esse normam *omnis* malitiae actionum etc.; mox enim ostendam, specialem et praecipuam quamdam malitiam ex lege, tanquam norma, in actiones, legi formaliter contrarias, redundare, a qua vulgo *peccata* proprie denominantur. Ceterum facile intelliges, aequae parum consilium et invitationem DEI recte normam suasarum actionum, aut dissuasurarum, universalem esse posse. Actiones theologice formaliter indifferentes, etsi non referantur ad DEVM, id est, etsi norma illis divina non applicetur (40x.), reipsa tamen primam normam materialem in DEO, etsi proximam formalem, seu actu applicatam, in natura rationali, habent. Lex DEI autem permittens, quam alii pro istarum norma assignant, revera lex non est (339. not.). Adde, inaequales gradus bonitatis et malitiae actionum humanarum prorsus ex norma solius legis explicari non posse, eo quod illi certe sint ratio a priori logico gravitatis totius legum, ipsa autem lex DEI, seu gravis, seu levis, ceu in actibus divinis consistens, semper fit aequae bona. At enim si actiones ad DEI perfectiones referas, et bonitatem earum ex similitudine cum istis metiaris, mox advertes, eo fore meliores; quo plus similitudinis cum his participant: eum ex adverso actionis conformitas cum lege in indivisibili consistat semper, quaecunque actio praecipitur, nisi gradus ex parte ipsius actionis aliunde, quam a lege, metiaris.

406.

*Exc lege DEI in actionem vel omissionem humanam liberam, ei formaliter contrariam, nova ratio mali moralis ac demeriti theologici peculiaris et praecipua redundat, quae, actione vel omissione ad legem veluti ad normam non applicata, in ea nec inesse, nec intel-*

*intelligi posset: eaque in transgressione legum graviter obligantium consistit in contemptu totius bonitatis DEI respectivæ et iustitiæ divinæ; quæ malitia integre completur obstinata perseverantia in tali malo usque ad mortem. 2.) Similis quidem malitia et species contemptus practici divinæ bonitatis et iustitiæ ex lege leviter obligante in actionem, ei contrariam, libere commissam (vel in omissionem) redundat. Tametsi enim quaelibet actio, vel ommissio, moraliter theologice positive mala, obiectiva malitia fundamentali ex contrarietate cum DEI perfectione inficiatur; tamen hæc per se immediate maior non est, quam bonitas actionis vel omissionis præceptæ, cui contrarie opponitur; cum mensura mali sit bonum, quod malo excluditur a subiecto. Et licet ista fundamentalis malitia humanæ actionis, vel omissionis, DEO sit ratio motiva logica ad poenam lege constituendam, ceu malum physicum, ob malum illud culpæ: tamen sola illa obiectiva actionum humanarum malitia intrinseca, antecedens legem, non est se sola ratio adæquata, movens DEVM ad poenas alterius vitæ æternas talium actionum auctoribus statuendas; sed partialis ratio ipsius possibilitatis legis divinæ cuiusque est bonum commune salutis æternæ humani generis et electorum, simulque necessitas talis medii, seu ipsius legis, ad hunc finem obtinendum (198. 206. 207. 348. 352.). Itaque malitia actionum, præcise antecedens legem, et quæ sine legis applicatione (cei normæ) actionibus inest, se sola nondum contineret vim illam causalem, ex qua iactura omnis benevolentiae divinæ et reatus poenæ æternæ, ceu ex motivo sufficiente, consequeretur, vincente DEI bonitate vi sua vim malitiæ hominis, temporaneam finitamque cum DEO simili-*

militudinem aut dissimilitudinem, ac proinde DEVM ipsum, practice contemnentis (201. 204. II.). Ex aduerso, qui post DEI legem, actu cognitam, et sub aeterna poena graviter obligantem, contrariam ei actionem committit, is actu intuitu comparativo legem, ut normam, ad suam futuram actionem applicat (401.); et sciens, id est, ex certo dictamine conscientiae (loc. cit.), committit actionem, voluntati DEI absolute contrariam, et istius efficaci decreto, ac certa lege connexam cum iactura omnis benevolentiae DEI et aeterno sensu poenae a DEI vindice Iustitia irrogandae. Iam vero ex hac scientia et praevisione fit, ut non solum actio secundum se, et ut iam antecedenter ad legem mala, sed illius etiam contrarietas cum absoluta voluntate DEI, ceterique eius effectus, vi legis solum conditionate determinati, poena nimirum aeterna et iactura salutis, vi voluntatis liberae absolute determinentur, ac cuncta ista fiant vere voluntaria (284.). Accedit ergo ad actionem, iam antecedenter ad legem malam, nova determinatio libera, quae est contemptus practicus voluntatis DEI absolutae, ac totius bonitatis DEI respectivae et Iustitiae vindicantis (204. IV.); qui quidem, si nondum cum obstinatione mentis perseverandi in eo malo usque ad mortem coniunctus est, inchoatus solum est: completur vero, si illa accedat (loc. cit.); *quod primum.* Quod si lex DEI solum sit leviter obligans, evidens est, non quidem totius bonitatis divinae respectivae, sed alicuius positivae tamen displicentiae eiusdem contemptum practicum, itemque dilationis beatae DEI visionis (226. 268. III.) ac Iustitiae DEI vindicis, poenam saltem temporaneam intentantis, ex parte violantis legem intervenire; *quod erat alterum.*

407.

*I. Malitia moralis contemptus praedicti, quae ex lege DEI in actionem liberam (vel omissionem), ei contrariam, redundat, tanta est; quantum est bonum divinae benevolentiae, quod subtrahendum, et quantum est malum poenae positivae, quod inferendum refractario legis transgressori lex ipsa intentat.* Malitia enim moralis causae ex malitia effectus, quem libera voluntate absolute determinat, metienda est. Atqui legis transgressione homo, per modum causae moralis, libere determinat absolutam existentiam iacturae illius boni et existentiam illius poenae, per legem intentatae; quantum ab ipso pendet. Ergo etc.

*II. In transgressione legis divinae graviter obligantis malitia moralis contemptus DEI praedicti, in ea intervenientis, aliquo pacto est infinita quoad suam magnitudinem.* Libere enim ac voluntarie, quantum in se est, determinat malum sine fine duraturum, seu aeternum. 2) *Idem non valet de legis leviter obligantis transgressione:* quia subtractio temporanea visionis beatificae et poena temporanea, quae per illam contemnitur, nullo sensu malum est infinitum.

*III. Homo quilibet transgressione legis divinae, seu gravis, seu levis, de condigno meretur omnem poenam, a lege intentatam.* Quoniam enim malitia moralis talis transgressionis aequalis est malo poenae, et iacturae boni, quae contemnit transgressor (hic I.), et in legis gravis transgressione aliquo pacto infinita (hic II.); se sola ratio sufficiens est, ut odium displicentiae, ex ea conceptum, cieat in Deo eam permissionem malevolam, ut bono beatitudinis reipsa excidat, et poenam incur-

incurrat, prout lex intentat (199. 200. 210. 211. VIII.).

*IV. Transgressio legis graviter obligantis est culpa gravis; leviter vero solum obligantis legis transgressio est culpa levis solummodo (257. 406.).*

*V. Lex itaque divina norma est specialis malitiae actionis (vel omissionis) liberae, eidem contrariae. Eius enim dissimilitudine et contrariedade talis actio (vel omisio) est, et esse intelligitur speciali modo mala, idque vario gradu pro varia gravitate legis.*

*VI. Intuitus praevius istius contrariedade inter legem et actionem (vel omissionem) liberam, antequam ista committatur, rationem novi dictaminis conscientiae habet (401.), diversi ab eo, quo solum ex applicatione normae primae universalis omnium actionum moralium, seu divinae perfectionis (404.), cognoscitur bonitas vel malitia theologica fundamentalis; cuius lex ipsa norma non est (405.).*

*VII. Datur ergo circa actiones et omissiones, lege DEI, saltem naturali, praescriptas, per se loquendo dictamen conscientiae duplex, quorum unum, regulae morum instar, repraesentat bonitatem aut malitiam actionis, vel omissionis, theologice fundamentalem, et oritur ex applicatione normae primae et universalis, divinae nimirum perfectionis, ideoque recte vocari potest dictamen primum seu remotum (vulgo etiam speculativum appellant); alterum, proximum appellari solitum (vulgo etiam practicum), repraesentat contrariedade actionis, vel omissionis liberae, cum lege DEI.*

\* Dixi inprimis, circa actiones et omissiones, lege DEI saltem naturali praescriptas etc.: quia circa praescriptas

scriptas lege solum positiva fieri vulgo potest, ut antecedenter ad legem bonitas vel malitia fundamentalis non cognoscatur: et quoniam id in hominum vulgo nec semper fit etiam circa actiones, lege naturali praescriptas, ob imperitiam rudium, qui non nisi institutione etiam leges naturales addiscunt; idcirco addidi, *per se loquendo etc.*

408.

*Solo ex consilio DEI, invitante ad aliquam actionem (vel omissionem) liberam per promissa maiora praemia, in actionem (vel omissionem), ei oppositam, nulla contemptus practici positiva malitia, bene tamen novus defectus aliquis honoris et reverentiae erga DEVM voluntarius, redundat.* Est enim mera ommissio novae et maioris honorationis practicae; si quis vel ex odio ac fuga difficultatis non positive mala, vel ex amore alterius boni non positive malo (cui scilicet bono actio vel ommissio, a DEO suasa, opponitur), ceu ex motivo vel affectu imperante, agat, quod DEVS dissuadet, vel omitat, quod ille suadet novo beatitudinis gradu in praemium proposito. Vbi enim positiva malitia moralis theologica fundamentalis simul, atque neglectus positivae subtractionis, saltem temporanae, effectuum divinae benevolentiae, aut intentatae vindicis iustitiae, abest; nondum illa contrarietas et malitia positiva in voluntate libera se prodit, quae contemptus practici propria est nota (202.). *Alterum ex 201. per se patet.*

\* Nimirum in consilio DEI invitante non voluntas DEI absolute efficax et iubens pro potestate sua ipsam actionem, vel omissionem, sed solum voluntas minus efficax, vim moralem non nisi amicam inferens (334.), nec superioris potestatem perfectam ostentans, sed arbitrium ac ius libertatis relinquens (378.), intervenit; cui si consentiendo non obsecundet homo, tamen nec tam positivam pertinaciam contrariae voluntatis

tatis opponit, atque si morali coactioni superioris, omnem potestatis efficaciam exercenti, resistat. Vide Suarezum de Relig. T. VII. L. I. c. IX. n. 22. seqq.

§. II. DE NOTIONE PECCATI, ET DIVISIONE  
PRAECIPVA.

409.

**A**ctio vel omissio libera, legi DEI contraria, *peccatum theologicum* appellatur: eadem vero solum bono physico naturae rationalis formaliter contraria vulgo *peccatum philosophicum* dicitur.

410.

*I. Malitia propria ac completa peccati theologici, eiusque notum essentialem constituens, est ea, quae ex contrarietate cum lege DEI consequitur; ac proinde in DEI contemptu praedico consistit (406. 409.).*

*II. Malitia ista est ipsa contrarietas actionis vel omissionis libera cum lege DEI; atque adeo non est mera negatio, quae solam contradictoriam oppositionem efficere posset (23.).*

\* Dubium, quod hic oriri cuicumque potest, an ratio peccati universe consistat in contrario potius, quam in mere negativo et contradictorie opposito relate ad legem, praecise ex illa obscure apud omnes fere Theologos et Philosophos decisa quaestione oritur: an possit dari mera ommissio libera. Quodsi enim dari ista posset, ea contra legem admissa non esset legi contraria, sed mere contradictorie opposita, puraque negatio; peccati nihilominus omnem participans rationem. Verum *omissionem puram immediate liberam non esse possibilem*, facile sic demonstro. Quodsi enim illa possibilis esset, ea vel contingere posse deberet in omissione libera mali lege prohibiti, vel in omissione libera boni praecepti, aut consilio invitante suasi. Atqui neutro modo possibilis est; quia nullum libertatis exercitium sine motivo, cuius amore vel odio libero id exercitium eveniat, possibile est. Itaque *non erit*



*possibilis mera omisso immediate libera mali prohibiti; quia ea existere non poterit, nisi vel ex efficaci amore boni, cui id malum opponitur quocunque modo; vel ex efficaci odio ipsius mali, quod omittitur; vel alterius mali, cum eo connexi: in primo casu interveniet actus immediate liber efficacis amoris boni, isque imperabit omissionem mali iam non immediate liberam (285. not.): in casu altero odium displicentiae efficacis simul ac immediate liberum eius mali interveniet, nec proin erit mera omisso. Sed neque possibilis est mera omisso immediate libera boni praecepti, aut suasi; quia nec ista possibilis est, nisi ex efficaci vel odio mali, quocum, tanquam motivo absterrente, illud bonum connexum est (e. g. difficultatis, molestiae etc. cum eo connexae), vel amore alterius boni, cui illud bonum praeceptum, aut suasum, opponitur: atqui in utroque casu omisso talis boni praecepti, vel suasi, immediate libera non est; quia imperata, in primo quidem casu ab odio libero efficaci mali, tali bono connexi, quod libere praevalet amori eiusdem boni praecepti, aut suasi; in casu altero vero ab amore libero praevalente boni alterius, cui illud bonum praeceptum, aut suasum, opponitur. Vnde utroque in casu exercitium immediate liberum voluntatis se tenet solum ex parte amoris vel odii, imperantis omissionem boni aut mali; et ratio contrarietatis peccati cum lege DEI consistet in eo, quod amor boni apparentis, vel odium apparentis mali, seu affectus primitivi immediate liberi, praevaleant amori veri boni et odio veri mali, quos lex DEI vult praevalere; illique obtento imperio determinent omissionem boni, cuius amorem lex praecipit. Nulla ergo possibilis est mera omisso immediate libera.*

\* \* Qui aliter de hac re sensere, existimabant, exercitium negativum libertatis carere posse motivo actu influente, ac sufficere, si motiva se teneant ex parte actus primi proximi, etsi nullum liberum, eorum odium vel amor influat in actum secundum liberum, in mero negativo consistentem. At enim si nullus motivi amor, vel odium, requiratur ad hoc, ut quis ex aliquo motivo quid omittere dicatur; fieri poterit, ut quis

quis bonum praeceptum omittat, quin vel odio difficultatis eius, seu mali cum eo connexi, vel amore alterius boni, cui illud opponitur, ad illud omittendum actu moveatur: siquidem moveri ad omissionem ab alio affectu, aliud non est, nisi illam ab hoc imperari. Item mera omisio immediate libera se habere poterit instar affectus liberi primitivi, quo vel bonum placet propter se, vel malum displicet propter se: ut adeo omisio libere electa deberet placere propter se ipsam; id quod circa meram negationem impossibile est.

\*\*\* III. Wolfius P. II. Phil. Pract. Gen. §. 362. et seqq. casus assignat, in quibus mera omisio locum sine positiva voluntate habeat; at tales illi sunt, in quibus, cum prius esset aliqua ratio agendi, eadem praecise cessante, voluntas agendi fit impossibilis; ac proinde nec omisio iam libera, sed necessaria est: uti cum ob existimatam voluntatem aut utilitatem primo volebas agere, deinde vero detecto, quod nulla subest voluptas aut utilitas in volitione actionis, hanc amittis; quod profecto necessarie, non libere fit, quamdiu alia agendi motiva non adesse supponuntur. Vnde quoniam in mera negatione libera nunquam inesse potest contemptus legis, seu praecipientis bonum, seu prohibentis malum; evidens est, rationem peccati non in mere negativo, sed in contrarietate cum lege, consistere.

411.

*III. Sine libertate peccatum actioni vel omissioni inesse non potest.*

*IV. Ut actio (vel omisio) libera sit peccatum, eius contrarietas cum lege libera esse, ac proin tam lex, quam contrarietas actionis vel omissionis cum lege, praevie cognosci debet. Neque enim lex aliquam determinatam actionem praecipere aut prohibere, nec proin ea legi dicto modo contraria esse potest (praec. I.), quin et lex, et actio cognoscatur, quam lex praecipit, aut prohibet (346. II.), ac*

C c 2

pro-

proinde quin cognoscatur contrarietas utriusque.

412.

*V. Neque imperfectiones formales theologicas, divinorum consiliorum invitationi dissentaneae (364. 363. IV.), neque actiones physice formaliter bonae, et theologice formaliter indifferentes, peccata sunt; quia nulli legi divinae contrariae (362.).*

*VI. Idem est de imperfectionibus formalibus physicis, quamdiu habituali relatione saltem negativa generali omnium actionum ad DEVM ab eis omnis positiva inordinatio et malitia excluditur (365. 366. I. II. 375. seq.); quia positiva relatio omnium actionum ad DEVM nulla lege praecipitur (374.).*

413.

*Peccatum dividitur in peccatum commissionis, quod legi prohibenti; et in peccatum omissionis, quod legi DEI praecipienti adversatur.*

414.

*Quoniam non datur pura omissio immediate libera, sed in omissione, legi praecipienti contraria, semper vel odium mali, cum actione praecepta coniuncti, vel amor alterius boni, cui actio lege praecepta opponitur, intervenit, ceu affectus primitivus immediate liber et imperans omissionem mediate solum liberam, praecipienti legi contrariam (410. not. I.): idcirco*

*I. Lex, praecipiens actionem quamcunque liberam, semper coniuncta est cum lege, prohibente omne odium efficax mali cuiuscunque cum actione praecepta connexi, et omnem amorem efficacem boni, cum actione praecepta incompossibilis, a quo odio vel amore ommissio actionis praeceptae imperetur.*

*II. Lex*

II. Lex ista prohibens generalis, cum omni lege praecipiente connexa, virtute continetur in lege illa naturali, quae nobis per (386.) praecipit constantem habitualement DEI tam efficacem amorem, seu caritatis, seu concupiscentiae, qui suae substantialis perfectionis virtute et efficacia excludat omnem amorem boni, fini ultimo contrarii, et omne odium mali connexi cum eodem fine, a quo seu omisso actionis, lege DEI praecipit, seu commissio actionis, lege DEI prohibita, passet imperari (384. 385.).

III. Quoniam itaque lex graviter prohibens actionem per se universe connexa est cum lege praecipiente habitualement constantem DEI amorem, caritatis, vel concupiscentiae, efficaci imperio suo excludentem omnem amorem boni, cum actione prohibita connexi, a quo actio committenda imperari posset (384. 385. 386.): patet, leges omnes, tam praecipientes, quam prohibentes, contineri in lege generali praecipiente habituale, perpetuum imperium amoris DEI, seu caritatis, seu concupiscentiae.

415.

Dividitur ulterius peccatum theologicum in grave, quod legi DEI graviter obliganti, et in leve, quod leviter solum obliganti, adversatur.

416.

Discrimen inter peccatum grave et leve intrinsecum est, non mere extrinsecum, ab ipsa diversa legis gravitate petitur. Inest enim peccatis gravibus, id est, legi graviter obliganti contrariis, contemptus DEI practici malitia quaedam aliquo pacto infinita, quae nequaquam inest peccatis solum levibus (406. II.); et, quoniam omnis ille contemptus practicus in amore, vel odio, imperio suo

Cc 3

suo

fuo amori (puro, vel non pro puro) DEI praevalente, consistit (202.), ad determinationes intrinsecas commissionis et omissionis liberae, peccati rationem habentis, pertinet; ac proinde eius discrimen in gravi et levi peccato discrimen istis intrinsecum constituit.

*II. Discrimen peccati gravis, et levis, a diversitate legis gravis et levis petitum, quae ambae peccato extrinsecae sunt, tantum est discrimen causale, non formale; quatenus sine lege graviter obligante, cognita qua tali, contemptus ille DEI practicus, in peccato gravi aliquo pacto infinite malus, non esset possibilis; sicut nec reipsa in hypothese legis solum leviter obligantis locum habet.*

*III. Lex ipsa gravis et levis differunt immediate inter se tum intrinsece et formali conceptu; quatenus illa importat voluntatem DEI decernentem poenas aeternas, haec vero temporaneas solummodo (340. n. 2. 336.): tum ratione causaliter et extrinsece; quatenus lex gravis locum non habet, nisi cum finis aestimabilior, et gravioris obligationis ad hunc necessitas est; non nisi levis e contrario locum habet; cum finis eius minus aestimabilis est, nec actio vel omissio, lege praescripta, ad finem, aut finis ipse, minus necessaria sunt (354: III. IV.).*

*IV. Lex naturae gravis rationem sufficientem gravitatis suae necessariae (379. IV.) in ipsa vel bonitate actionis huiusque necessitate ad finem ultimum, vel eiusdem malitia fundamentali, habere debet, sicuti et lex levis naturalis. Cum enim legis omnis naturalis rationes omnes sufficientes insint in ipsa DEI, aut libertatis humanae, aut actionum ipsarum natura (356.); DEI vero et libertatis hu-*  
manae

sanas natura (respectu actionis qua liberae) semper sit eadem: idcirco ex parte rationum sufficientium legis gravis et levis naturalis varietas nulla, nisi in ipsa bonitate necessaria, vel malitia actionis, lege gravi aut levi praecipienda, vel prohibenda, locum habere potest.

*V. Unde gravitas ac levitas legis cuiusque naturae, non nisi ex magnitudine vel necessitate bonitatis, aut ex magnitudine malitiae fundamentalis, theologicae, formalis actionis praecipienda, vel prohibenda, id est, ex ratione sua unica sufficiente (hic IV.), intelligi et cognosci potest, ac debet.*

*VI. Cum ergo evidens sit, rationes sufficientes easdem non esse, nec aequae graves, ut praecipiantur lege actiones, cum felicitatis absolutae hominum minore solum incremento connexae, e. g. eleemosyna mere liberalis, homini mediocriter egenti largienda a divite locuplete; et ut prohibeantur, quae eidem felicitati minus detrimenti afferunt, e. g. verbum otiosum: evidens quoque est, dari leges DEI, alias graves, alias solum leves; siquidem impossibile est, ut DEI bonitas, et iustitia gravius obliget, quam DEI sapientia ex ratione sufficiente consilii sui dicat esse conveniens ac necessarium (353.).*

*VII. Itaque evidens item est, dari actualia peccata, alia gravia, alia levia; quorum illa scilicet legi DEI graviter, haec leviter solum obliganti, adversentur,*

\* Haec tam sunt evidentiæ, ut sapiens quisque merito miretur, sententias illas veterum sectariorum Ioviniani et Pelagii (imo Stoicorum) a recentioribus, Wicleffo, Luthero, et Calvino adhuc resuscitari potuisse,

tuiffe, tenentium, omnia peccata aequè gravia esse; sic quidem, ut recentiores isti non nisi ab extrinseca Dei imputatione, fidelibus, saltem iustis, ea non imputantis, imputantis vero infidelibus, aut fidelibus etiam non iustis, discrimen aliquod repetendum inter peccata docerent. At enim rident istiusmodi ineptias (quod legere volupe profecto est Catholico homini) ipsi Philosophiae Moralis optimi quique ex Protestantium numero scriptores; uti videre est in Phil. Pract. Gen. D. Frederici Meier, Berolinensis Doctoris Philosophiae, §. 247. Nihilominus huic errori quoque adstipulatus est Michael Baius; cuius propositio haec numero 20. a Romanis Pontificibus Pio V. et Gregorio XIII. damnata est: *Nullum peccatum est ex natura sua veniale, sed omni peccatum meretur poenam aeternam.* Eidem ex parte accessere non nulli ex probe Catholicis auctoribus, puta Almainus Tract. 3. cap. 20. Gerson. P. III. Theol. tract. de vita spirit. lect. 1. Rossensis in refut. artic. 32. Lutheri &c.; qui tolerabiliore nihilominus errore credere eo nomine, nullum esse discrimen intrinsecum inter peccatum grave et leve, quod utrumque sit offensa DEI, id est, contemptus practicus boni infiniti, atque idcirco omne peccatum; utcunque leve, malum esse maius quolibet malo poenae utcunque gravis; eo quod subeunda esset potius poena quaeque aeterna, vel utcunque gravis, quam admittenda offensa DEI; et quod Deus, malum poenae infligere possit, malum culpae permittere non possit. *Verum* ingens in argumentationibus his confusio regnat, et multiplex misceatur error. *Falsum*, quod in omni peccato Deus contemnatur, aut illo pacto laedatur *in se ipso*, secundum quod ipse in se vere est infinitus; quippe quod solum contemptui formali directo proprium est (202.): dum e contrario indirectus ille contemptus practicus, omni peccato intrinsecus, cum sit praeelectio quaedam boni creati apparentis prae vero bono, sed itidem mere finito, id est, prae similitudine DEI, seu quae in ipsa actione bona, seu quae in eius praemia aut novo istius gradu consistit, non utique tendit in ipsum Deum secundum se infinitum, qui sic eligi non potest; sed in similitudinem aliquam DEI mere finitam: cuius iactura cum in levi peccato tantum sit temporanea, in gravi autem

autem solo aeterna; patet, essentialiter utriusque esse discrimen, illudque nullo pacto, istud aliquo saltem pacto esse infinitum; quatenus utriusque malitia adaequat magnitudinem boni, contemptu pratico sponte ac libere iactati (406. I.). Falsum ergo, quod omne etiam leve peccatum sit malum aliquo pacto infinitum; ita, ut potius nullum peccatum in ratione mali metaphysici infinitam rationem habere absolute possit. itaque illud solummodo verum est, contemptam DEI practicam, aut formalem, omni peccato intrinsecum, quatenus tamen DEUM, seu bonum obiectivum, directe vel indirecte respicit, terminum obiectivum habere infinitum; quem tamen non respicit cum malitia infinita, aequè parum, atque amor et honor DEI DEUM respicit bonitate metaphysica infinita: imo quem minore malitia respicit peccatum leve, quam grave; siquidem illud temporaneam solum, istud aeternam benevolentiae DEI efficacis iacturam negligit. Et vero qui fieri possit, ut quid peccanti voluntarium sit infinitum; cum cognitio istius termini obiectivi, licet in se infiniti, semper non sit, nisi finita. *Quod dicunt*, quodvis peccatum leve esse maius quolibet malo poenae utcumque gravis; fateor me non intelligere, quo id alio sensu dici possit, nisi licitum non esse, ullius mali physici vitandi causa malum morale utcumque leve admittere: *nego autem*, posse DEUM quamcunque poenam gravissimam cuique utut levi peccato statuere; quia id DEI bonitas et iustitia non permittit, sine qua dominium DEI exercere se non potest. *Nego item*, poenam aeternam, si Deus cuique levi malo morali eam constitueret, non fore maius malum in ratione mali simpliciter, quam leve malum morale. Aliter de malo morali gravi statuendum est, quod, si impune esset et absque reatu poenae aeternae, impediret longe maius bonum, beatitudinem videlicet plerorumque electorum, ac proinde maius malum esset, quam poena aeterna; quae in ratione mali longe minor universe est, quam beatitudo universalis electorum futura magna est in ratione boni (211. V. VI.). *Quod denique* DEUS malum poenae infligere possit, malum culpae permittere non possit; ratio est, quod poena, quam DEUS permittit, semper minus sit malum, quam culpa permissa impunis,



seu moraliter permiffa. Quod si autem cuique culpae levi Deus posset statuere poenam aeternam, profecto melior esset culpae permiffio, quam tantae poenae pro tali culpa; quia vix quisquam salvus fieret: ac proinde Deus pro longe minore bono salutis paucissimorum permetteret immensum malum quam plurimorum. Deinde hypothesi illa omni modo impossibilis est, ut quis pro quacunque DEI offensa vitanda necesse habeat eligere tolerationem poenae aeternae. Qua enim lege, id est, necessitate morali, ex motivis poenarum intencatarum orta, ad hoc obligari posset?

*\*\* Pro aequalitate omnium peccatorum porro sequentes allegabant aliqui rationes. 1) Omne peccatum crescit iuxta dignitatem personae offensae: ergo omne peccatum in DEUM est malitiae infinitae, mereturque malum aliquo pacto infinitum, nempe aeternum. 2) Excellentia DEI exigit, ut non possit offendi sine gravi malitia. 3) Omnis peccans in obiecto creato statuit finem suum ultimum, qui est summus contentus DEI. 4) Omne peccatum meretur iacturam beatitudinis, et poenam aeternam: secus eius peccati remiffio, quod leve nos dicimus, non esset gratia, sed debita, saltem homini, nullius peccati gravis reo. 5) Omne opus bonum morale meretur praemium aeternum: ergo omne opus malum morale meretur poenam aeternam; ac proinde omne est grave demeritum. 6) Potest DEUS saltem, si velit, omnia, utut de se levia, praecipere, vel prohibere sub gravi obligatione; sicut modo re ipsa esum pomi Adamo graviter prohibuit, et Iudaeis esum porcinae: ergo saltem peccata gravia et levia non differunt intrinsece ex natura actuum, nec leges DEI differunt gravitate ex ratione alia sufficiente, quam praecise ex voluntate DEI, contra, atque assertum est hoc loc. Cor. III. Verum respondeo ad 1. Inter homines crescit offensa iuxta dignitatem offensae personae; quia supponitur in offendente notitia totius dignitatis personae: et quia dignitas cognita finita est; potest eadem digna persona uno offensae genere gravius laedi, quam alio. Ex adverso, et si DEI dignitas in se sit infinita; tamen ea non cognoscitur, nisi cognitionis modo finito: quod etiam necesse est, ut libera contemni offen-*

offendique simpliciter possit. Iam vero non potest  
offensa crescere ultra cognitionis modum; quia ultra  
hunc esse voluntaria non potest. Quodsi autem et  
dignitatis personae cognitio, et offensa ipsa sit finita;  
etiam offensa maior minorve esse potest; quia omne  
finitum gradus magnitudinis habere potest. *Ad 2.* Ex-  
cellentia DEI id, quod volunt, exigeret, si pro sua  
infinitudine cognosceretur, eiusque de similitudine  
modo infinito participare homo posset. Ceterum finis  
creationis iuxta ac divinae legislationis non alterius  
magis excellentiae manifestatio est, quam excellentissi-  
mae bonitatis; quae non permittit, ut DEUS obliget  
ultra et gravius, quam necessitas et utilitas boni ma-  
ximi communis exigit. *Ad 3.* Qui leviter quidem  
peccat, attamen sibi cavet a gravi; is non dimittit ullo  
pacto seriam et efficacem intentionem finis ultimi veri  
quoad substantiam, nimirum beatitudinem, in DEI fru-  
itione positam; sed solum quemdam altiozem illius gra-  
dum, vel temporaneam eius dilationem, negligit: nec  
proinde acquiescit in obiecto leviter prohibito positi-  
ve, sed solum omittit, eam actionem malam in indivi-  
duo ullo pacto referre ad DEUM, ut finem ultimum.  
Porro talis defectus efficaciae in intentione finis ultimi  
genuini, seu amoris DEI, uti non nisi leviter opponi-  
tur fini ultimo, et simul levi obligatione legis fatia  
moraliter a DEO impeditur; ita non nisi legis leviter  
obligantis ratio sufficiens esse DEO potest (352.). *Ad*  
*4.* Nego, leve malum morale, e. g. verbum otiosum,  
mereri beatitudinis iacturam; quia indigna de DEO co-  
gitandi ratio est, eum fingere ad summam severitatem  
tam pronum, ut nihil usquam humanae indulgeat in-  
firmiitati, sed omnem eius moralem defectum metiatur  
potius ex sua magnitudine, quam creaturae suae exi-  
litate. Ratio addita nihil probat omnino. Perfectissi-  
mae enim bonitatis proprium est, non posse non igno-  
scere serio poenitenti: nec minus gratia est, quod  
DEUS per essentiam suam sit optimus, nec minus bo-  
nus esse possit; quia necessitas, ab intrinseca perfectione  
orta, rationem gratiae non tollit, sicut debitum non  
importat, nisi necessitas, a iure et potestate alterius im-  
posita. *Ad 5.* Aio: si spectetur sola ratio meriti in  
opere bono mere naturali, ea mere congrua, non con-  
digna

digna est respectu beatitudinis aeternae. Quod vero in Christiano homine iusto dignitas personae per habituales gratias illud meritum attollat, liberali Dei gratiae tribuendum; qua supposita, Deus fidelitate sua, qua promittit, necessitatur ad praemium aeternum beatitudinis largiendum homini, ea gratia ornato, et bonum morale operanti. Contra eadem bonitas, quae ratio in Deo est, ut, quantum ipse potest, non praecise, quantum homo per se ipsum solum mereretur, praemium bene meritis rependat, in causa est, ut ne maiorem poenam, seu malum physicum, intentet Deus lege sua, quam quae sufficit ad homines universe a malis moralibus, cum felicitate communi istius vitae solum leviter pugnantes, absterrendos. Atque ad hoc sufficit poena temporalis. *Ad 6.* Distinguo: potest Deus singula singillatim, utut levia, praecipere, vel prohibere, ex fine aliquo maioris momenti; concedo: omnia simul; nego ob rationes modo ac saepius iam allegatas. Atque ex his tam manifestis responsis patet sane, ni fallor, quam inepte contra divisionem gravis et levis peccati olim pugnatum fuerit.

## 417.

*Divisionem istam peccati in grave et leve, quam evidens naturalis ratio evincit, etiam indicatam in divinis Scripturis ostendunt Theologi, Catholicae Ecclesiae addicti, eandemque idcirco, ut dogma fidei, auctoritas Ecclesiae Catholicae contra supra memoratos sectarios asseruit in Concilio Tridentino Sess. VI. cap. 11. hisce verbis: Licet in hac vita mortali sancti et iusti in levia et quotidiana, quae venialia dicuntur, peccata cadunt; non propterea desinunt esse iusti. Qua ipsa in Sess. VI. can. 27. et 28. damnatus est error Lutheri docentis, fidelibus solum peccatum infidelitatis imputari; de quo tamen errore alibi erit differendi locus. Idem Tridentinum Sess. XIV. cap. 5. docet, in confessione Sacramentali peccata mortalia, quae menti post diligens*

gens exanimi occurrunt, esse necessario exponenda; venialia vero utiliter aperiri, non necessario. Ex quo sequitur, etiam in impiis et gravium peccatorum reis venialia esse peccata. Porro *textus Scripturae* huc servientes praecipue sunt, a) Iacob. III. 2.: *In multis offendimus omnes*, etiam iusti, salva iustitia; quae est Ecclesiae Catholicae interpretatio authentica in cit. loco Tridentini. b) Prov. XXIV. 16.: *Septies enim cadet iustus*. c) I. Ioan. I. 8.: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*; ubi dilectus Christi Apostolus se ipsum non excipit, nec alium Apostolum; qui tamen omnes erant iusti, nec gravis peccati rei. d) Eccle. VII. 21.: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, et non peccet*. e) Adde ab ipso Christo quaedam peccata comparari rebus natura levissimis, alia vero maximis: Sic Matth. XXIII. ait: *Duces caeci, excollantes culicem, camelum autem glutientes*; & Luc. VI.: *Quid vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras?*

\* *Reponunt his supra dicti adversarii textus alios Scripturae, nimirum a) Matth. V. 48.: Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis*; ubi tota, ut aiunt, perfectio aequali lege praecipitur. b) I. Ioan. III. 9. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, - - - et non potest peccare, quia ex DEO natus est*: ergo omne peccatum DEI gratiam ac iustitiam tollit; et proinde mortale, seu grave, est. c) Ezech. XVIII. 4. *universe de omni peccante dicitur: Anima, quae peccaverit, ipsa morietur*. d) Matth. V. 19. *Qui solverit unam de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno caelorum*. Iacob II. 10.: *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*. Verum *responsio facilis est*; et universe quidem quaero ex adversariis: Quo fundamento contra notionem bonitatis divinae ipsi hos textus interpretantur sic, ut evertant divisionem peccati gravis et levis, evidenti ratione naturali fundatam? Nunquid ego rectius cum Ecclesia Catholica dicam, textum a) partim legem gravem, partim levem

levem, partim consilium mere invitantis Dei importare, prout vel ad gravia, vel ad levia vitanda peccata, vel ad optimum quidvis faciendum perfectio caritatis vel substantialis, vel accidentalis, vel summus eius gradus se extendit (384.)? Textum b) sic intelligi profecto oportet, ut cum altero dicto eiusdem S. Ioannis Apostoli in probatione citato, scilicet cum I. Ioan. II. 8. componi queat. Nihil ergo aliud vult S. Ioannes loco obiecto, quam non posse componi dignitatem filii Dei cum peccato gravi, etsi etiam filii Dei se ipsos seducant, si omnis etiam levis peccati se expertes putent. In textibus c) et e) de gravi peccato sermonem esse, iure colligimus ob evidentiam rationum, quibus ostensum est, dedecere Dei bonitatem, levissima mala moralia sub poena mortis aeternae describere. Sed et S. Iacobus loc. cit. mox subdit: *Qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et: Non occides. Quod si non moechaberis, occides autem; factus es transgressor legis.* Ratio quoque ipsa evincit idem, quod dicimus. Qui enim unum grave mandatum violat, substantiam caritatis corrumpit, et finis ultimi efficacem illam habitualement intentionem (384. 373.); quo fit, ut ad omnia cetera violanda facilis, et ad omnia pericula peccandi male praemunitus accedat. In textu d) Christus ex mente S. Chrysostomi et Theophylacti loquitur de mandatis re ipsa gravibus, quae tamen, ceu minima, spernebant Pharisei, docentes, solos actus malos voluntatis, in facta prava externa erumpentes, graviter prohiberi, e. g. homicidium, adulterium &c., non item mere internos, e. g. iram, concupiscentiam malam, &c. unde Christus continuo subdit: *Nisi abundaverit iustitia vestra plus, quam scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum.* Ipse sequens contextus hanc expositionem plane confirmat. De mandatis re ipsa gravibus agi putat S. Hieronymus in Comment. et S. Augustinus de Serm. Domini in monte cap. 16., ita tamen, ut caelo excludi non sola eorum transgressio, sed multo magis perversa interpretatio dicatur, quasi omnino non obligent. Ceterum S. Augustinus Serm. cit. cap. 18. ait, idcirco vocari mandata minima; non quod parva sit eorum transgressio, sed quod minimam perfectionem hominis eorum observatio constituat. Nullus autem pro-

probatas interpretas ea intelligit sic, ut quaevis mala moralia, utcumque levia, caelo excludere, inde censendum existimet. Vide tamen Suarez de Relig. Tract. VII. L. I. Cap. IX. n. 22. et 23.

418.

*SS. Patres divisioni peccati gravis et levis citra ullam controversiam sunt adstipulati. Et quidem S. Hieronymus lib. II. adversi. Iovin. ait: Non tibi habebunt tantas gratias, quos de humili in sublime levas; quantum irascuntur, quos propter leve quotidianumque peccatum in exteriores tenebras retruxisti. S. Augustinus Epist. 29. ad Hieron. eum ipsum errorem Ioviniani ab ipso Hieronymo lib. cit. egregie confutatum fuisse testatur; idemque in pluribus locis levia a gravibus apertissime distinguit; et apertissime in lib. de spiritu et lit. cap. 36.: His constitutis, inquit, peccatum erit hominis ex fide viventis, aliquando alicui delectationi illicitae consentire, non tantum in illis horrendis facinoribus et flagitiis perpetrandis, verum etiam in istis levioribus, ut vel aurem alicui voci, quae audienda non esset, vel linguam alicui, quae dicenda non esset, accommodet. Alium Augustini textum vide 391. S. Chrysostomus homil. 24. in Matth. exponens illud cap. 7. Quid vides festucam etc., peccata venialia, quae flagitiis opponuntur, delicta levissima et culpas parvas appellat. Plura vide apud Bellarm. de Amiff. Grat. lib. I. cap. 5. 6. et 10.*

\* *Opponunt: 1) Patres etiam mortalia saepe vocant venialia, et vicissim dicunt, etiam venialia mortem animae afferre. 2) S. Basilius in Quaest. brev. quae. 203. negat, in novo testamento inveniri differentiam levium et gravium peccatorum. 3) S. Augustinus docet in cit. Epist. 29. ad Hieron., multa venialia simul collecta damnare hominem; item docet lib. II. de peccat. merit. cap. 3. et alias, in iudicio Dei neminem cum spe salutis constiturum, nisi scriptam noisset: Su-*  
*per-*

*peractat misericordia iudicium. Respondeo ad 1. Patres veniale peccatum triplici sensu appellant; primo ex eventu veniæ, quam subinde ob poenitentiam rite actam consequitur etiam grave peccatum; deinde ex causa, ignorantia scilicet et infirmitate, ob quam facilius veniam peccata inde orta obtinent, quam ex certa malitia admitta; denique ex legis levi obligatione. Iam vero etiam tertio hoc sensu adstrui a Patribus venialia peccata, ex textibus eorum est apertissimum. Venialia autem etiam tertio hoc sensu afferre mortem animæ docent, non immediate, sed mediate, quatenus disponunt ad mortale proprie tale. Ad 2. Vel hic error, si alia criteria abessent, suspectum facere illud opus deberet, an S. Basilii Magni revera sit: etsi, quod illius auctor quaest. 1. et 95. videatur negare traditiones non scriptas, A catholici scriptores valde liberali crisi illud S. Basilio velut certum adiudicent. Atqui S. Basilius in lib. de Spiritu Sancto ad Amphilocho, cap. 27. traditiones non scriptas acriter defendit; atque vicissim illas Quaestiones, teste Sozomeno lib. III, cap. 19, multi olim adscripsere Eustathio Sebasteno, ob multos gravesque errores in Concilio Gangrensi damnato. Nihilominus, quoniam ille actor quaest. 106. admittit, unum peccatum esse gravius altero, potest etiam in loco obiecto mitius explicari, quod tantum velit, inter peccata non dari discrimen quoad prohibitionem simpliciter; quod perperam volebant Pharisæi, negantes, in lege antiqua prohiberi interna, veluti levia peccata. Ad 3. S. Augustinus solum voluit; multa venialia disponere hominem ad mortalia peccata; item neminem consistere posse in Dei iudicio, quia satis sciri vix potest, an non semel saltem peccatum grave quis admiserit, et an idem sibi a Deo plene sit condonatum.*

\*\* Ceterum in acceptione vocis *peccatum* multiplex sane confusio locum apud variae conditionis scriptores obtinuit. 1) Qui *legem* cum omni regula morum, bonitatem vel malitiam fundamentalem actionum (saltem theologicam) enuntiante, confundunt, nec consilium invitans a lege secernunt; tametsi *peccatum* nobiscum definiant esse, actionem, vel omissionem

nem, legi contrariam; tamen longe a genuina peccati theologici notione apud omnes SS. Patres Ecclesiae Christianae recepta recedunt. Tali enim notione legis assumpta, peccatum theologicum erit, quidquid in actionibus liberis formaliter theologicè fundamentaliter optimum (spectata praesente facultate libera agentis) non erit; eo quod id omne regulis morum commendabitur faciendum: quo nihil communi omnium Christianorum sensui magis dissentaneum cogitari potest (360.). 2) Alias nomen *peccati* acceptum a variis est pro quolibet defectu et recessu a bono et perfecto, seu habituali, seu actuali; etsi nec voluntarius sit, nec liber. Hoc sensu Lutherus (in Aflert. Art. 32. a Leone X. damnati) docuit; *omnia opera etiam iustorum esse peccata; concupiscentiam* item, et *motus pravae*, qui rationem praeveniunt, imo qui etiam *in ipsis infantibus* sine usu rationis exoriuntur; etsi iustis fidelibus, Baptismo renatis, ea dixerit non imputari, sed infidelibus tantum. Verum quidem est, inordinatos concupiscentiae motus etiam in SS. Scripturis quandoque peccati nomine compelli; uti cum S. Paulus ad Rom. VII. 17. ait: *Non iam ego operor, sed, quod habitat in me, peccatum; sed istiusmodi acceptio vocis istius, peccatum, multum conceptu differt a notione peccati theologici; siquidem in ea peccatum sumitur tum pro causa, tum pro effectu et poena peccati theologici, a primis parentibus admissi: pro causa quidem peccati; quia inordinati motus inclinant ad actiones voluntarias et liberas, legi DEI cognitae contrarias; pro effectu peccati theologici, quia iidem pravi motus in praesente humani generis statu atque ordine Providentiae veri sunt effectus peccati vere theologici, a parente primo Adamo commissi. Interim, quoniam ista notio peccati, quatenus seu defectum habitualem naturae (id est, facultatis inferioris appetendi), seu defectum actualem, in ipsis inordinatis motibus consistentem, designat, qui nullo pacto homini liber, imo nec voluntarius est, sed solum in posteriore sensu spontaneus (nempe in motu concupiscentiae rationem praeveniente), tale habet obiectum, quod legis (non nisi actiones vel omissiones voluntarias et liberas praescribentis) obiectum esse absolute non potest: idcirco*



probe utique a notione *peccati theologici* discernenda est, ac minime cum ea confundenda. Quod si fecisset Lutherus, nemo utique illa eius tam heteroclitica doctrina, fuisset offensus, cum dixit: *iustum in omni opere peccare*; si nempe aliud non affirmasset, quam omnia iusti opera mixta esse naturali defectu naturae, non nisi difficulter assurgentis ad bona opera, ob renisum concupiscentiae, etiam in iustis hominibus ductui gratiae divinae oblustantis: qui tamen defectus *moralis operum bonitate theologicae* adeo non obest, ut animus, sui ipsius victor, exinde etiam laudem et remunerationem multo ampliolem mereatur. Ex adverso, cum peccatum naturae habituale cum peccato actuali theologico confundens, universe pronuntiavit; opera omnia etiam fidelium ac iustorum esse moralia peccata, et peccata quaecunque (etiam theologica) nihilominus creditibus in Christum non imputari ad poenam vitae alterius; nunquid istiusmodi doctrina omnis moralitatis fundamenta subvertit, et summae morum licentiae fraena omnia laxavit? 3.) Denique etiam notio *peccati philosophici* (SS. Patribus sane ignota, nec nisi a Scholasticis post seculum XI. inventa) nequaquam apparet, quo pacto in uno genere communi cum peccati theologici notione conveniat; quod consideranti facile patebit ex 409. Itaque operae pretium est, ut tam *discrepantes peccati* notiones ad unum genus recto ordine revocemus. Sit itaque

## 419.

*Peccatum in genere* est defectus medii a suo fine. Vel est *habituale*, si est permanens defectus, seu perdurans aliquamdiu; vel *actuale*, si est actus non perdurans. *Peccatum actuale* vel est spontaneum solummodo, vel etiam *liberum*. Peccatum liberum, quod est defectus a fine solum physice bono, cognito qua tali, dicitur *peccatum philosophicum*: idem, si est defectus liber a fine theologice bono, dicitur *peccatum simpliciter theologicum*. Istud ultimum tateporro, cum semper simul sit defectus a volun

DET.

DEI; si sit defectus a voluntate DEI solum imperfecte obligante, vocatur *imperfectio theologica*; si a voluntate DEI perfecte obligante, dicitur *peccatum theologicum antonomastice tale*; de quo 409.

Rursus *peccatum habituale* dividitur in *habituale naturae*, quod est defectus permanens in natura a ratione medii ad finem suum, et in *habituale actus* (seu actuale), quod est peccatum actuale praeteritum, in habitum permanentem, ex actu ortum, transiens.

• Ad *habituale naturae* refertur *peccatum originale*, quod est defectus naturae humanae in ratione medii ad finem supernaturalem, ortus ratione originis ex Adamo, per peccatum suum actuale theologicum omnes posteros pessumdantis. Motus pravi concupiscentiae, praevenientes rationem, sunt *peccatum actuale spontaneum*, sed non liberum. *Peccatum philosophicum* foret in homine, sine peccato theologico DEVM ignorante (si fieri id possit), e.g. comestio cibi noxii, a sciente facta. Cetera per se patent. Non erit autem inutile, sic omnes peccati species, in Scripturis et Patribus, imo et in Philosophia morali, occurrentes, ad unam communem genericam revocasse per divisiones, in quibus, quia secundum regulas Logicae omnes adornatae sunt, vitio nil verti iure potest.

420.

Quoniam omne peccatum theologicum culpa est, gravis, vel levis (407. IV.); omnis autem culpa defectus positivus rectitudinis liber (257.), seu moralis (1.): idcirco *prout varius possibilis est defectus moralis rectitudinis; ita varia sunt genera et species peccatorum theologorum.* 2.) Porro sicut in homine duae facultates, quarum actiones et omissiones immanentes simul ac liberae sunt, vel immediate, vel mediate, puta, intellectus, et voluntas; ita *universe duplex genus, seu*

duae species summae peccatorum sunt, nimirum una in intellectu et in voluntate altera. 3.) In intellectu duae sunt species subalternae instar generum inferiorum, nimirum error, et ignorantia, circa res ad finem ultimum necessarias: quorum utrumque cum sit malum positivum, si libera sint (410. not.), lege divina naturali prohibentur (358.). 4.) In voluntate item duae sunt species subalternae, instar generum inferiorum, nimirum amor complacentiae boni apparentis ac mere creati, praevalens amori complacentiae de bono vero increato, substantialiter, vel accidentaliter perfectio; et odium positivum veri istius boni increati. Mera enim omissio, immediate libera, impossibilis (410. not.); contra amor et odium non rectum omnes alios actus voluntatis non rectos imperant (71.). Vnde merus defectus amoris debiti circa bonum verum possibilis non erit, qui sit inter duo ista genera quid medium: omnes autem aliae species peccatorum voluntatis ab his duobus imperabuntur. 5.) In facultate motrice voluntaria distingui debet facultas movens, quae est substantia mentis: volitio libera et efficax motus determinati in membris corporis, et haec pertinet ad rectitudinem voluntatis, si recta est; vel ad istius defectum a rectitudine, si non recta: denique motio ipsa membrorum corporis efficaciter volita; quae est effectus transiens, et mentis substantiae externus: ac proinde seu a recta, seu a non recta volitione procedat, seu secundum se metaphysice absolute bona, seu mala sit; intrinsicam mentis rectitudinem neque auget, neque minuit: imo nulla ratione per se ipsam variat; cum sit tota absolute extra illam. Itaque ratione effectuum facultatis motricis voluntariae, seu motionum corporis praecise spectatarum, peccatorum genera et species formaliter et immediate

*mediate non variantur; sicut nec ipsa rectitudo moralis ipsius mentis; nisi quoad simul variantur ex illis volitiones liberae, ceu ex suis obiectis.*

• *Nota, rationem, cur motiones corporis, quae vulgo nomine actuum externorum veniunt, secundum se non variant rectitudinem moralem (seu meritum morale ac demeritum) mentis ipsius, non esse, quod non sint immediate liberae, et solummodo effectus volitionis earum liberae; sed quod sint extra mentem in subiecto a mente realiter distincto, in corpore videlicet: ex quo evidens est, per earum seu bonitatem, seu malitiam metaphysicam, mentem ipsam intrinsece formaliter nec perfici, nec imperfectiorem reddi posse. Ex aduerso minime hinc sequitur, etiam actus intellectus, aut ipsius voluntatis, solum mediate liberos, et imperatos, itidem non variare rectitudinem mentis simpliciter. Cum enim sint actiones, menti immanentes, et recipiantur in ipsa mente, tanquam in subiecto, quidquid in ipsis seu bonum, seu malum metaphysice est, variat bonitatem vel malitiam accidentalem ipsius mentis immediate per se et formaliter, tanquam sui subiecti. Vnde licet in actu imperante voluntatis immediate libero, ceu in causa, tota libertas immediata insit, nondum tamen inest in eodem totum meritum morale (seu rectitudo), quod inest utrique actui simul imperanti, et imperato: quia istud ex libertate et bonitate physica vel theologica simul componitur (159. I.). Sicut ergo actus imperatus pretium physicum, seu bonitatem physicam et theologicam (vel malitiam) habet propriam; ita rationem meriti moralis mentisque rectitudinem per se immediate et formaliter mutat, id est, auget, vel minuit.*

•• *Dixi vero, motionem, seu actionem externam, per se immediate et formaliter non variare rectitudinem mentis. Nam vulgo tamen eius possibilitas et executio actualis tum occasio est maioris (intensive, vel extensive, quoad durationem, vel numerum actuum) bonitatis vel malitiae actuum voluntatis, quibus, ceu causis, actus ipsi externi efficiuntur. Sic*

qui actu ipso externo assistit per horam cultui divino, diutius et per saepius repetitos actus voluntatis cumulat meritum morale, ipsis actibus voluntatis inhaerens, quam qui per se omnem efficaciam voluntatis habet, ut tamdiu assistat; attamen carcere detentus impeditur ab assistentia corporis. Quodsi tamen talis captivus haberet omnem rectitudinem formalem actuum immediate liberorum voluntatis in suo carcere sine motionibus externis, quantam habet alius, re ipsa divino cultui per horam assistens, sine dubio uterque idem meritum morale, eandemque mentis rectitudinem moralem obtineret. *Neque* vero ex eo, quod Deus lege sua etiam actus externos singillatim praecipiat, aut vetet, sequitur, eos specialem menti rectitudinem, aut istius defectum afferre; siquidem Deus lex nullo pacto praecipit, aut vetat aliquid immediate circa actus seu motiones externas, sed solum circa actiones immediatas mentis et volitiones efficaces illarum motionum, quae tamen volitiones, seu actiones transeuntes, sine suo termino relationis atque effectu extrinseco nec concipi, nec explicari possunt.

\*\*\* Consentit denique huic doctrinae, lumine rationis iam prorsus evidenti, Scripturae divinae multiplex locus; nempe Genes. XXII. 26. ubi Deus Abrahamo ob solam efficacem voluntatem obediendi, cum externo actu non coniunctam, dicit: *Quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi.* Et Matth. V. 23. dicit Christus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.* In quem locum alludens S. Augustinus lib. I. de lib. Arbitr. cap. 3. ait: *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum coniuge aliena, planum tamen aliquo modo fit, id eum cupere, et, si potestas detur, facturum esse; non minus reus est, quam si in ipsa factio deprehenderetur.* Similia saepe dicta apud alios SS. Patres legere est, vulgo docentes, Deum voluntatem pro facto reputare, ac remunerari.

421.

*I. Soti actus non recti voluntatis, ac proinde sola peccata voluntatis, immediate libera esse possunt: quia de-*

defectus omnes rectitudinis in intellectu aut per leges naturae necessarias, aut per liberas omissiones diligentiae et usus facultatis cognoscendi in inquirenda veritate a priori determinantur; ac proinde non nisi mediate liberi esse possunt (285.). Idem est de motionibus corporis. Ex adverso actus non recti voluntatis possunt esse primitivi, nimirum amor aut odium displicentiae non rectum seu inordinatum (69. 70.), aut imperati (71.); quorum illi immediate, hi mediate liberi sunt (285. not.).

*II. Error et ignorantia intellectus, ut rationem culpae, ac proinde et rationem peccati habere possint (407. IV.), mediate liberi, id est, per actionem vel omissionem voluntatis immediate liberam determinati (285.), atque adeo directe, vel indirecte intenti, id est, vel voliti, vel saltem voluntarii (311. I. et II.) esse debent.*

\* Vnde erravit evidenter III. Wolfius cum Phil. Pract. Univerf. P. I. §. 696. *culpam in genere* definit defectum rectitudinis actionis vincibilem (id est, quem impediendi libertas physica suppetit), tumque eam dividit in *dolum*, quem §. 701. vocat defectum rectitudinis in voluntate et noluntate; et in *culpam in specie*, quam §. 717. definit esse defectum vincibilem rectitudinis in actione intellectus: ubi porro admittit tertiam speciem culpae §. 782., quam *culpam mediam* vocat. *Dolum* ait §. 705. *committi a sciente et volente, culpam in specie*, ait §. 732. *committi nec a sciente, nec a volente*, denique §. 783. *culpam mediam committi a sciente quidem, non tamen directe volente*. At enim si *culpa in specie* committatur a non sciente, simul ac non volente; quonam pacto vel indirecte solum voluntaria, ac saltem mediate libera erit (284. 285. 310. 311. I. II)? Aut sine hoc, quo demum pacto a libera facultate voluntatis vincibilis esse poterit? Absit ista longe a Philosopho Christiano absurda, et vel ipsi rationis et no-

tionum evidētiaē repugnans cogitatio, culpam seu defectum moralem rectitudinis (1.) sine morali defectu rectitudinis in voluntate esse, vel concipi solum posse. Subreptioni facillime obnoxium est principium Wolfianum, *morale ac liberum esse omne id, quod a libertate mentis in existendo dependet*. Non enim omnes effectus actus liberi voluntatis morales ac liberi sunt, nili sequela eorum, seu connexio cum eodem, praevisa fuerit; et tamen in existendo, sicuti ipse actus liber, qui eorum causa natura prior est, a libertate mentis dependent. Dividamus sane genera aut species supremas peccatorum in peccata seu culpas intellectus, et culpas voluntatis: at nunquam illas concipiamus sine istis; sicuti nec culpas actuum externorum sine interveniente actu immediate libero voluntatis, cui omnia vera ratio culpae horum actuum proprie iam insit; nunquam item concipiamus culpam voluntatis sine scientia admissam, uti Cap. II. uberius ostendetur.

## 422.

*Species inferiores peccati theologicī omnes universè repetendas sunt a diversa bonitate theologica, vel malitia theologica materiali obiectiva, quae illis inest natura prior ad legem*. Est enim ea ratio sufficiens, natura prior ac instar motivi ad omnem legem (349. II. 405.), nec primum per legem, sed per proprias actionis, vel omissionis, lege praescribendae, determinationes intrinsecas determinatur (350.); secundum quas ista primae normae, id est, divinis perfectionibus conformis, vel difformis est (404.). *Praeterea est in eadem diversa bonitate et malitia obiectiva antecedente ratio sufficiens universalis ad discernendas omnes species legum*. Nam a bonitate necessaria ad finem ultimum *omnes leges naturae affirmativae, et a malitia theologica formali (quae item antecedens legem est 306.) omnes leges naturae negativae, et quidem omnis istarum diversitas praecise ex diversitate illius*

illius bonitatis et malitiae, ceu rationis suae sufficientis unicae, determinatur perinde, atque gravitas ac levitas legis naturae; quod ex demonstratione Corollarii IV. 416. apertissime patet. Porro *leges positivae divinae* non praecipunt actiones, nisi quarum iussionem, nec prohibent, nisi quarum vetationem, DEUS cum maiore communi bono beatitudinis in humano genere connexam fore praevidet (399.). Interim *leges istae* nec praecipere, nisi actiones iam obiective bonas simpliciter, nec prohibere, nisi iam obiective minus bonas, seu per se, seu per accidens tales, et ut tales iam praevisas, possunt (396. 399.); ac proinde actiones, et omissiones, lege aliqua DEI positiva praescriptae, item suam variam bonitatem et malitiam negativam fundamentalem non a DEI lege accipiunt, sed antecedenter ad legem habent, ceu rationem istius sufficientem partialem; quacum praescientia DEI de maiore futuro bono communi, ex obligatione legis eis apposita secuturo, rationem sufficientem positivae legis integram constituit, natura priorem lege (399. 350.). Denique Lex ipsa quaecumque divina non potest differre specie, nisi ut *regula* diversa, non autem ut *obligans*: ut obligans enim poenas eadem semper quoad substantiam intentat; contra ut *regula* differt praecise, quatenus iudicio quodam actionum et omissionum, quae ipsius obiectum sunt, bonitatem vel malitiam aliam atque aliam enuntiat (339. 340. n. I.): ex quo ipso fit, ut malitia, quae praecise ex lege, ut obligante, in peccatum omne refunditur, non nisi una semperque eadem specie sit, nimirum in contemptu practico bonitatis divinae respectivae (406.) consistens, cuius peccato theologico essentiali (410. I.), qui magnitudine quidem in peccato gravi et levi differt



(406.); at quae tamen speciem sola non mutat. Quod ad *leges humanas* attinet, seu *Ecclesiasticas*, seu *Politicis*, cum non nisi eodem fine a DEO potestas, has leges ferendi, sit concessa (400. II. III.); atque ut sapientes, sanctae, et bonae sint (353.), itidem rationes sufficientes natura priores, sapientiae et sanctitati conformes, habere debeant, nimirum aptitudinem aliquam, actioni, vel omissioni praescribendae aliunde intrinsecam, ad bonum finem (349. I. 350.): ultro patet, a diversitate quoque ista bonitatis, vel malitiae, positivae, vel negativae, actionum et omissionum humanarum antecedente et obiectiva repetendam esse legum quoque humanarum omnium diversitatem specificam in ratione regulae (339. 340. n. I.); in qua sola differre specie possunt: cum nemo utique diversitatem specificam repetat a diversitate obligationis perfectae, aut a diversitate poenae, quam intonat, quae gravitate quidem seu magnitudine, sed non specie diversam legem determinat. Videmus itaque, in ipsa obiectiva bonitate vel malitia actionum et omissionum moralium rationem diversae speciei, in ipsas DEI et hominum leges quascunque possibiles refundendam; iam antecederet ad istas inesse, nec a lege quacunque in peccatum aliquod, quatenus id legis divinae transgressio est, novae specificae malitiae rationem transfundi posse. Itaque species inferiores &c. &c.

\* Illud verum; peccatum, actione legi humanae contraria admissum, specialem humani quoque legislatoris contemptum practicum importare. At eatenus *peccatum humanum* est, non mere theologicum (409.). Porro demonstrationis istius hic datae tanta est evidentia, ut obiectioes nullas, nisi frivolas, sustineat; quas refutare inanis sit labor. Qui a diversis legibus  
repe-

repetendam diversitatem specificam peccatorum theologorum censuere, nullo fundamento a recepta prius S. Thomae Aquinatis doctrina recessere; quam, huic thesi prorsus consentaneam 1. 2. q. 22. a. 1., et Quaest. 2. de malo art. 6., et alias saepius, ille luculentissime tradidit; tumque ipsimet diversitatem specificam legum a diversitate motivorum intrinsecorum legis repetunt; quae profecto aliud non sunt, nisi rationes illae sufficientes legum, quae univérse ab ipsa fundamentali bonitate vel malitia actionum et omissionum, lege praescribendarum, reipsa repetuntur.

• • Regulas differentiae numericae peccatorum tradendi non est hic locus. Cum enim numeri peccatorum discernendi notitia unice spectet pro fine observationem legis divinae positivae de confessione Sacramentali; non tam distinctio realis, vel realis identitas actuum praecise, quam spiritus ac finis illius legis divinae a Christianis, eadem obligatis, in enumerandis suis in confessione peccatis spectari debet: cuius proin spiritus ac finis notitia praevia esset opus ad regulas satis convenientes de ista re tradendas.

## CAPVT II.

### DE ACTIONUM HUMANARUM MORALIUM LIBERTATE.

---

#### ARTICVLVS I.

##### DE NATVRA PRINCIIPII LIBERI ACTIONVM MORALIUM.

423.

**P**rinzipium est, quidquid, ut ratio sufficiens, vel insufficientis, seu possibilitatis, seu existentiae, eaque immediata, vel mediata, a priori cum alterius existentia connexum est. Idem in creatis ob contingentiam connexionis absolutam *caussa* appellat-

pellatur. *Principium materiale* dicitur, seu *caussa materialis*, quod est ratio mera possibilitatis alterius; sine qua alterum non est adhuc possibile: *principium* vero et *caussa efficiens* vocatur, quod est ratio sufficiens, existentiae alterius. Dividitur porro *caussa* in *physicam*, et *intentionalem*. *Caussa physica* est, quae, ut existens a parte rei, est ratio alterius a priori connexa; eaque *completur* *causam materiale* et *efficientem*. *Caussa intentionalis* est, cuius solum cognitio seu existentia mentalis (seu *intentionalis*, uti vocant) est ratio alterius a priori connexa. Ex *caussis* porro diversis *intentionalibus* *finalem* iam 66. & seqq. explicavimus. Ex eisdem *caussa moralis* illa appellatur, cuius, iam aliunde existentis, vel exiturae, cognita, vel praevisa bonitas aliqua, vel malitia, movet, tanquam ratio a priori, *causam efficientem*, intellectu et voluntate praeditam, ad agendum, seu producendum effectum alium ab ipsa distinctum. Denique quod a posteriori cum altero, tanquam suo principio, connexum est, in contingenti nexu *dependens* ab, altero, seu *causatum*; et siquidem dependeat ab eo, tanquam a principio existentiae suae, *effectus* appellatur.

\* Sic e. g. mens est *principium materiale physicum* idearum, quas impressione in sensus ab obiectis externis, tanquam *caussis physicis efficientibus*, recipit, seu subiectum, et ratio possibilitatis earundem, sine qua illae non essent proxime et complete possibile intrinsece. Finis quisque obiectivus est *caussa intentionalis*, quam et *finalem* vocant, cuius, ut intrinsece et extrinsece possibile, praevisio movet *causam intellectu praeditam* ad sui desiderium efficacem, imperans actiones ad eum efficiendum necessarias. Merita fidelis famuli movent dominum, seu *caussa moralis*, ad liberalem ei largiendam mercedem.

424.

*Principium voluntarium* respectu cuiuscunque determinationis in aliquo ente est substantia spiritalis, quae aliqua actione, vel omissione voluntatis est principium existentiae eiusdem, (seu immediatum, seu mediatum) cum distincta praevisione nexus inter eandem suam actionem, vel omissionem voluntatis, et inter existentiam determinationis illius. Quodsi actio, vel ommissio, praevisioni illius nexus coniuncta, simul sit libera, id est, ab omni necessitate antecedente immunis, ita, ut ipsa sit ratio partialis ultima existentiae sui ipsius (307. 329. not. Psychol.), tale *voluntarium principium, liberum* appellatur; *non liberum*, si actio, vel ommissio praedicta non sit libera.

425.

*I. Ut quis sit principium voluntarium liberum (seu causa voluntaria libera) respectu existentiae cuiuscunque determinationis in se ipso, vel in alio ente; requiritur, 1.) ut aliqua sua actione, vel omissione, sit eius principium (423.): 2.) ut tale sit cum distincta praevisione nexus suae illius actionis, vel ommissionis, cum existentia eiusdem determinationis: 3.) ut ea actio, vel ommissio, sit libera.*

*II. Aliud est, actione, vel omissione, libera esse principium, vel causam alicuius effectus, seu determinationis in quocunque ente; aliud, esse eius causam seu principium liberum. Prius evenire potest etiam sine praevisione nexus actionis cum tali termino seu effectu, non item posterius.*

\* Iam vero istam notam principii liberi, quae consistit in praevisione nexus actionis eiusdem cum effectu suo, qua tali, et discrimen inter principium liberum,

rum, et inter principium, quod actione libera est principium, quod Cor. II. expressi, inprimis negligi video ab Ill. Wolfio in toto ferme cap. VI. P. I. Phil. Pract. Univ., uti et a plerisque eius cultoribus. Unde id ipsum, ceu gravissimi momenti, studiose prae aliis inculcandum deinceps erit. Praeterea qui Wolfianae notioni de libertate assuevere (videlicet quod libere agere, sit, agere id, quod per motiva fortiora, ut melius, in individuo proponitur), vulgo multis actionibus libertatem tribuere solent, quibus illa nequaquam convenit ob necessitatem antecedentem, ex defectu deliberationis prorsus non libero ortam; vel ob defectum pugnantium inter se motivorum: qua de re in Psychologia a §. 316. abunde dixi.

426.

*Imputatio* determinationis cuiuscunque, sive in nobis ipsis, sive in aliis rebus, aut personis actu existentis, seu positivae, seu negativae, dicitur iudicium, quo quis iudicatur esse principium liberum existentiae eiusdem.

427.

*I. Imputans alteri quidcunque, iudicat, 1.) eum aliqua sua actione vel omissione fuisse principium existentiae eius, quod illi imputat; 2.) fuisse hoc cum distincta praevisione nexus suae actionis, vel omissionis cum existentia eiusdem; 3.) actionem, vel omissionem, ratione cuius iudicatur fuisse eius rei principium, illi fuisse liberam.*

*II. Imputari alicui ex vero non potest, nisi cuius ipse principium, cum praevisione nexus, et actione vel omissionem, libera fuit: et quodvis desit istorum trium, imputatio falsa est.*

428.

*III. Ut quid alicui, ceu principio saltem mediate voluntario ac libero, ex vero imputari possit, opus est,*  
ut

ut causae eius immediatae principium liberum sic fuerit, ut simul istius immediatum nexum (seu nexum suae actionis, vel omissionis mediatum, mediante ista futurum) certo praeviderit. Secus enim id ipsi mediate in causa (id est, cum causam libere determinavit) nec voluntarium, nec liberum fuit (284. 285.).

• Ut ergo natura universa liberi, five eius, quod homini imputari, seu bonum seu malum, potest, quam integerrime explicetur, isthaec tria prorsus evolvere oportet; videlicet 1.) qualis praevision, seu deliberatio, 2.) qualis consensus voluntatis, seu qualis ratio principii in actione vel omissione voluntaria, 3.) qualis istius libertas requiratur, ut quid homini liberum dici, hoc est, imputari possit.

§. I. DE DELIBERATIONE NECESSARIA AD HOC,  
VT QUID HOMINI, CEV PRINCIPIO LIBERO,  
IMPVTARI POSSIT.

429.

**D**eliberatio est reflexio mentis cum claro intuitu super bonitate, vel malitia quacunq; actionis, vel omissionis, committendae, id est, super relatione consensus eiusdem seu cum bono naturae, proprio, vel alieno; seu cum perfectione, atque etiam lege DEI. *Deliberatio plena* dicitur reflexio cum claro intuitu super tota bonitate et malitia actionis vel omissionis, id est, omnium eius determinationum, seu in specie, seu in individuo spectatae, omniumque eius effectuum, positivorum, et negativorum; *non plena deliberatio* vero est, si reflexionis intuitus non ad omnes eius determinationes, vel effectus, se extendat cum discerniculo seu adperceptione bonitatis, vel malitiae eorundem.

430. Actio

430.

*Actio, vel omiffio, humana plene deliberata, non plene deliberata, prorsus indeliberata est, quae cum reflexione et distincto intuitu totius bonitatis, vel malitiae, vel solum partialis, aut sine ulla reflexione ad istam fit, id est, quae fit vel cum plena, vel cum non plena, vel sine ulla deliberatione (praec.).*

431.

*Indeliberatio, seu inconsiderantia in genere, dicitur omnis defectus reflexionis sufficientis ad clarum intuitum de bonitate vel malitia alicuius actionis, vel omiffionis, actu susceptae vel suscipiendae, est, defectus plenae deliberationis; et quidem si omnis deliberatio desit, inconsiderantia plena, si partialis quaedam adfit, alia desit, inconsiderantia non plena, appellatur.*

432.

Defectus deliberationis sufficientis et clari intuitus super individuali malitia actionis, vel omiffionis, in specie bonae, vel non positive malae, orta ex circumstantiis individuuis (294. II. III.), *imprudencia* appellatur.

433.

*Improvidencia* est defectus sufficientis deliberationis et clari intuitus super malis effectibus, qui ex actione, vel omiffione, facile evenire possunt; et, reflexione facta ad eius circumstantias, facile praevideri, et evitari possent.

434.

*I. Imprudentia et improvidencia sunt species inconsiderantiae, seu indeliberationis (431.).*

II. Im-

*II. Imprudentia, stante deliberatione non plena, committitur, si intellecta quidem bonitate actionis, vel omissionis, in specie, non amplius attendatur ad eius circumstantias individuas, et redundantes ex illis immediate in ipsam actionem, vel omissionem, determinationes malas intrinsecas (291. 294. III.).*

*III. Improvidentia, stante deliberatione non plena, committitur, si intellecta quidem bonitate actionis, vel omissionis, in specie et individuo, non amplius attendatur ad effectus, qui ex concursu facile possibili alterius causae per accidens ex ea oriri possent.*

\* Sic e.g. imprudens est, qui, praesente inimico, narrat arcana sua, quorum scientia is certo abusus continuo praevideri poterat. Improvidus est, qui cum candela ardente ingreditur faenile, quin laterna illam includat: quia ex concursu alicuius circumstantiae facile possibile est, ut incendium contra ipsius propositum per accidens oriatur.

435.

*Inconsiderantia plena, et non plena, imprudentia, et improvidentia, dari in hominum actionibus et omissionibus materialiter malis possunt, et saepe adu dantur, sine ulla reflexione seu reflexa deliberatione ad ipsam inconsiderantiam, imprudentiam, et improvidentiam, aut praevisione malitiae eius in specie, vel individuo, aut malorum effectuum, ex ea facile oriturorum. Constat hoc abunde ex sensu intimi experientia, qua meminimus omnes, plurimas a nobis commissas actiones, tum omnis deliberationis expertes, quas idcirco actiones hominis, non humanas, vocamus (286.); qualis fuit illa ephebi, Philippo II. Hispaniarum Regi pro arena ad siccandas recenter scriptas literas vas atramenti offerentis, ex somnolentia reflexionem praepediente; tum non plene deliberatas, quarum videlicet non totam ma-*



litiam intrinsecam etiam in specie praevidemus; ut cum homo coelebs cum coelibе fornicatur, quam ipse, nil tale prius cogitantem, suasionе sua ad peccatum inducit, quin ullo pacto advertat, se praeter fornicationem scandalo peccare; tum *imprudentes*; ut cum quis zelo ductus coram aliis naevos suos alteri exprobrat, non attendens nisi ad bonitatem correctionis fraternae in specie, de ineptia vero correctionis in his circumstantiis individuis nihil omnino cogitans; tum *improvidas*, ut cum quis ad candelam ardentem ex cera sub noctem lectioni indulget, quin ullo pacto prospiciat, fieri facile posse, ut somno correptus incendio occasionem det, si, candela consumpta, flamma res vicinas corripiat.

436.

*I. Actionum et omissionum, utcunque materialiter malarum, quae cum indeliberatione seu inconsiderantia plena committuntur, malitia nec voluntaria, nec libera est; nec homini imputari potest: quia malitia non praevisa voluntaria esse non potest (284.) ac proinde nec libera (285.), nec ab homine, ceu principio voluntario ac libero, existit (424. 426.).*

\* *Neque illud oggeras inane, quod vulgo solent aliqui, malitiam potuisse praevideri, debuisse hominem deliberatione uti. Nam quid ista demum ad rem, si modo hypothesin intelligas, de qua sermo est. Potuit praevideri, inquis: hoc est, praevisio intrinsece non repugnabat; concedam: suppetebat facultas, eaque proxima, et libera praevidendi; nego, nisi hypothesin evertas, cuius realitatem frequenti in casu loc. praec. ostendi ex sensus intimi experientia. Quis enim potest libera facultate id, cuius nec possibilitatem praevidet, nec cogitatio menti adest. Debebat, inquis, uti deliberationes. Quid hoc? quo pacto debeo, teneor, obligor, decet me facere (aut quemcunque sensum*

sum subicere huic voci lubet), cuius nec cogitatio mihi iniicitur? Qui sic sentit, nae is confusis notionibus mente oberrat.

437.

*II. Si ex imprudentia plene indeliberata malitia actionis, vel omissionis, in individuo malae, non adpercipitur, eaque committitur cum sola deliberatione et claro intuitu bonitatis eiusdem in specie (432.); malitia eius in individuo, licet materialiter vere talis, imputari eam comittenti non potest, ob eandem rationem, quae loc. praec. data est.*

437.

*III. Si ex improvidentia plene indeliberata committatur actio, vel omisso, in specie et individuo bona, ex qua tamen ex concursu alterius causae per accidens malus effectus, nullo pacto praevius, oritur; effectus iste malus agenti imputari non potest, quamvis, si ad concursum facile possibilem causae per accidens attendisset, praevidere eum facile potuisset; 2.) imo istud valet quoad talem effectum, etsi actio, vel omisso, aliunde, et absque isto effectu, iam materialiter et formaliter mala esset. Tametsi enim actio ipsa, vel omisso, sit formaliter mala, ac proinde eius malitia voluntaria (305. 284.); tamen, quia eius malitiae nexus cum tali effectu malo non praevidetur, impossibile est, ut iste sit ab agente, tanquam a principio voluntario et libero (425. n. 2.), ac proinde iste agenti neque imputari, ut tali principio, potest (426. 428.).*

438.

*IV. Sine ulla deliberatione nullum dictamen conscientiae, nec remotum, nec proximum, de ulla actione, vel omissione, nasci potest (407. VII.).* Re-

Es 2

motum

motum enim bonitatem vel malitiam obiectivam, proximum malitiam propriam peccati, id est, contrarietatem cum lege DEI, naturali, vel positiva, enuntiaret: ergo hoc ipso utrumque reflexionem super relatione consensus vel dissensus actionis, vel omissionis cum perfectione, vel lege DEI, id est, deliberationem supponeret.

439.

*V. Si deliberatio aliqua, sed non plena, eaque talis solum, praecesserit, qua non nisi pars aliqua malitiae actionis vel omissionis, seu in specie, seu in individuo (id est, non nisi aliquae ex eius determinationibus intrinsecis malis), vel non nisi pars aliqua malorum eius effectuum, claro intuitu perspecta et praevisa fuerit; non tota actionis vel omissionis, eiusque effectuum malitia, quae reipsa obiective ei inest, vel connectitur, sed ea solum pars, quae praevisa est, eam committenti imputari potest; si modo indeliberatio super reliqua parte malitiae ipsa quoque indeliberate penitus intervenerit (435.). Reliqua enim illa pars malitiae, indeliberate admittae, rursus nec voluntaria, nec libera est; quia actionis, vel omissionis, cum ea nexus praevius non fuit.*

440.

*VI. Tametsi ergo realis obiectiva malitia actionis, vel omissionis, seu ratione sui immediate, seu ratione suorum effectuum, tanta fuerit, ut ex ea integre cognita, tanquam ex ratione sufficiente gravi, lex DEI gravis prohibens evidenter colligeretur (416. IV. V.): si tamen ob non plenam deliberationem non nisi levis malitia obiectiva eiusdem (seu non nisi pars levis totius malitiae eiusdem) praevideatur, non nisi lex DEI leviter obligans, nec nisi levis peccati ratio in eadem praevideri (415. cit.) poterit, atque adeo*  
non

*non nisi leve peccatum re ipsa committi (411. IV.), atque etiam imputari poterit (428.); modo defectus plenioris deliberationis ipse fuerit plene indeliberatus.*

441.

*VII. Peccatum grave sine tam plena deliberatione, quae ad clarum intuitum praeivum gravis malitiae vel contrarietatis cum lege DEI, graviter obligante, pertingat, nec committi nec imputari pro tali potest. Gravis enim actionis, vel omissionis, malitia, aut gravis cum DEI lege contrarietas non praevisa, formalis, voluntaria, et libera esse non potest: ergo nec pro tali imputari (284. 285. 428.).*

442.

*Indeliberatio plena super malitia alicuius actionis potest oriri vel ex habituali defectu acuminis; vel ex quovis impedimento non libero attentionis ad circumstantias individuantes actionis; vel ex ipsa nimis defixa mentis attentione in alio obiecto, vel alia actione disparata. Cum enim malitia actionis in specie et individuo simpliciter saepe pendeat a certis seu modificationibus intrinsicis simplicibus, seu a certis circumstantiis extrinsecis (292. IV. V.), quae si abessent, salvis ceteris determinationibus omnibus aliis, actio omnino mala simpliciter non esset: idcirco, qui neque naturali bono acuminis, nec istius habituali facilitate, usu ipso acquisita, polent, neque etiam instructione praevia certa adiuncta et circumstantias observare in quavis specifica actione edocti sunt, ex quibus obiectiva in eam malitia praecise redundat; ii facultate proxime expedita destituuntur, deliberationis ope veram actionis malitiam discernendi; ac proinde indeliberatio ipsa ab eis nec reflexe cognoscitur, nec eis voluntaria, multo minus libera esse po-*

Ee 3

telt:

test: *quod primum.* Quodsi impedimenta vulgaria attentionis ad praesentem actionem, externam praecipue, interveniunt, puta, somnolentia quaedam, seu *mentis iam semisopitae status*, in quo videlicet omnis clara conscientia rerum sensibilibum, et adperceptio istarum, obscurari, ac cessare incipit (Psychol. 96.); aut *agendi festinatio*; aut *vehementis affectus*, rationis omnem reflexionem praeventientis, *impetus* etc.; facile intelligitur, fieri posse, ut ea circumstantia vel adiunctum actionis omnem attentionis intuitum subterfugiat, a qua tota actionis malitia pendet, et in qua tota continetur: *quod alterum.* Denique si attentio in aliquo alio obiecto, vel actione alia, vehementer defixa sit, seu affectu aliquo iucundo, seu molesto eam defixionem imperante, seu demum vehemente impressione obiecti externi eam ad se rapiente (75. not. Psychol.); primum natura est, ut eiusdem attentionis reflexio ad alia desit, seu ex quibus praesentis actionis malitia consequitur, seu quae eodem tempore actionem aliam bonam, a nobis suscipiendam, reddunt necessariam: cuius proin omissio mala est, sed mere materialiter; quia prorsus indeliberate admitta; *quod tertium.*

\* Ex defectu acuminis oriuntur apud ipsos doctos et Philosophiae moralis scriptores tum controversiae, tum errores, de varia moralitate certarum actionum in specie; ex. gr. an polygamia, an matrimonium cum aliquo cognato in gradu primo collateralis, sint intrinsece mala, et iure naturae prohibita etc.; tametsi multa deliberatione rationes specificae istarum actionum ab illis expensae fuerint: quanto pronius erit, in repentina occasione agendi ob deficiens acumen in homine indocto deesse omnem suspicionem malitiae in actione, reipsa tamen materialiter mala, atque sic indeliberate prorsus eam ab illo committi.

443. Prae-

443.

*Praecipitantia* est determinatio ad actionem vel committendam, vel omittendam, ex obvio intuitu rationis alicuius re ipsa insufficientis, cum defectu reflexionis ad insufficientiam eiusdem, cuius ope isthaec facile dignosci poterat. Alia est *praecipitantia iudicii intellectus*, ex ratione insufficiente ad veritatem iudicii; alia *praecipitantia appetitionum et aversationum voluntatis* ex ratione insufficiente ad veritatem bonitatis earundem, id est, ex sola apparentia boni vel mali obiectivi (27.).

444.

*Praecipitantia iudicii intellectus supponit a priori praecipitantiam voluntatis.* Cum enim intellectus a ratione solum insufficiente non determinetur a priori ad iudicii assensum; si tamen is praecipiti iudicio eidem assentiatur: determinari illum a priori ad hoc opus est a voluntate. Iam vero vel imperium voluntatis, imperans assensum intellectui, nititur ratione sufficiente, id est, deliberato fatis intuitu suae bonitatis verae, vel solum insufficiente, et mera istius apparentia. In primo casu intellectus iudicium et assensus praecipitatus non erit; in altero a priori supponit praecipitatum imperium, seu appetitionem eius iudicii, in voluntate. Ergo etc. etc.

445.

*I. Praecipitantia voluntatis est causa indeliberationis seu plenae, seu non plenae, in actionibus humanis et omissionibus, item imprudentiae, et improvidentiae.* Qui enim agit, vel non agit, ex obvia apparentia bonitatis, vel malitiae actionis; is, occurrente semel aliqua istius specie, porro ad alia

Ee 4

ad-

adiuncta, circumstantias; et effectus proclives suae actionis vel omissionis non reflectit animum; ac proinde vel omnino non, vel non totam veram eius bonitatem aut malitiam praevidere cognoscit.

446.

*II. Praecipitantia per se oritur ex appetitu inferiore, affectu suo iucundo, vel molesto, rationem praevenerente; ac proinde eo maior ac proclivior esse solet, quo maior est affectuum id genus vehementia.* Non enim, nisi inferior appetitus boni et mali apparentia, et stimulo confusae cognitionis, determinatur; cum e contrario appetitus rationalis non nisi ex motivis sufficientibus distincte cognitis, id est, cum reflexione perpensis, se determinet: *quod primum.* Porro cum praecipitantia voluntatis rationem effectus imperati habeat respectu eius affectus sensitivi, ex quo oritur; pro vehementia imperii istius, ceu ex quantitate causae, etiam crescit facilitas praecipitantis, tanquam effectus: *quod alterum erat.*

447.

*Praecipitantia in agendo, vel omittenda aliqua actione, ac proinde istius indeliberatio qualiscunque (445.), aequè oriri potest ex affectu inferioris appetitus bono, atque ex malo.* Dantur enim etiam affectus appetitus inferioris, consentientes cum actibus appetitus rationalis vera theologica bonitate praeditis; qui proinde et ipsi mali non sunt, sed boni, quia cum vero bono consentientes. Isti porro affectus boni pro vehementia, quam unde unde (ex g. a frequenti coniunctione cum actibus appetitus rationalis) acquirunt, tum pro facilitate naturali appetitus inferioris, impetu semper quodam rudentis in suum obiectum (262. Psychol.), aequè ratio-

rationem in imperandis actionibus, ceu mediis mere apparentibus ad finem suum, praevertere solent, atque ad eas impellere ex sola apparentia bonitatis seu aptitudinis ad finem bonum appetitus rationalis, cui adiunguntur: quae proinde actiones et omissiones sic ab appetitu inferiore, reflexionem rationis sufficientem praevolante, imperatae, reipsa praecipitantia laborabunt, seu bonae reipsa in se, seu malae sint.

- **Experientia quotidiana** veritatem istam abunde confirmat, qua videmus, homines maxime probos non minus frequenter sola fallaci specie probitatis praecipites abripi in actiones praeposteri ardoris ac zeli, veraeque rationi ac prudentiae contrarias, quam improbos: sicuti vice versa improbi saepe in suis pravis consiliis effectui dandis circumspetiores sunt hominibus probis. Vicissim, qui pravo semel affectu, e. g. odio, occupantur, ii iudicia inprimis eidem conformia facillime praecipitant, eisque iudiciis conformiter operantur. Sic Iudaei, odio in Christum accensi, eum deceptorem praecipiti iudicio credebant, et idcirco crucifigebant. vnde Apostolus I. Cor. II. 8. de illis ait: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent.*

448.

*Qui conscius sibi est, se esse facilem ad praecipitantiam seu iudicii, seu voluntatis tantum, et omittit convenientem curam, sibi ab ea cavendi; id genus omissione male formaliter agit, et peccat. 2.) Vbi vero sine habitu, et solum in casu particulari, quis ex affectu bono vel malo (praec.) praecipitat seu iudicium rationis, seu actionem voluntatis sine ulla deliberatione, affectu scilicet eam penitus suo imperio praeviente, non peccat. Quod enim ad primum: id genus ommissio tum materialiter mala est, quia habet malum effectum, nempe iteratam ulteriorem*

E e 5

prae-



praecipitantiam in agendo; ac simul eius cum isto effectu malo nexus praevidetur: qui proinde omnem curam vitandae praecipitantiae omittenti, voluntarius ac liber est, adeoque et imputari potest (428.). Atqui malitia formalis omissionis voluntaria ac libera lege DEI prohibetur, et peccato obnoxia est (358. 409.). Ergo etc. etc. *Alterum ex 436. per se patet.*

§. II. DE CONSENSU VOLUNTATIS NECESSARIO  
AD HOC, UT QUID HOMINI, CUV PRINCIPIO,  
IMPUTARI POSSIT.

449.

*Consensus voluntatis* dicitur actio, vel ommissio voluntatis, per quam voluntas hominis fit principium voluntarium existentiae cuiuscunque determinationis, realis, aut negativae, in se ipsa, vel alio subiecto; nimirum cum distincta praevisione nexus eiusdem suae actionis, vel omissionis, cum bonitate, vel malitia, talis determinationis, ad existendum determinatae. *Consensus plenus* dicitur, si voluntas actionem, vel omissionem, ponat, per quam fiat principium voluntarium totius bonitatis, vel malitiae determinationis alicuius determinatae; *consensus non plenus* vocatur, si per eam non fiat principium voluntarium totius bonitatis, vel malitiae determinationis eiusdem determinatae in certa specie, vel individuo.

450.

*I. Ad consensum plenum, ut sit possibilis, opus est plena deliberatione, id est, ut tota bonitas et malitia determinationis, eiusque totius malitiae nexus cum actione, vel omissione voluntatis, sit praevisus:*  
secus

fecus enim non totius bonitatis et malitiae principium voluntarium erit voluntas (425.), ac proinde nec plenus poterit esse in eam consensus (praec.).

*II. Ad plenum consensum, ut reipsa existat, requiritur actio, vel omissio voluntatis tanta ac talis, ut, stante praevisione praesente, cum ea sola, ceu ratione sua existentiae, mox connectatur existentia totius bonitatis, vel malitiae determinationis; sive ut inter eam et totam determinationis bonitatem, vel malitiam reipsa detur actualis nexus: secus enim voluntas non totius bonitatis, et malitiae principium simpliciter actione sua, vel omissione, foret (425. 423.).*

*III. Sine consensu pleno tota bonitas, vel malitia cuiuscunque actionis, vel omissionis determinatae in certa specie, vel individuo, homini ex vero imputari non potest: si enim consensus non est plenus, vel deest praevisio totius bonitatis, vel malitiae, ob quam ille non est possibilis (Cor. I.), vel nexus actionis vel omissionis voluntariae cum eadem tota bonitate, vel malitia (Cor. II. et praec.). Atqui neutro in casu tota bonitas, vel malitia est ab homine, ut a principio voluntario (424. 425.): ergo neutro in casu tota illi potest ex vero imputari (426. 427.).*

*IV. Si desit consensus plenus in malitiam gravem actionis, vel omissionis, simpliciter voluntariae, seu ob defectum plenae deliberationis (I. hic), seu ob defectum veri eius nexus cum tota malitia gravi, et omnibus eius partibus (II. hic); actio vel omissio simpliciter mala, sub ratione levis solummodo, non autem sub ratione gravis peccati, imputari potest. In utroque enim casu homo vel non totius malitiae gravis principium, vel non voluntarium principium est. Ergo etc. etc.*

451.

*Diligentia* est usus activus voluntarius facultatum suarum, quem homo a priori necessarium vel utilem, esse cognoscit ad consequendum determinatum aliquem finem; eiusque voluntaria omissio *negligentia* appellatur. *Necessaria diligentia* est usus facultatum, sine quo finis obtineri nequit; *non necessaria*, sine quo obtineri absolute potest. *Diligentia* necessaria gradibus caret; *non necessaria*, minor, maior et maxima esse potest, pro minore, maiore, vel maximo, qui sit in potestate, usu facultatum. *Negligentia* maxima est omissio voluntaria diligentiae necessariae; *negligentia* eo maior est, quo minor diligentia adhibita.

452.

I. Si nihil omittitur in usu facultatum possibili, quod ad consequendum finem esse necessarium, aut utile cognoscitur; *diligentia* maxima est, quanta esse in eo homine potest.

II. Si et facultas omnis completa suppetat ad efficiendum determinatum finem, et sciat quis omne, quod factio opus vel utile est; et nihil tamen istius omitat: eius *diligentia* summa est, quanta absolute possibilis.

453.

III. *Diligentia* consistit in actionibus et omissionibus, quae rationem medii necessariii vel utilis habent ad consequendum finem. Consistit enim in iis actionibus, quae a priore necessariae vel utiles sunt ad finem consequendum: ergo per 66. 67. V. etc. etc.

IV. *Diligentia* consistit in actionibus et omissionibus, quas directa intentio efficax finis, seu efficax istius desiderium (310. 86.), imperat, supposita cognitione

*atione aptitudinis earum in ratione medii necessarii, vel utilis, ad illum finem efficiendum (67. IV.).*

*V. Pro gradu efficaciae desiderii, quo quisque fertur in aliquem finem, crescit diligentia; pro eiusdem remissione descrecit: effectus enim magnitudo magnitudini et efficaciae (seu viribus) causae; actiones imperatae efficaciae actus voluntatis imperantis proportionales sunt.*

*VI. Negligentia quaevis oritur ex aliqua remissione seu minore gradu desiderii finis; et summa est, ubi hoc desiderium, amissa omni efficacia, transit in velleitatem, cuius nullus effectus, id est, quae nullum imperet usum facultatum in efficiendo fine.*

*VII. Diligentia aequae in usu facultatum negativo, id est, in omissione certarum actionum consistere potest, si nimirum certae actiones fini contrariae, seu impedimento sunt, earumque ommissio medium negativum, id est, conditio est, sine qua finis possibilis non est. Sic e. g. ommissio immoderati amoris bonorum mere apparentium necessaria est ad consequendum puri ac veri boni praedominantem amorem (63. 70.).*

454.

*Diligentia debita est, ad quam perfecte obligamur; indebita, ad quam non obligamur perfecte.*

455.

*Qui lege obligatur ad actionem, vel omissionem aliquam in specie, vel individuo determinatam, is pari lege etiam obligatur ad diligentiam eam omnem, quam scit esse necessariam ad illam actionem in sua specie, vel individuo, effectui dandam. Diligentia enim talis necessaria consistit in actionibus, vel omissionibus,*

nibus, quae respectu actionis, vel omissionis, lege praescriptae, se habent instar mediorum necessariorum ad illam, tanquam suum finem (453. III.). Atqui quicumque lege obligatur ad aliquem finem, pari lege obligatur ad usum mediorum, ad eum finem necessariorum (354. VII.). Ergo &c. &c.

## 456.

*I. Qui lege obligatur ad aliquam actionem, vel omissionem, is pari lege obligatur, 1.) ut eam actionem, vel omissionem, ut finem, efficaci desiderio intendat directe (neque enim potest dari omissio mera libera 310. not.): 2.) ut illius desiderii virtute et efficacia sibi imperet usum facultatum suarum necessarium ad eam actionem, vel omissionem, reipsa effectui dandam: 3.) ut istis actu, quoad necesse esse cognoscit, utatur tum in mediis necessariis conquirendis et adhibendis, tum in removendis impedimentis eius actionis, vel omissionis; item ut omnem earum usum omittat, qui eidem actioni, vel omissioni effectui dandae contrarius esse noscitur. In his enim diligentia necessaria consistit, eadem lege praescripta, qua ipsa actio praescribitur (453. 455.).*

\* Non dico, quemvis lege obligari, seu ut istiusmodi actus sic reflexe ponat, ut sibi eorum sit reflexe conscius (isti enim ut plurimum in observatione legis reali ita obscure interveniunt, ut discerni vix possint); seu ut intendat actionem, vel omissionem legi conformem, ceu finem proximum, ob eadem motiva, aut ob eosdem fines remotos, ob quos legislator eam praescribit: ad hoc enim subditus per se et ratione legis eius praecise non obligatur, qua ipsa actio, vel omissio, praescribitur; nisi aliunde intentio illa directa omnium finium legislatorum vel nova peculiari lege praescribatur, vel in aliquo peculiari casu per se necessaria sit ad ipsam actionem lege praescriptam rite effectui dandam. Aliud enim est, actionem non esse  
volun-

voluntati legislatoris contrariam; aliud, eam habere omnem cum ea possibilem conformitatem: illud ad diligentiam debitam; hoc ad indebitam actionis perfectionem, quae de consilio tamen est, pertinet.

457.

*II. Omne peccatum importat omissionem voluntariam debitae diligentiae in exequenda lege, seu negligentiam eiusdem (451.);* secus enim, existente debita diligentia, id est, omni usu facultatum, qui est medium necessarium, existeret actio, seu ommissio legi conformis, tanquam finis. Porro ommissio illa diligentiae debitae debet esse voluntaria, id est, cum praevisione nexus cum contrarietate legis, et a voluntate, veluti a principio libero, procedens; quia lex non nisi moralium, id est, liberarum actionum, regula est (339.)

*III. Pari modo omnis legis observatio importat executionem voluntariam omnis diligentiae debitae seu necessariae ad observandam legem. Patet ex 454. 455. 456.*

458.

*IV. Omnis transgressio legis, seu omne peccatum, oritur ex inefficacia intentionis directae, seu desiderii, finis ultimi creationis, seu beatitudinis aeternae consequendae.* Omne enim peccatum omissionem voluntariam diligentiae debitae, seu necessariae ad observandam legem, importat (457. II. 455.), quae diligentia si adesset, legis transgressio, seu peccatum, possibile non esset (457. III.). Iam vero diligentia ista in actionibus et omissionibus consistit, quae rationem medii necessarii habent ad consequendum finem, et quae ab efficaci intentione finis, supposita cognitione nexus earum  
cum

cum fine, continuo imperantur; contra quae, remittente illius desiderii efficacia, hoc ipso negliguntur (453. III. IV. VI.). Atqui observatio legis cuiuscunque graviter obligantis medium necessarium est ad consequendum finem ultimum beatitudinis, et diligentiae necessariae executio tota medium necessarium est ad observationem cuiusque legis, ceu finis proximi. Ergo si adest efficax desiderium finis ultimi, id imperabit efficax desiderium observandae legis, atque istud finis proximi desiderium efficax imperabit omnem debitam diligentiam: ex adverso, remittente illo desiderio finis ultimi, negligetur cura legis, et, hac neglecta, negligetur diligentia necessaria ad eam observandam (453. V. VI.). Ergo &c. &c.

## 459.

*Invitus* agit, vel omittit agere, qui agit, vel omittit agere quidquam voluntarie, sed ita, ut non agere, vel non omittere idem mallet, modo aliquod malum, quod ex omissione, vel actione opposita emerfurum praevidet, effugere posset.

\* Exemplum mercatoris, metu naufragii proiicientis merces suas in mare, notioni huic et omnibus eius corollariis mox subiiciendis pro aptissima et facili declaratione servit.

## 460.

*I. Invite agentis, vel omittentis agere, affectus imperans actionem, vel omissionem est timor, seu metus, id est, affectus odii homogeneus, compositus ex fuga mali adhuc absentis, et ex tristitia de certitudine, vel probabilitate praesente, quod eius eventus aliter, quam istud agendo, vel omittendo, iam impediri non possit, quod quis invitatus agit, vel omittit (245. Psychol.).*

*II. Qui*

**II.** *Qui invitus agit, odit certitudinem, vel probabilitatem mali praesentem, cuius metus imperat ipsi actionem, vel omissionem, ceu eius vitandi medium unicum: 2.) et idem oppositum agere per se efficaciter vellet, nisi eius efficacia impediretur, ceu impedimento morali fortiore, a fuga illius mali, quod cum actione vel omissione contraria connectendum praevidetur. Tristitia, enim, ex qua metus componitur (hic I.), est odium illius certitudinis, ceu mali alicuius praesentis (244. 245. Psychol.): et cum mallet contrarium agere, si metus mali illius abesset; voluntas contrarium agendi per se efficax a solo metus excessu supra illud desiderium, ceu impedimento fortiore morali, retinetur.*

**III.** *Qui agit quidpiam, vel omittit, invitus; contrariis movetur voluntatibus: una efficaci absolute, quam imperat metus praedominans cuius alteri affectui; altera conditionata minus efficaci, quam imperat amor contrarii, sed metu illo minus potens.*

**IV.** *Actio invita (vel omissio) idcirco absolute voluntaria, seu a principio voluntario est. Est enim voluntas eius existentiae efficax principium cum distincta omnium eius determinationum praevisione (424.).*

**V.** *Actio invita (vel omissio) simul tamen inefficaci nolitione nolita est; hoc est, secundum quid involuntaria, ut loquuntur.*

**VI.** *Actiioni invitae opponitur actio (vel omissio) ex toto, seu mere voluntaria, id est, cum plena lubentia voluntatis suscepta; in qua scilicet committenda voluntas contrariis volitionibus non movetur, sed vel mera volitione, vel mera nolitione efficaci.*

\* Ex his tam evidentibus et obviis corollariis patet, quam male Ill. Wolfius (Phil. Pract. Univ. P. I. Statler Eth. christ. univers. F f § 583.),



§. 583.), et alii post ipsum, actioni invitae voluntariam simpliciter talem veluti e diametro opposuerint, definiendo, voluntariam actionem esse tantum illam, quae invita non est.

*VII. Actio invita imputatur ex vero, et si minus, quam mere voluntaria; quia voluntaria simpliciter est (IV.), simul tamen nolita (V.): ergo per 424. etiam actio, invitae actioni contraria, aliquo pacto voluntaria est; quia, quo minus re ipsa existat illa in effectu, non est a defectu efficaciae principii, seu voluntatis, sed ab impedimento contrario, id est, a metu (II.).*

*VIII. Metus utcumque efficax poenae, ab homine infligendae, sat potens non est, ut imperet observantiam legis mere voluntariam seu cum plena lubentia voluntatis illi, qui actionem, lege humana praescriptam, ex aliis motivis efficaciter averfatur; et potestas omnis humana ad summum ad extorquendas actiones invitae valet. Malum enim poenae cuiuscunque, ab homine infligendae ob actionem legi humanae contrariam, sola observantia legis externa cum dissimulatione internae repugnantiae voluntatis subterfugi et vitari potest; cum homo interiora mentis alienae introspicere non possit. Ergo nec metus quiscunque poenae humanae plus imperare potest, nisi actionem externam, vel omissionem, simpliciter quidem voluntariam (IV.); quanta ac qualis videlicet requiritur, et sufficit ad poenam hominis vitandam. Contra sicut ad finem istum interna quoque voluntatis plena lubentia necessaria non est; simul vero nulla volitio sine motivo sufficiente existere potest: ita metus solus poenae humanae sufficiens ratio et motivum imperans ad plenam illam voluntatis lubentiam tunc esse non potest, cum gravia alia motiva suppetunt averfandi eandem*

dem actionem (vel omissionem) externam, quam metus mere humanus extorquet.

*IX. Metus poenae aeternae, a DEO infligendae ob transgressionem legis divinae, sat potens est ad imperandam observantiam legis cum plena voluntatis lubentia etiam illi, qui secus ob legis difficultatem, vel prava alios affectus, a legis observantia abhorreret; si modo DEUS observationem legis ex plena lubentia, (e. g. actionem bonam cum directa intentione bonitatis theologicae eiusdem, aut omissionem actionis malae cum plena averfatione malitiae eiusdem theologicae) sub illius poenae aeternae interminatione reipsa praecipiat.* Ex una enim parte DEUS pro sua omniscientia absolutissima omnium cordis affectuum intimus inspector est, nec decipi potest observantiae mere externae ac lubentiae simulatione. Ex parte altera malum poenae aeternae immensum maius est omni alio malo, sicuti et iactura beatitudinis aeternae evidenter maioris boni iactura est, quam sint omnia mala et bona istius vitae, quorum odium, vel amor, fuga aut desiderium ab observationis legis plena lubentia abstertere possunt. Ergo et metus illius poenae et iacturae per se longe potentior est ad imperandam plenam lubentiam observationis.

*X. Qui actiones theologice bonas simul ac necessarias ad finem ultimum creationis non nisi invitus suscipit, nec nisi invitus omittit actiones theologice malas, licet cognitas qua tales, praecise scilicet ob metum poenae aeternae, DEI lege sibi intentatae; is conditionata contraria nolitione vellet illas omittere, et istas committere cum formali malitia theologica (305,), ac simul odit ipsam legem DEI, qua certus fit de poena aeterna eis connexa (II.) : 2.) qui actus omnes voluntatis*

*cum sint evidenter theologice formaliter mali, gravitate pari malitiae, quanta ipsae actiones legi divinae contrariae actu commissae; evidens est, DEUM legibus suis omnibus praecipere actiones bonas, et omissiones actionum malarum, non invitatis, sed cum plena lubentia voluntatis efficacis, ita, ut saltem nulla deliberata et efficax per se voluntas contraria, etiam solum conditionata, id est, sub conditione legis divinae non existentis, admittatur.*

**XI.** *Nemo itaque unquam pleno consensu DEI legem observat, qui vere invitatus observat: et ad observantiam cuiusvis legis divinae requiritur consensus voluntatis plenus cum omni lubentia ad committendas omnes eas actiones, et omittendas omnes illas, quae debitam diligentiam, ab eo simul praeceptam, constituunt (455. 456.).*

\* Dixi autem: requiri consensum plenae lubentiae voluntatis. Unde repugnantes involuntarii motus appetitus inferioris non obsunt; quia non voluntatis rationalis actus sunt. Interim illorum quoque, virtute bonae voluntatis facta suppressio, ad perfectionem observantiae legis, non necessariam tamen, nec lege praeceptam, pertinet; ad quam, licet saepe (in conversionis praesertim a mala vita diu acta principio) non statim possibilem, multa contentione virtutis pervenitur.

**XII.** *Ex adverso ad peccatum, quodvis, grave, ac leve, sufficit consensus quilibet, etiam per metum invito extortus, quo quis actionem, aut omissionem, lege divina praescriptam, voluntate absolute efficaci directe, seu finem, non intendit, vel non tam efficaci desiderio intendit, ut illius virtute sibi imperet omnem diligentiam debitam, id est, usum omnium facultatum necessarium ad hoc, ut existat actio tota lege praescripta, vel omittatur lege vetita: 2.) etsi gravius imputetur, si consensus in transgressionem legis fiat non invite, aut omnino cum magna lubentia voluntatis. Prius enim iam sufficit*

cit, ut transgressio sit voluntaria, et simpliciter imputetur; alterum vero, quia magis voluntarium, etiam magis imputatur (VII.).

\* Si pars solum debitae diligentiae omittatur, in imputatione attendendum ad periculum inde oriturum; de quo infra (467.).

**§. III. DE PECCATIS EX CERTO PROPOSITO, ET MERAE NEGLIGENTIAE.**

461.

**O**mnis actio, et omissio, quatenus et deliberata est, et efficaci intentione directe intenditur, ut finis, dicitur *actio et omissio ex proposito*, vel *ex certa destinatione* facta: quae vero solum indirecte intenditur, id est, mere permittitur, ut connexa alteri actioni, vel omissioni, directe intentae, quin finis instar directe intendatur, etfi nexus illius cum ista praevideatur, *non ex proposito, nec ex certa destinatione facta actio vel omissio*, dicitur. Unde nova divisio peccati theologici nascitur; nempe *in peccatum, ex certo proposito et destinata malitia, et in peccatum, non ex proposito, nec ex certa ac destinata malitia.*

462.

*I. Qui peccat ex proposito et destinata malitia, eo sine adhibet omnem diligentiam, quam potest, et quam necessariam, vel utilem, esse cognoscit ad peccatum plene exequendum (453.).*

*II. Qui non ex proposito peccat, solum negligit diligentiam necessariam ad legem observandam, qua peccatum prohibetur (457.); non autem positive diligens est in peccando (451.): adeoque peccata non ex proposito, merae negligentiae (457.) peccata sunt.*

F f 3

III. Pec-

*III. Peccanti non ex proposito negligentia in observanda lege solum indirecte voluntaria, seu intenta est: quia mere permittitur, ut connexa alteri intentioni (praec.); cum non detur omissio mera libera (410. not.)*

*IV. Tam diligentia peccantis ex proposito, quam negligentia peccantis sine certo proposito varios gradus magnitudinis habere potest: illa quidem pro gradu effiaciae in proposito peccati pro fine intenti; ista pro efficacia intentionis finis, seu actionis alterius, cum negligentia observandae legis connexae, seu imperantis istam negligentiam (praec. 453. V. VI.).*

*V. In peccato, ex proposito commissio, longe maior est malitia, cum pleno consensu voluntatis admissa, quam in peccato, sine proposito commissio. Longe enim plures determinationes malae, et cum DEI perfectione ac lege pugnantes, in illo insunt, quam in isto; ac praeinde longe maior contrarietas. In peccato enim, quod non ex proposito est, solum omissio diligentiae voluntaria est, et quidem non directe volita, sed solum voluntaria indirecte (hic III. et 311. II.): in peccato autem ex certo proposito et omissio diligentiae et positiva diligentia peccandi, ceu media, directe volita et voluntaria sunt, et peccatum ipsum, ceu finis. Et quoniam nihil volitum, nisi cognitum; nec deliberatio abest, nec voluntatis efficacia, ad plenum consensum principii voluntarii requisita (450. I. II.).*

*VI. Unde longe maior DEI contemptus, multoque pleniore voluntatis consensu voluntarius inest in peccato ex proposito, quam in peccato non ex proposito commissio (406. 410.).*

*VII. Pec-*

*VII. Peccata ex certo proposito non solum inefficaciam desiderii seu directae intentionis finis ultimi a priori supponunt (458.), sed etiam ipsa a priori eam destruant.* Important enim positivam diligentiam circa media peccati adhibenda, et circa eius impedimenta removenda, imperatam a directa intentione peccati, tanquam finis (453. VII.). Atqui intentio efficax finis ultimi impedimentum peccati est; quia imperans eius omissionem, et omnem diligentiam illi contrariam: ergo &c. &c.

*VIII. In peccante ex certo proposito non solum desiderium finis ultimi non est satis efficax, sed voluntas et intentio positiva peccandi actu efficacia sua positiva praevalet instar affectus praedominantis intentioni finis ultimi (61.); quia istum excludit, et amorem diligentiae peccandi, illi contrarium, imperat.*

§. IV. DE INCURIA SALVTIS SEV FINIS VLTIMI, EIVSQUE EFFECTVVM IMPVTATIONE.

463.

**V**oluntaria ommissio omnis efficacis desiderii cuiuscunque verae felicitatis, actionum et omissionum suarum rectitudine qualicunque promovendae, nec earum quacunque positiva malitia impediendae, *incuria absoluta*: voluntaria porro ommissio desiderii efficacis finis ultimi, seu beatitudinis aeternae, bonitate actionum et omissionum suarum theologica promovendae, nec earum malitia positiva theologica impediendae, *incuria theologica* appellatur. Alia ex his duabus est *incuria habitualis*, quae nimirum est habitus seu constans facilitas voluntatis, ex frequentatione actuum similium contracta, ad omittendam curam

Ff 4

recti-

rectitudinis cuiuscunque, vel bonitatis theologicae, suarum actionum et omissionum; estque eadem *vel generalis*, seu ad omnes, *vel particularis*, seu ad aliquod solum genus certum actionum et omissionum, se extendens, ut si quis habitualement incuriam habeat in iuramentis falsis proferendis: alia est *actualis*, quae est incuria praesens, in actione quadam individua, vel omissione individua voluntaria, admissa.

## 464.

Incuriae contrarie opponitur *cura salutis*; seu desiderium directum, atque intentio seu felicitatis verae cuiuscunque, seu beatitudinis aeternae theologicae: contrarie, inquam; siquidem et incuria, seu ommissio voluntaria, positivum quid est, et ipsa quoque cura salutis (410. not.): ac proinde contrarie, nec mere contradictorie sibi opponuntur (24.).

## 465.

I. *Pro crescente defectu efficaciae in cura salutis crescit solum possibilitas incuriae; nondum autem immediate ipsa incuria existit.* Contrariorum enim uno seposito, alterum solum fit in eodem subiecto possibile, nondum vero hoc ipso statim existit; quia ratio quoque existentiae pro accidente positivo requiritur, ut existat actu (24. II.).

II. *Ex deficiente cura salutis peccata theologica merae negligentiae, seu non ex proposito, primo oriuntur (462.): ad istam enim, ut voluntaria pleno consensu fiant, praeter defectum curae salutis, et facultatem liberam, aliud nihil requiritur (praec. 457. II. 458. 461.).*

III. *Ex peccatis merae negligentiae frequentatis, habitus seu facilitas ad eadem committenda, et proclivitas*

*vitas ad ea etiam committenda ex certo proposito, nascitur: quia voluntas ab habitu pravo, ceu potente stimulo, ad voluptatem apparentem malitiae verae peccati, directe instar finis appetendam, impellitur (461.).*

*IV. Ex habitu peccandi ex certo proposito nascitur incuria salutis.* Cum enim ista quid positivum sit, nec mera omissione voluntaria constare possit (praec. 410. not.); neque ex mero distincto intuitu sui obiecti, quod aversatur, nempe felicitatis verae, seu beatitudinis aeternae, ceu puri boni, immediate nasci possit (51. V.), ab affectu aliquo positivo, tendente in bonum vel malum apprens, et praedominante, imperari debet.

466.

*I. Incuria habitualis differt a merae negligentiae peccato: istud enim ex solo defectu curae salutis sufficientis ad omnem diligentiam, in lege observanda necessariam, sat efficaci imperio imperandam, exoritur; qui defectus in casu aliquo difficillimae legis antecedenter prorsus involuntarie existere potest; eo quod cognitus ante non fuit, quam experientia pugnae voluntatis et appetitus inferioris in tali casu actu disceretur.*

*II. Peccata merae negligentiae sunt omissiones voluntariae appetitionum circa media salutis; contra incuria est omisso voluntaria seriae appetitionis ipsius finis ultimi.*

*III. Incuria differt ab indeliberatione, imprudentia, et improvidentia: hae enim sunt omissiones reflexionis, seu actuum intellectus, ac saepe nec voluntariae sunt, aut cum sunt, ad meram negligentiam pertinere possunt.*

F f 5

*IV. In-*



*IV. Incuria differt a praecipitantia etiam voluntatis, et est eius causa a priori: licet enim ista sit actus voluntatis; potest tamen oriri ex bono, vel malo affectu, ac proinde stare aliquando cum optima cura salutis (464. 447.). Interim ipsa incuria, ceu voluntaria omisso desiderii efficacis circa theologiam bonitatem, ceu ratio negativa, excludit accuratam de ista deliberationem, atque ita locum praecipitantiæ facit.*

\* Talis erat causa praecipitantiæ illorum, qui ex prædictione Christi Ioan. XVI. 2. arbitrabantur, se obsequium præstare Deo, Apostolos interficiendo.

*V. Ipsa tamen incuria præsens causa porro a priori est inconsiderantiæ voluntariæ, et peccatorum tum meræ negligentiae, tum ex certo proposito. Qui enim voluntarie omittit omnem curam finis, etiam voluntarie omittit curam omnium mediorum, quæ præcise cognoscuntur appetibilia ratione finis. Atqui tam deliberatio, inconsiderantiæ cuiusvis opposita, quam diligentia quævis, opposita peccato meræ negligentiae, præcise appetibilia ratione finis, nimirum actionis lege præscriptæ, ceu istius media, ipsa vero actio legi conformis, ceu medium necessarium ad finem ultimum, per quamvis legem subiectivam proponuntur: ergo, omisso semel voluntarie omni desiderio finis ultimi, facile voluntarie omittuntur; quod primum, atque alterum. Porro peccata ex proposito a cura salutis præsentis, ceu impedimento positivo, reprimuntur, quod illa vincere ac destruere debent (462. VIII.): ergo, eo sublato, ob prædominantem affectum boni vel mali apparentis eo facilius consequuntur (ibid. VIII.); quod tertium erat.*

\* Atqui

\* Atqui hic est circulus ille infelix, in quo vertitur continuo malitia semel inchoata peccatoris, atque ab uno gyro in alium celeriore semper motu voluntatis, id est, pleniore semper in maiorem malitiam consensu (462. V.) praecipitatur.

\*\* Ex his item patet, *occulta hominis etiam probi peccata* ex incuria quadam actuali hinc inde subrepente nasci, quae tamen ob fugitivam indolem sui memoriam non relinquit.

*VI. Qui incuria salutis theologiae seu generali, seu in certo aliquo genere particulari, laborat, illi consensus plenus in observantiam legum divinarum vel univeree, vel in eodem genere particulari actionum, immediate possibilis non est, nisi, incuria illa deposita, curam salutis sat efficacem resumat.* Consensus enim ille omnes actiones et omissiones voluntatis importat, quae ad debitam diligentiam in observanda qualibet lege pertinent (459. I.), quas non nisi efficax satis desiderium finis ultimi imperare debet, et potest (453. IV. 458.). Exclusa itaque per incuriam positive contrariam in certo actionum genere (vel univeree) omni salutis cura (464.), id est, omni efficaci desiderio finis ultimi, diligentia necessaria ad observandam legem imperari non potest; proinde per 456. 457. III, nec leges ipsae possunt observari.

*VII. Qui ergo a salutis incuria theologiae, in quam iam post frequentia et diu continuata peccata incidit, ad divinarum legum observantiam redire vult, aut ab alio reducendus est; is primo ad deponendam istam incuriam, et restaurandam curam seriam salutis ut se totum applicet, est commonendus.*

\* Ista sine dubio ratio est, cur Ascetarum et Theologorum omnium moralium iudicio ardens oratio, id est, invocatio divini auxilii et misericordiae DEX tantopere obduratis peccatoribus commendanda videatur: quippe cuius exercitio et ardens illud salutis  
desi-

desiderium formali actu proprio omnium aptissime restituitur, et mens ad omnes divini auxilii influxus denuo praeparatur.

§. V. DE PERICULO ET OCCASIONE PECCATI,  
EIVSQVE IMPVTATIONE.

467.

*Periculum mali in genere est praesentia possibilitatis eius extrinsecae, non integre, sed prope tamen completae; sive praesentia plurium, non tamen omnium rationum sufficientium natura priorum ad existentiam eiusdem. Periculum mali maius, vel minus est, si multae, vel paucae; proximum, propinquum, et remotum, si paene omnes, si multae, si paucae, ex dictis rationibus sufficientibus sint praesentes.*

468.

Dividitur in *periculum mali extrinseci*, seu mali, quod est extra mentem, vel totum hominem; quod vel *corporis*, vel *honorum famae* vel *fortunae* est; et in *periculum mali intrinseci* ipsius mentis; e. g. *periculum erroris* in intellectu, aut *pravi actus, habitus, seu dispositionis* in voluntate. Idem aliter dividitur in *periculum mali immediate vel mediate saltem liberi*; quod est praesentia tum facultatis ad efficiendum seu determinandum a priori tale malum, tum vehementium (magis aut minus) stimulorum, ad idem impellentium, suo excessu determinantium necessitatem moralem mali (131.): et in *periculum mali non liberi*; cuius videlicet possibilitas extrinseca non importat facultatem libere agentem. Denique dividitur in *periculum mali gravis, mediocris, vel levis*.

469. Peri-

469.

Periculomali ex aduerso respondet *spes boni consequendi*, aut *mali vitandi*, eaque *proxima, propinqua, remota*; estque analoga praesentia possibilitatis extrinsecae: proxime, prope, parum completae boni, aut non existentiae futuræ mali.

470.

*Exponere se, vel alium, periculo mali cuiuscunque*, est actione, vel omissione aliqua sua, determinare a priori praesentiam periculi eiusdem (467.).

471.

*Occasio mala* est causa occasionalis extrinseca periculi mali intrinseci immediate, vel mediate liberi; quae videlicet (per 266. Ontol.) consistit in quacunque circumstantia, a qualitate personae, quae in periculo est, distincta (292. V.), cuius praesentis cognitio, ceu causa per se, vel per accidens, determinat in persona libera necessitatem moralem talis mali liberi, excitando videlicet vehementes stimulos ad idem committendum. Dicitur *remota, propinqua, vel proxima*; prout determinat periculum remotum, propinquum, vel proximum, mali liberi. Vnde *exponere se occasioni malae*, idem est, atque *exponere se periculo mali liberi, seu peccati*.

472.

*I. Exponere se periculo mali cuiuscunque quis potest vel ex directa intentione ipsius mali, et ex certo eiusdem, actione, vel omissione sua determinandi, proposito, vel indirecte, et non ex certo eius proposito, sed mera negligentia* (461. 462. II. III.).

*II. Ex-*

II. *Exponere se proximo, vel propinquo periculo mali positivi non liberi cuiuscunque, intrinseci, vel extrinseci, etiam solum indirecte et ex mera negligentia, positive malum est; nisi fiat ex directa intentione alterius boni maioris, vel ex directa fuga alterius maioris mali, simulque relate ad propinquitatem periculi mali etiam satis propinqua spes sit boni istius maioris consequendi, aut vitandi reipsa maioris mali; vel saltem bonum speratum, aut malum fugiendum, magnitudine sua spei remotae incertitudinem compenset.* 2.) *In dicta vero hypothese adeo id malum non est, ut etiam sit positive bonum.* Dedecet nimirum, sicuti DEVM (142. 143.), ita omne ens intellectu praeditum, seu hominem, cuius actionum divinae perfectiones sunt norma (404.), ut permittat sciens et volens malum quodcunque positivum, quod impedire potest; nisi id faciat ex fine seu directa intentione boni maioris, seu fuga directa maioris mali. Atqui exponens se etiam solum indirecte periculo mali, non impediendo periculum, permetteret malum. Ergo id dedecet, seu positive malum est (187.); nisi fiat sub dicta hypothese. 2.) Ex adverso sicut non dedecet DEVM (142. 143.), ita nec hominem, permittere malum minus studio boni maioris. 3.) Porro tamen bonum etiam per se maius decrescit pretio ratione incertitudinis. Nisi ergo relate ad propinquitatem periculi mali etiam satis propinqua spes sit boni maioris (369.); saltem ipsa magnitudo boni excessu suo supplere debet decrementum, quod eidem ex incertitudine nascitur. Ergo exponere se periculo etc. etc.

III. *Quod modo dictum de periculo mali non liberi, valet quoque sub eadem integra hypothese de periculo solum propinquo mali positivi liberi seu moralis, quam-*

*quamdiu coniunctum manet cum propinqua seu vere probabili spe, idem malum liberum seu morale bono liberi arbitrii usu reipsa devitandi.* Permittendo enim praecise periculum ex intentione maioris boni, coniuncta simul spe, mali ipsius liberi devitandi bono usu liberi arbitrii, id est; in instauranda cura salutis (464.) et imperanda sibi debita diligentia circa usum mediorum moralium sufficientium ad observandam legem DEI (456. 458.), homo nihil facit difforme a modo agendi divino et divinis perfectionibus, quae sunt norma eius actionum (404.): siquidem DEVS quoque physice permittit mala moralia maioris boni studio, mediis moralibus sufficientibus eadem impedire contentus (186. 189.).

*IV. Qui secundum hypothesein Cor. II. et III. se exponit periculo mali etiam moralis, is non amat tale periculum: qui enim solum indirecte quid intendit, is id, quod ita intendit, nullo affectu efficaci appetit (310.).*

*V. Si vero abest omnis probabilis spes, malum liberum, praesente eius periculo, per liberi arbitrii bonum usum devitandi; nullius boni physici consequendi causa, nec causa ullius mali physici devitandi, quantumlibet istud sit, quis sine peccato se potest exponere proximo periculo mali moralis, seu peccati.* Permittere enim seu physice, seu moraliter, malum morale, quod quis impedire physice, vel moraliter potest, nisi ex intentione maioris boni, semper positive moraliter malum est (186. 189.). Atqui nullum bonum aut malum physicum maius esse potest bono aut malo quocunque morali; quia huius vis moralis ad praemia et poenas aeternas alterius vitae determinandas se extendit, et ex altera parte exponens se periculo proximo sine probabili spe

spe, vitandi malum morale, vere istud iam permittit physice et moraliter: physice quidem per ipsam actionem, qua periculo se exponit simpliciter; moraliter, quia id facit in talibus circumstantiis, ubi scit, sibi non suppetere ullum medium morale, ad peccatum impediendum vel probabilius sufficiens. Ergo etc.

473.

*In omni praecipitantia periculum propinquum mali positivi intrinseci est.* Seu enim sit praecipitantia iudicii; ex ratione insufficiente fit, ac proinde cum possibilitate praesente erroris, seu iudicii falsi, quod positive malum est (40.): seu sit praecipitantia appetitionis aut averfationis voluntatis; ex ratione insufficiente cognoscitur eius bonitas vel malitia moralis (443.), ac proin error in hac cognitione facile possibilis est, et ex errore appetitio vel averfatio materialiter saltem mala, quae per errorem iudicata est bona, vel saltem non positive mala. Atqui possibilitas facilis mali positivi est periculum eius propinquum (467.).

474.

*In incuria absoluta propinquum periculum mali positivi intrinseci est, et quidem in singulis actionibus et omissionibus incurrendi.* Cum enim incuria absoluta sit omissio seu negligentia omnis desiderii efficacis, seu curae, de quacunque rectitudine suarum actionum (463.); illa determinat inconsiderantiam plenam ac perfectam (466. V.), seu defectum omnis deliberationis super bonitate et malitia quacunque actionis et omissionis (431. 429.), ac proinde, remotis omnibus motivis absterrentibus appetitus rationalis, relinquuntur in quavis actione et omissione soli stimuli appetitus  
infe-

inferioris; qui ducitur solo bono apparente, id est, qui movetur solis rationibus insufficientibus ad actiones vel omissiones vere bonas; ac proinde agit ex mera praecipitantia (443.), in qua semper est periculum mali positivi intrinseci (473.). Ergo etc. etc.

475.

*Qui in casu particulari laborat incuria quidem theologica mere habituali, non tamen negligit curam bonitatis physicae promovendae, et impediendae malitiae physicae in sua actione, vel omissione; is in eo casu particulari potest esse extra periculum propinquum mali positivi, atque adeo etiam extra periculum peccati.* Cum enim per hypothesin habeat satis efficax desiderium bonitatis physicae, et satis efficacem fugam malitiae physicae suae actionis, vel omissionis; cumque simul bonitas et malitia physica a theologica non re, sed solum relatione diversarationis distinguatur (300.), qua eadem actio reflexione mentis refertur ad diversam normam suae bonitatis vel malitiae, nunc videlicet ad naturam rationalem (403.), nunc ad DEVM (404.): fieri non potest, ut actio vel ommissio sit physice bona, aut non mala, et tamen sit eodem momento mala theologice. Ergo sicut per curam physicae rectitudinis excluditur satis periculum mali physici; ita, ea stante, saltem non est periculum formalis malitiae theologicae, nec adeo peccati; quod sine ista consistere non potest (410.).

476.

*Qui solum curae habet bonitatem physicam suarum actionum et omissionum; laborat autem habituali incuria generali theologica; is nunquam committet actiones formaliter theologice bonas meritorias, et*  
*Stattler Eth. christ. univers. Gg fre-*



*frequentissimo periculo proximo ac certo se exponit committendi etiam physice et theologice formaliter malas, et peccato obnoxias: nec proinde ad finem creationis ultimum, seu salutem beatitudinis aeternam pervenire ullo pacto poterit; quamdiu perstat in tali statu.* Qui enim laborat generali incuria habituali theologica, is nunquam concipit desiderium efficax, seu directam intentionem bonitatis theologicae ullius actionis suae (463. 466. VI. 310.); ac proinde nunquam actionem, ulla ratione meriti theologici insignitam, committit (318. I.): *quod primum.* Porro qui solum motivis, a bonitate et malitia physica actionum et omissionum petitis, ducitur, nullis mediis moralibus sufficientibus seu impellitur ad bonum, seu absterretur a malo simpliciter; sed in necessitate morali, absterrente a bono, et trahente ad malum, perstat (192. et seqq.): secus enim, si ista motiva sufficerent, nulla necessitate DEVS teneretur ad motiva et media moralia magis sufficientia, repetita a bonis et malis theologicis alterius vitae, nobis applicanda (195. 196. 199.). Atqui quiscunque sine aliis mediis perstat in necessitate morali, absterrente a bono, et trahente ad malum; is est in perpetuo periculo proximo mali liberi (467.) sine probabili spe, ut plurimum devitandi tale malum: et cum in homine rationis compote relatio talium malorum saltem intellectualis ad DEVM (314.), seu ad finem ultimum theologicum, diu abesse non possit (853. Theolog. Nat.); malitia quoque formalis theologica abesse vulgo non poterit (305.): quae cum lege DEI prohibeatur (358. n. 2.); necesse est, ut eadem actiones et omissiones malae peccato sint obnoxiae (409.): *quod alterum.* Denique cum id genus actionibus et omissionibus malis insit demeritum morale comple-

completum poënae aeternae (407. II. III.), et actiones theologice meritoriae sint medium unice aptum et necessarium ad beatitudinem aeternam consequendam (318. l. 165. 166.); patet, talem nec salutem aeternam consequi, nec poenam aeternam devitare posse: *quod tertium.*

\* Ex praesente thesi de salute omnium eorum Philosophorum veterum, imo et de virtutibus eorundem, iudicare oportebit; qui aut de actionibus suis ad DEVM referendis vix unquam cogitarunt, aut dogmatum, ad futuram vitam pertinentium, prorsus vel ignari, vel incurii fuere.

\*\* Ceterum haec thesis neutiquam evertit thesin loc. praec. Non enim in omni casu particulari ita urget, ac sese exerit necessitas illa moralis ad malum, ut non aliquando appetitus inferior cum superiore quoque consentiat, aut saltem ille huic non valde repugnet: cum nempe actio physice bona nec difficilis admodum, et proprio bono utili, vel delectabili, valde consona est. Quo casu talis actio quidem nondum habebit rationem meriti theologici; poterit tamen absolute esse expers omnis uti physicae, sic et theologicae naturalitiae positivae.

477.

*Incuria theologica habitualis, seu generalis, seu particularis, positive mala est, eiusque malitiae gradus proportionalis est magnitudini et multitudini praevissae actionum et omissionum malarum, quae ut ex ea consequantur, serius, aut citius certo extitutum propinquum periculum esse noscitur.* Continet enim praefens periculum certum multarum actionum et omissionum positive malarum, et obnoxiarum peccato, seu in omni genere malitiae, seu in uno aliquo genere particulari (praec. & 467.), quin spes sit probabilis, illas actiones et omissiones malas liberi arbitrii bono usu devitandi, ob defectum

habitualem reflexionis ad motiva absterrentia moraliter sufficientia, et necessitatem moralem ad malum, ipso habitu incuriae magis roboratam, sibi-que libere relictam. Ergo per 472. V, positive mala est incuria talis utraque: *quod primum*. Porro pro vario gradu magnitudinis malitiae et multitudinis malarum actionum et omissionum, quarum ex ea incuria, tanquam ex causa per se, serius, aut citius, certo extitutum periculum propinquum, imo proximum, praevidetur, ipsum periculum mali, cuius ea incuria causa voluntaria est, maius est malum et magis multiplex: ergo et causa istius mali voluntaria, id est, ipsa incuria, eadem proportione gradu malitiae excrescit: *quod alterum*.

Gravissimi momenti veritas et principium cognoscendae moralitatis incuriae cuiusque habitualis isthae thesi continetur, ex quo de istius malitia iudicari oportet. Quodsi itaque e. g. Iudex, Advocatus, aut Medicus, in suo officio vel arte imperitus incurius sit vel in discendis, quae ad eius rectam administrationem necessaria sunt, vel in adhibenda industria circa statum causae, aut morbi, rite intelligendum; pro ratione quantitatis mali, et numeri malorum, quorum ex ea incuria sua certum extitutum periculum praevidet, peccat, quoties conscius illius repetit liberam voluntatem eam continuandi, id est, quoties occasionem, meliore se ipsum peritia instruendi, omittit. Ex eodem iudicari debet de malitia tum habituali, tum actuali, eorum, qui iam, veluti vendita suis libidibus mancipia, totos sese pravis affectibus dederunt.

478.

*I. Quisquis ergo conscius sibi est talis incuriae habitualis; perseverando in ea, continuo male formaliter theologicè, et contra DEI legem agit, obligantem ad tollendam causam liberam periculi, pro numero et tota gravi-*

gravitate malitiae effectuum, quorum ex ea incuria certo extitutum propinquum periculum praevidet.

II. Malitia formalis theologica, et ratio tota peccati formalis, in ea incuria scienter admissa, eadem erit, seu effectus mali, quorum praevisum erat propinquum periculum, reipsa consequantur, seu non; item seu consequantur reipsa plures, seu pauciores, quam quorum periculum praevisum est. Malitia enim omnis voluntaria et formalis in tali incuria commensuratur pravifae magnitudini, propinquitati, et multitudini, periculi mali: siquidem hoc solum erat mediate voluntarium, semperque idem manet, seu plures, seu pauciores exinde effectus consequantur; modo praevisio sit eadem. Effectus enim plures, qui ultra praevisionem forte consequantur, nullo modo voluntarii sunt (284.): qui vero ex praevisis tamen non consequantur, unde unde impediti; tamen eorum causa, prope, vel proxime completa, eodem modo voluntaria fuit, nempe periculum, per incuriam immediate liberam determinatum (praec.).

III. Si in tali incuria non solum periculum propinquum, sed proximum talium malorum effectuum certo praevidetur, ipsi effectus mali, seu reipsa eveniant, seu aliunde impediuntur, consensu proxime pleno voluntarii dicendi sunt (449. 450.): quia periculum proximum, id est, causa eorum proxime completa, reipsa voluntaria est, id est, cum certa praevisione ad existendum ab homine incurio determinata (284.). 2.) Si vero in ea incuria tantum praevideatur periculum propinquum, hoc solummodo indirecte plene voluntarium (non ipsi effectus illius, nisi consensu non pleno) dici poterit. Cum enim periculum solum propinquum sit solum possibilitas incompleta mali effectus; qui istam etiam

G g 3

sciens

sciens determinat, nondum simpliciter, etiam ut principium solum mediatum, determinat actua- lem nexum cum existentia illius; ac proinde per loc. cit. hic illi nondum pleno consensu volunta- rius est (450. II.).

• Interim ex his vides, eum totam incuriae mali- tiam exprimere, qui dicit, se ex incuria in periculo propinquo, vel proximo, se ipsum constituisse e. g. ob imperitiam artis suae chirurgicae in annos singulos promovendi ad mortem viginti homines: id quod verum esse poterit; etsi toto aliquo anno proximo nullus vel moriatur, vel ipsius arte atque opera indigeat. Et haec quidem de incuria habituali: iam, quid de actuali statuendum, videamus.

## 479.

*Positive quoque mala est quaevis incuria actualis (444.), si coniungatur cum praevisione ex ea incuria ceu ex certa ratione sufficiente secuturi propinqui periculi cuiuscunque mali positivi, seu intrinseci, seu extrinseci: crescitque eius malitia pro ratione tum magnitudinis mali, cuius periculum praevidetur, tum pro ratione maioris praevisae propinquitatis periculi ipsius: ac denique malitia tota formalis talis incuriae actualis eadem est, sive malum illud ex periculo, per incuriam suscepto, re ipsa consequatur, sive non. Exponere enim se periculo propinquo mali positivi cuiuscunque, licet solum indirecte voluntario, positive malum est, nisi fiat ex directa intentione boni maioris, et cum huius consequendi propinqua aliqua spe (472. II.). Atqui committens incuriam actualem cum praevisione secuturi ex ea, ceu ex ratione sufficiente, propinqui periculi cuiuscunque mali positivi, sciens se exponit periculo propinquo mali positivi (470.) Ergo sciens determinat actionem positive malam: quod primum. Porro peri-*

periculum mali ipsum eo maius est malum positivum, quo maioris mali, et quo propinquius istius periculum est: ergo et actio, id est, ipsa incuria, eo magis positive mala est; quo maioris mali, et quo istius propinquius periculum determinari per ipsam praevidetur: *quod alterum. Tertium ex 478. II. patet.*

480.

*Sola precipitantia, ab affectu inferioris appetitus orta, et praeveniens rationem, licet secundum se reipsa eum periculo quocunque mali positivi connexa, admissa tamen indeliberate et sine praevisione talis periculi, ac proinde sine ulla incuria, ab omni malitia formalis theologica immunis, ac proinde neque DEI lege prohibita, nec peccato obnoxia est. 2.) Quodsi deliberatio non omnino nulla, attamen solum imperfecta ei coniungatur, quae videlicet solum ad discernendam levem eius malitiam sufficiat; quidquid ex ea sequatur effectuum, leviter tantum DEI lege prohibita, atque adeo levi solum peccato in ea hypothese obnoxia est. Nulla enim malitia formalis sine cognitione malitiae materialis vel obiectivae actioni cuivis vel omissioni inesse potest (305.). Porro cognitio materialis malitiae principium est unicum, ex quo lex DEI cognosci ab homine (saltem naturalis) potest: ex eo enim necessitatem in Deo cognoscimus, ut talem actionem vel omissionem prohibeat (358. n. 2.). Demum ubi nulla cognitio legis obiectivae, ibi nulla lex subiectiva, nec obiectiva (343. 344.); nec proinde etiam peccatum (409.): *quod primum. Alterum patet ex (440. VI.) ob plenam paritatem rationis. Nimirum ex cognitione levis solum malitiae materialis non nisi lex leviter obligans cognosci, et exinde violari potest.**

G g 4

§. VI.

§. VI. DE IGNORANTIAE ET ERRORIS VARIA  
IMPUTATIONE.

481.

*Ignorantia est defectus certae notitiae cuiuscunque  
veritatis.*

\* Erit forte, quem ista ignorantiae definitio of-  
fendat, putetque, eum, qui probabilem saltem de ve-  
ritate notitiam habet, veritatis ignarum recte dici non  
posse. At enim is, velim, ad hoc reflectat; quod, qui  
probabilem veritatis notitiam habet, reflexae istius  
modalis veritatis certitudinem habere possit: *Probabile  
est, hoc esse verum*; atque idcirco istius revera ignarum  
non esse: ~~at~~amen hoc insuperhabito, si ex eo quae-  
ratur, *an*, quod probabile esse scit, *absolute verum sit*;  
omnium iudicio recte et servato recepto loquendi usu  
respondere debet: *Hoc ignoro*, id est, *veritatis istius  
absolutae certam notitiam non habeo*; siquidem, si proba-  
bilitatem quoque se negaret habere, omnium iudicio  
falsum diceret. Sensus ergo receptus huius vocis, *igno-  
rantia*, cum definitione data consentit apprime: et cum  
ceteroquin nominales definitiones nostro arbitrio per  
bonae Logicae regulas relinquuntur; si a significato  
istius vocis semel definito, eiusdem usum in demon-  
strando deinceps facturum, non recedo; non est, quod  
in ea vitio mihi verti possit.

482.

*Omnis ignorantia est vel a defectu ipsius facultatis  
cognoscendi, vel a defectu facultatis appetendi certam  
notitiam veritatis, vel a solo libero non usu utriusque  
istius facultatis in casu, quo utraque facultas com-  
pleta suppetit ad certam illam notitiam acquiren-  
dam.*

483.

*Ignorantia invincibilis dicitur, quae est a defe-  
ctu ipsius completae facultatis, seu cognoscendi,  
seu*

seu appetendi certam notitiam veritatis: quae vero est a solo libero non usu utriusque istius facultatis de se completae; seu quae est a negligentia libera diligentiae necessariae ad veritatis certam notitiam acquirendam, adeoque cognitae quae talis (285.), *vincibilis ignorantia* appellatur. Quod si usus liber intellectus omittatur ex directa intentione, seu ex certo proposito ignorantiae conservandae (461.), vocatur *ignorantia affectata*: si idem omittatur sine directa intentione ignorantiae, *simpliciter vincibilis ignorantia* appellari solet.

484.

*I. Ignorantia invincibilis nec immediate, nec mediate libera, nec voluntaria est.*

*II. Ignorantia vincibilis non immediate quidem (421.), bene tamen mediate libera est; quatenus eius existentia, tanquam non entis, per omissionem immediate liberam necessariae diligentiae ac desiderii efficacis circa notitiam certam veritatis, ignorantiae oppositam, acquirendam, a priori determinatur (453. 285.).*

*III. Hoc ipso autem ignorantia, ut vincibilis esse possit, et praevisa, et saltem indirecte voluntaria esse debet (421. II.).*

485.

*Qui affectat, seu directe intendit ignorantiam bonitatis necessariae actionis cuiusdam suae ad finem creationis ultimum, idque eo fine, ut ne lege obligetur ad eam committendam (358. n. 1.); aut qui affectat ignorantiam malitiae positivae theologiae actionis suae alterius tunc, cum ad eam committendam se accingit, idque eo fine, ne lege prohibeatur ab eadem commit-*

Gg 5

ten-



tenda: is directe, ut medium sui finis, intendit omissionem actionis bonae, per se ad finem ultimum creationis necessariae, ac proinde lege divina gravi praecipitae; nempe usus liberi intellectus in inquirendo, quid facto opus ac necessarium sit, et quid omisso necessarium sit, ut fini ultimo convenienter se gerat: 2.) idem directe intendit omittere actiones, quarum necessariam bonitatem ignorat, et committere actiones, quarum ignorat malitiam; hoc enim fine affectat ignorantiam, ut ne lege etiam necessitetur ad oppositum: 3.) unde tam per ignorantiam ipsam affectatam, quam omittendo actiones bonas necessarias, et committendo malas, etsi ex ignorantia bonitatis necessariae, et malitiae, agit formaliter positive male, et peccat pro gravitate praevisi periculi (479.). Tam enim ipsa ignorantia, quam actiones et omissiones malae, ex eius affectatione secutae, secundum modum praevisi nexus cum ignorantia illa, saltem indeterminate sumtae, et directe quidem, voluntariae sunt, ac proinde earum malitia formalis, DEI lege prohibita, et peccatum est (425.).

486.

*Omnis ignorantia vincibilis circa bonitatem et malitiam theologicam actionum et omissionum humanarum ex incuria aliqua oritur; et quidem ex incuria theologica libere admissa. Est enim ignorantia vincibilis ea, quae oritur a solo non usu libero facultatis tam appetentis, quam cognoscentis (483.), id est, quam tollendi, eiusque loco consequendi oppositam certam veritatis notitiam, libera completa facultas suppeteret; si modo quis vellet ea uti. Itaque non usus liber istius facultatis circa aliquam actionem vel omissionem, in specie, vel*  
indi-

individuo, cuius bonitatem vel malitiam theologiam certo cognoscendi libera facultas completa adhuc suppetit, supponit voluntariam omissionem, id est, negligentiam (451.) omnis desiderii efficacis circa bonitatem theologiam talis actionis et omissionis; quippe quo desiderio praesente, usus facultatis liberae daretur, eoque ignorantia tolleretur. Ergo per (463.) &c. &c. : *quod primum*. Porro nisi incuria esset libera, non usus facultatis appetentis seu ommissio desiderii efficacis circa rectitudinem et ignorantia, qua talis, non esset libera; nec proin ignorantia vincibilis (483.): si ergo ignorantia vincibilis est, ex incuria libere admessa oritur: *quod alterum*.

487.

*Omnis incuria, quae est causa ignorantiae vincibilis circa bonitatem theologiam actionum necessarium ad finem ultimum, et circa malitiam positivam actionum quarumcunque, actu a nobis committendarum, positive mala est; eoque maiore gradu, quo maior et frequentior est actionum bonarum talium necessitas, et quo maior malitia et frequentior iteratio malarum, id est, quo peior et maioris mali theologici causa fore ignorantia praevidetur.* Talis enim incuria per incuriam liberam (praec.) se exponit certo periculo, omittendi actiones bonas ad finem ultimum necessarias, et committendi positive malas materialiter tales. Atqui utrumque istud, id est, tam ommissio illa, quam commissio, malum positivum est, ut tum ex (296. l.), tum ex notione actionis positive malae (292.) patet. Ergo talis per incuriam liberam se exponit certo periculo mali positivi, id quod proinde positive malum est per (479.): *quod primum*. Porro quo maior est, et frequentius recursura malitia tum omissionum,  
tum

tum commissionum, eo maioris et frequentioris mali periculo talis incurius, in ignorantia vincibili de earum bonitate vel malitia theologica perseverans, se exponit; adeoque etiam incuria, id est, omissio curae omnis de isto periculo cavendo, eo magis positive mala est, ceu causa maioris mali: quod alterum.

## 488.

*Itaque incuria, deliberate et libere admissa in acquirenda certa notitia de bonitate theologica necessaria actionum, aut earum malitia positiva (quae nempe secundum 479. coniuncta est cum praevisione secuturi ex ea periculi, omittendi actionem bonam ad finem ultimum necessariam, vel committendi positive malam), formaliter positive mala est, DEI lege prohibita, et peccato obnoxia, eo quidem graviori, quo maior, et quo frequentior, praevidetur tum necessitas talium actionum bonarum, tum malitia et iteratio malarum. Est enim incuria ipsa in se materialiter positive mala per praec. et eo peior, quo maior, et frequentior est tum illa necessitas bonarum, tum malitia et iteratio malarum actionum. Ergo si deliberate et libere, id est, cum cognitione istius suae malitiae admittatur, eodem gradu DEI lege prohibita; et pro huius gravitate, vel levitate, graviori, vel leviori peccato obnoxia est.*

## 489.

*Omnis ignorantia vincibilis circa bonitatem theologiam actionum necessariorum ad finem ultimum, et circa positivam malitiam earum, quas actu suscipimus, peccato obnoxia est; nec proinde facit, quo minus peccemus re ipsa, cum ob illam actiones bonas, ad finem ultimum necessarias, omittimus, aut positive*  
malas

*malas committimus; idque pro gradu malitiae, quem in incuria illa deliberate admissa apprehendimus, cuius ignorantia ipsa vincibilis est effectus.* Omnis enim ignorantia vincibilis de praedicta bonitate et malitia actionum et omissionum nostrarum actu positarum, qua talis (id est, ut negatio certae notitiae de illa bonitate vel malitia, orta ex incuria, deliberate ac libere admissa in acquirenda illa notitia; cum tamen eam acquirendi libera facultas suppeteret (483. 486.), incuriam peccato obnoxiam in suis determinationibus numerat, ex quibus componitur, qua talis (praec.): ergo, qua talis, peccato obnoxia est, et quidem gravi, vel levi, pro eo, atque in illa ipsa incuria vi deliberationis, quacum committitur, grave, aut leve peccatum apprehenditur.

\* Si quaeras: an etiam ipsae actiones vel omissiones malae, ex ignorantia vincibili admissae, sint formale peccatum, saltem quae sunt immediate voluntariae; *respondeo: Si periculum proximum seu certum earum, cum ignorantia connexum, praevium fuit, sicuti tunc saltem indeterminate sumtae et indirecte voluntariae sunt consensu proxime pleno (478. III.); ita formaliter malas et peccaminosas esse, sed unam tamen transgressionem illius legis una cum ignorantia vincibili, et incuria (quae utrorumvis est causa communis et sola immediate libera) conficere, quam transgrediendi periculum tum praevium est, cum incuria deliberate et cum praevisione periculi ignorantiae eiusdem legis commissa est: quia eadem lex et actiones bonas necessarias praescribit (vel vetat malas), et diligentiam debitam in sui executione; qua ipsa diligentia ignorantia vinceretur. Idem totum valet, si periculum tantum propinquum et probabile fuit, cum hoc tamen discrimine, quod per dicta 478. III. n. 2. in hoc casu et ignorantia et actiones seu omissiones malae, ex ea secutae, non plene, sed imperfecte solum sint voluntariae indirecte; ac proin ob defectum pleni consensu peccatum grave facile in leve commutetur.*

490. *Igno-*

490.

*Ignorantia vero prorsus invincibilis tum necessitatis quarumlibet bonarum actionum ad finem ultimum, tum malitiae theologicae, sicuti et ipsa tum ommissio talium actionum bonarum, tum commissio malorum, eidem ignorantiae invincibili coexistens, peccati theologici rationem continere absolute non possunt. Si enim ignorantia ipsa invincibilis est, ipsa neque immediate, nec mediate libera est (484. I.), id est, vel non praevideatur simpliciter secundum se, vel non secundum suam malitiam, vel si etiam unum aut utrumque praevideatur, ipsa aliunde determinatur, quam a principio libere agente: ergo non est capax moralitatis, nec omnino actio vel ommissio moralis (287.), nec capax regulae moralis obligantis ad eam committendam, vel omittendam, id est, legis (339.): ergo nec omnino cadit in eam ratio peccati theologici, quod est actio vel ommissio libera, legi DEI contraria; quod primum. Porro ommissio actionis bonae, ad finem ultimum per se necessariae, et commissio actionis malae, coexistentes ignorantiae invincibili malitiae earum obiectivae, evidenter carent omni malitia formali theologica (305.), id est, omni cognitione certa malitiae obiectivae theologicae, ex qua, tanquam ratione sufficiente, cognosci unice potest existentia legis divinae naturalis praecipientis actionem bonam, ad finem per se necessariam, et prohibentis malam (415. IV. et V.). Ergo, stante ea ignorantia invincibili, lex DEI nulla datur subiectiva, neque obiectiva (343. 344.); adeoque nec ipsae omissiones actionis bonae per se necessariae, nec actiones malae, quamdiu praedictae ignorantiae coexistunt, rationem peccati continere in se possunt (409.); quod alterum.*

491. Quod

491.

*Quod de ignorantia vincibili et invincibili bonitatis et malitiae theologicae actionum et omissionum circa rationem peccati illis insitam, vel non insitam, loc. praec. et 489. dictum, idem valet, si ignorantia utraque non circa bonitatem vel malitiam fundamentalem versetur, sed circa legis positivae, per se ad omnes directae, existentiam.* Si nempe vincibilis sit, et ex incuria libera cum deliberata malitia admessa, ipsi huic coniunctae incuriae, uti ratio malitiae theologicae formalis, ita lex DEI prohibens obiectiva, et subiectiva (343. 344. I.), adeoque ratio peccati cum proportionali gravitate inest. Contra si ignorantia est invincibilis; abest incuria libera, et omnis cognitio legis, et lex ipsa ad talem ignarum se non extendit (346. II.), nec proin legis contemptus et ratio peccati locum habet (411. IV.).

492.

*Error est iudicium seu assensus intellectus logice falsus.*

493.

*I. Ignorantia esse potest absque errore.*

*II. Error contra omnis non affectatus pro ratione suae possibilitatis a priori defectum evidentiae supponit de veritate errori contraria: liquidem unum ex contrariis pro sua possibilitate supponit negationem alterius in eodem subiecto.*

*III. Ratio existentiae erroris non potest esse vel in solo defectu facultatis cognoscendi et appetendi, vel a solo utriusque non usu; sicuti inde est ratio existendi respectu ignorantiae: ignorantia enim est mera privatio contradictorie opposita certae notitiae*

titiae veritatis; adeoque per rationem sufficientem negativam ad existentiam, determinari potest: contra error illius contrarium, ac proinde ipse quoque quid positivum est, videlicet iudicium quoddam actuale seu assensus intellectus: ergo alia positiva ratione existentiae suae indiget.

*IV. Erroris existentia rationem sufficientem non habet unquam a sola necessitate intellectus assentiendi falso.* Intellectus enim per se non urgetur necessitate ad assensum positivum, nisi ab evidentia, id est, non nisi ab intuitu distincto omnium rationum sufficientium veritatis. Atqui pro errore, seu iudicio falso suppetere talem evidentiae intuitum absolute possibile non est: quia secus hoc ipso non falsum, sed verum esset.

\* Ostendi veritatem asserti istius uberrime in Demonstrat. Evangel. 83. 76. adversus eos Philosophos, qui passim evidentes repugnantias in dogmatis praecipuis Christianae Religionis se deprehendere, atque inde intellectum suum ad ea repudianda adigi necessitate, ostentant.

*V. Vnde omnis error existentiae suae ipsius actualis aliquam retionem a priori habet in voluntate, imperante scilicet intellectui actualem assensum falsum, ad quem intellectus ipse, sufficientia rationum nondum evidenter perspecta, minime necessitatur.*

494.

*Vincere errorem est, deposito errore]acquirere certam notitiam contrariam veritatis; praecise autem vitare errorem, subterfugere etc. est suspendere iudicium omne.*

495. I. Vin-

495.

*I. Vincere errorem, est vincere ignorantiam, et per contrarium iudicium verum excludere errorem.*

*II. Vitare errorem solummodo suspensione iudicii, est praecise omittere rationem existentiae erroris, quae esse deberet a voluntate (praec. V.).*

*III. Error saepe vitari potest, etiam cum vinci non potest.* Cum enim ad erroneum iudicium nulla necessitas intellectum immediate urgeat, sed solum liberum imperium voluntatis; hoc semper omitti, erroris suspitione oborta, potest, quin tamen hoc ipso veritatis certa cognitio in promptu sit.

496.

*IV. Itaque error invincibilis est, qui est ab invincibili ignorantia, vel invincibili praecipitantia; vincibili error e contrario, qui est ab ignorantia vincibili (483. et praec. I.); affectatus denique, si ab ignorantia affectata (483.), vel a pertinacia deliberata voluntatis.*

*V. Error invincibilis nec immediate, nec mediate liber est, sicuti nec ignorantia invincibilis (484. I.).*

*VI. Error affectatus circa bonitatem necessariam vel malitiam theologicam actionis vel omissionis, actu susceptae, peccati, destinata malitia admissi, rationem importat: quia importat ignorantiam, vel pertinaciam, tali peccato obnoxiam (484. IV. et hic IV.).*

*VII. Error actualis, si sit vincibilis, mediate liber est, quatenus et eius ratio possibilitatis, et ratio existentiae immediata, nempe ignorantia vincibilis, et assensus intellectus, determinatur partim ab immediate libera omissione diligentiae in*

*Stattler Eth. christ. univers.*

Hh

inqui-



inquirenda veritate, partim a libero praecipiti imperio voluntatis, imperante assensum erroneum intellectui (484. l. 493. V.).

497.

*Qui ex ratione insufficiente de quocunque obiecto absolute iudicat, exponit se periculo erroris, iudicio submittendi, propinquo, vel proximo; pro eo, atque ratio minus sufficiens suppetit pro iudicio absoluto. Imperando enim libera voluntate in tali intellectus dispositione assensum absolutum (496. V. VI.), committit actionem, per quam determinatur iudicium, quod, spectato toto actu primo proximo, totaque sua possibilitate extrinseca, id est, omnibus suis rationibus sufficientibus natura prioribus, potest esse error, cum incertitudine, an non reipsa erroneum futurum sit. Ergo per 470. etc. etc.*

\* Inde est, quod ad erroris periculum vitandum, nisi aliae rationes extrinsecae aliud suadeant, per se univarse sapientia suadeat, non absoluta iudicia in dubiis quaestionibus formare, sed modalia, ex. gr.: *Probabile est, probabilius est, hoc ita esse, vel non ita esse; quod certum esse potest.*

498.

*Qui ex ratione insufficiente iudicando absolute sese exponit periculo erroris invincibilis, quin errorem directe intendat; si id faciat ex directa intentione alterius boni maioris, vel fuga maioris mali, quam sit ipse error ille, cum satis propinqua spe illius boni sic consequendi, vel devitandi mali: is exponendo se periculo erroris in tali hypothese bene moraliter agit, etsi error ipse semper sit malus (40.). Patet ex 472. II.*

\* Exemplum esto geminum. Qui, ut benevolentiam in se caritatem erga proximum conservet, cuius bona

fama

fama apud ipsum in suspensionem adducta est, sibimet imperat iudicium de proximi virtute in meliorem partem; sine dubio bene moraliter agit, etsi erroris periculo se exponat. *Pariter* qui in casu, quo dubium videtur, utrum Superior quid sapienter imperet, assensum intellectus cum Superioris iudicio sibi imperat eo fine, ne voluntas ipsius, ab intellectus disensione seducta, a Superioris voluntate dissentiat, et varias in turbas inutiles incidat cum quietis iactura: is eam obedientiam intellectus sibi imperando utique bene moraliter agit, etsi erroris periculo secundum intellectum, atque etiam actionis externae mere materialiter malae committendae periculo, se exponat; quia maius est malum collisio illa voluntatum subditi et Superioris, quam incertus error invincibilis intellectus, atque etiam secutus inde materialis error voluntatis facientis, quod Superior fortassis minus recte iubet. Atque in hoc consistit illa sapiens simplicitas vere obedientis, qui uniformi intentione, quod optimum est, intendit, et eo fine etiam minoris mali periculum permittit, ut ne a via obedientiae optima deflectat. Experietur istius doctrinae gravissimam veritatem in se, quisquis iudiciis Superiorum suorum oblectando, inquietudinis et turbarum sibi inde concitarum experientia excitatus, advertere voluerit: experietur longe minus sibi accessurum molestiae fuisse et impedimenti virtutis; si bona voluntate sibi consensum sui iudicii cum iudicio Superioris, etiam cum incerto errandi (errore mero intellectus) periculo, imperasset. Atque hinc est, quod vera sapientia (simplicissimo et uniformi mentis intuitu semper finem optimum et media optima respiciens in quamcunque multiplici negotiorum concursu) a nulla re magis refugere suadeat, quam a collisione iudicii cum iudicio Superioris; ubi adhuc incertum est, penes quem sit vera rectitudo iudicii, penes subditum, an penes Superiorem.

499.

*In hypothese praecedente illi, qui erroris invincibilis periculo se exponit, error ipse (si re ipsa subsit iudicio intellectus, cuius assensum voluntas bene moraliter*

Hh 2

liter

*liter imperat) esse plene voluntarius dici non potest: 2.) imo error plene voluntarius proprie dici ne tunc quidem potest, si quis ex mera praecipitantia non deliberata iudicium erroneum sibi imperet; modo error vincibilis non fit (496. V.). Solum enim periculum erroris certo tunc praevидetur, non ipse error futurus; qui quidem sequi reipsa, et non sequi potest; cum aequae spes sit propinqua, assensum iudicii non fore erroneum. Ergo solum periculum plene voluntarium (450. I.), et indirecte intentum est, non ipse error; etsi fors reipsa subsit assensui (284. 310. 310. II. et VI.): siquidem ad rationem plene voluntarii certa praevisionis requiritur; eo quod secus id, quod plene voluntarium dicitur, a non sciente ad existendum determinaretur. Vide etiam dicta 478. III.*

\* *Neque dicas: Qui arreptum sclopetum explodit in adstantem hominem, temere, id est, ex ratione insufficiente iudicans, non esse oneratum; etsi error istius iudicii reipsa infortis ponatur esse invincibilis; ex. gr. quod nulla ipsi obvenerit suspicio de sclopeti oneratione interim ab alio facta; illi tamen error iuxta, ac homicidium inde secutum esse voluntaria censentur, et ut talia imputantur. Nam respondeo: Si error ponatur esse reipsa invincibilis, salvis genuinis notionibus, dici profecto debet, neque errorem, nec homicidium, tali re vera plene voluntaria fuisse. Quod si plene voluntarium fuisse ponas aliquod periculum erroris et homicidii, oportet, ut hoc et certo praeviderit, et libere determinarit; et quidem in eo, quod isti periculo se sciens ac volens exposuerit, iam tota malitia materialis et formalis actionis totius, menti ipsius immanentis, consistit, ex qua gravitas tum legis divinae, eam prohibentis, tum peccati, per eam commissi, metienda est (428. n. 5.). Effectus vero externus, reipsa ex ea secutus, nec certo praevisionis, non nisi consensu imperfecto voluntarius erit (450. I. II.), atque, seu reipsa sequatur, seu non sequatur, revera illam malitiam actionis*

im-

immanentis nihil immutat: quippe quae eadem prorsus maneret, etsi secundum spem agentis malus effectus nullus reipsa consequeretur; id quod in simili argumento iam ostensum est (478. II. III.).

500.

*Error omnis vincibilis circa bonitatem necessariam vel malitiam actionum moralium theologicam, aut circa veritates scitu necessarias ad finem ultimum, oritur tum ex incuria quadam theologica libera, tum ex libera praecipitantia iudicii erronei.* Omnis enim talis error vincibilis a priori pro ratione possibilitatis suae supponit ignorantiam vincibilem, seu defectum liberum certae notitiae de eadem bonitate necessaria, vel malitia theologica actionis moralis, aut de veritate scitu necessaria ad finem ultimum (493. 496. IV.); quae semper ex incuria aliqua libera theologica oritur (486.): *quod primum.* Porro idem error vincibilis semper pro ratione existentiae suae habet liberum quoddam imperium voluntatis (493. V. 496. VII.); quod hoc ipso, quod assensum intellectus mediate liberam determinet, stante ignorantia veri, id est, sine certa istius notitia, ex ratione insufficiente iudicium ferre intellectui imperat, id est, praecipitantia libera laborat (444. 445.): *quod alterum.*

501.

*1. Itaque omnis error vincibilis circa veritates scitu necessarias ad finem ultimum consequendum, et circa bonitatem necessariam vel malitiam theologicam actionum actu susceptarum, peccato obnoxius est; quatenus nempe supponit pro causa natura priore ignorantiam vincibilem, ac proinde incuriam theologica liberam positive malam, DEI lege prohibitam, et peccato obnoxiam (praec. 489. 488.): 2.) et quidem ratio peccati gra-*

H h 3

vis

*vis vel levis eidem inest pro eo, utque in incuria illa deliberate admissa maiorem, vel minorem malitiam theologicam errans quisque apprehendit (489.); cuius error ipse est effectus.*

\* Unde nec error Iudaeorum crucifigentium Christum, pro deceptore habitum, eos exculabat; quia ex praecipitantia libera et odio pessimo exortus fuerat. (447. not.).

*II. Error invincibilis circa eadem modo dicta aliam peccati theologici rationem habere non potest, nisi quae (cum vitari absolute, licet non vinci, posset 494. III.) ex praecipitantia forte qualiscunque ei adhaeret, qua, ex insufficienti ratione libere quisque iudicans, libere se exponit mali, id est, erroris, periculo (492.)*

502.

*In omni peccato theologico vel destinata malitia, vel incuria aliqua theologica deliberata et libera voluntatis intervenit. Vel enim peccatum quodcumque admittitur cum plena deliberatione et considerantia malitiae theologicae et legis divinae contrariae: et vel ex destinata malitia, seu directa intentione malitiae, cum dolo committitur, vel sine directa intentione malitiae, et sine destinata malitia (461.). Quodsi sine destinata malitia admittatur, existit id peccatum ex omissione libera diligentiae debitae in eo vitando et exequenda DEI lege contraria (457. II.), id est, a negligentia diligentiae illius (451.). Porro omnis istiusmodi negligentia tum liberam omissionem sufficientis efficaciae in intentione seu desiderio bonitatis theologicae actionis vel omissionis, et conformitatis eius cum lege, tum ipsius finis ultimi, id est, incuriam theologicam importat (458. IV. 463.)*

463. ). Ergo inprimis in omni peccato theologico, deliberatione plena, et cum plena cognitione malitiae theologicae admissio, aut destinata malitia, aut incuria aliqua libera ac deliberata theologica, intervenit. Vel peccatum aliquod sine plena considerantia, nec cum plenae malitiae theologicae cognitione committitur: ergo vel tota malitia theologica, vel eius pars aliqua, seu ignoratur, seu ex errore omnino pro bono theologice tali habetur; id est, vel ignorantia datur, vel error, circa malitiam actionis vel omissionis actu commissae theologicae. Porro ignorantia ista, vel error, aut affectata sunt, et sunt positive mala theologice peccata cum destinata malitia admissa (484. IV. 496. VI.): vel sunt ambo invincibilia; et tunc peccati rationem tollunt omnino ab actione vel omissione, ex eorum occasione admissa (490. 501. II.): vel denique sunt vincibilia; et ambo liberam quamdam incuriam, peccato obnoxiam, important (486. seqq. 501. I.). Porro ad ignorantiam, vel errorem intellectus, et ad actus malos voluntatis peccata omnia referuntur (420.); de quibus omnem demonstrationem istam ex aequo valere, per se evidens est. Ergo in omni peccato &c. &c.

503.

*Ubi ergo omnis destinata malitia simul, et omnis incuria theologica abest; seu ignorantia, seu error circa notitiam veritatis ad finem ultimum necessariam admittatur; seu actio vel ommissio voluntatis immediate materialiter mala committatur: nec malitia moralis theologica, nec ratio peccati theologi hisce actibus inesse potest.* Ignorantia enim et error nec affectata, nec simpliciter vincibilis erit (483. 485. 496. IV. et VI. 486. 500.), sed invincibilis (483. 496. IV.);

H h 4

IV.); quia non a libero non usu voluntatis (483.), sed a defectu non libero facultatis seu cognoscen-  
 tis, seu appetentis (482. 484. I.) proveniens. Actio autem vel omissio immediata voluntatis erit  
 sine directa intentione malitiae (461.); quia sine  
 destinata malitia: et erit quoque sine indirecta in-  
 tentione malitiae materialis theologicae; quia  
 ista permissionem mali theologici cum prae-  
 visione importat (311. II. et V.): atqui ubi abest  
 omnis incuria voluntatis; ibi abest omnis negli-  
 gentia libera desiderii efficacis necessarii ac suffi-  
 cientis ad impediendam malitiam theologicam et  
 promovendam bonitatem theologicam actionis  
 vel omissionis actu susceptae, vel suscipiendae  
 (463.), id est, omnis libera permissio (182. 183.).  
 Iam vero malitia materialis theologica actionis  
 vel omissionis actu susceptae, quae nec directe,  
 nec indirecte intenditur, nec voluntaria (311.  
 VI.), nec libera (285.), nec proinde moralis esse  
 potest (125. 287.): actio vero et omissio, quae  
 moralis non est, legis moralis obiectum esse non  
 potest, ac proin nec rationem peccati theologici  
 habere potest (339. 409.).

\* Ceterum nota, quod, cum huc usque dicta de  
 ignorantia et errore vincibili, atque invincibili, omnia  
 ex ipsa notione *imputationis voluntarii*, et *liberi* evidenti  
 nexu deducta sint, ex his principiis potius de variis  
 factis, in Scriptura sacra occurrentibus, in quibus er-  
 ror vel ignorantia imputata fuisse videntur, iudicare  
 oporteat, quod illi errores et ignorantiae aliquo pa-  
 cto vincibiles fuerint; et quod contra minime de-  
 ceat, ea in argumentum vertere, ac si ignorantia et er-  
 ror etiam reipsa omnimode invincibilis a DEO imputa-  
 retur: qui, cum falli iudicando utique absolute non  
 possit, errorem vel ignorantiam imputare (id est, iu-  
 dicare, quod sit ab homine tanquam a principio vo-  
 luntario; et libero 426.) utique non potest, qui im-  
 puta-

putabilis non est, id est, qui non est a tali principio libero.

\*\* Illud tamen porro circa non nulla dicta eorum SS. Patrum observandum, qui Pelagianos haereticos peculiari studio impugnarunt, videlicet eam quoque ignorantiam pro vincibili simpliciter habendam esse, quae, tametsi solis naturae viribus praesentibus vinci non possit proxime, vinci tamen posset ope virium divinae supernaturalis gratiae, quam Deus certo largiretur, si homo, salutis incuria occupatus, hanc primum pro affluente sibi ad hoc sufficiente eiusdem gratiae auxilio, ferventis orationis exercitio vincere adniteretur (466. VI. VII.). Quodsi enim istud facere negligat, per dicta (476. 477. 478.) vi ipsius incuriae illius pro quantitate et numero praevisorum eius malorum effectuum, et periculorum malorum ei connexorum, peccati gravissimi reus est. Hoc nempe sensu *Synodus Diospolitana*, *S. Augustinus* Lib. de Nat. et Grat. cap. 17. *S. Hieronymus* Lib. I. adversus Pelag. redarguunt Pelagium, negantem, quod ignorantia et oblivio sint effectus peccati originalis, ad quos tollendos opus sit DEI gratia supernaturali, tenentemque, eos defectus, quoties naturae viribus vinci non possint, culpa carere.

\*\*\* Alias tamen *S. Augustinus* Lib. de Grat. et lib. arbit. cap. 3. etiam illud affirmat; videlicet verae fidei et divinae revelationis ignorantiam, etsi invincibilem, non ita excusare, ut, ea stante, aut poenas vitae alterius aeternae effugiant, aut ad beatam vitam perveniant, qui ea laborant: quia videlicet omnes, qui ex adultis hominibus ea laborant, indubitato per alias praevias culpas graves, contra leges naturae admissas, quas vel naturalis sola ratio ipsis abunde promulgaverat, obicem opposuere, quo minus lumen fidei supernaturale ipsis a Deo affulgeret; siquidem sine id genus obice Deus necessarium salutis remedium illis, pro virili sese ad hoc praeparantibus, pro sua generali benignitate substracturus non esset. Verba *S. Augustini* loc. cit. haec sunt: *Sed et illa ignorantia, quae non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omni-*



no, quid crederet. Et in Epist. ad Sixtum eodem sensu dicit: *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat.*

\*\*\*\* Ceterum S. Augustini mens abunde patet ex aliis eius dictis, puta in lib. de vera Relig. cap. 4. ubi ait: *Vsque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, et hoc ita manifestum, ut nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Et lib. III. de lib. arbit. cap. 19. inquit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quaerere, quod ignoras.*

\*\*\*\*\* Extant denique hac de re inter Baii propositiones, a Pio V. Papa damnatas, numero 46.: *Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium; et num. 68.: Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.* Item inter damnatas ab Alexandro VII. propositiones est numero 2da.: *Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

## §. VII. DE ALIENI FACTI IMPUTATIONE.

504.

**F**acti alieni imputatio est iudicium, quo quis affirmatur esse principium liberum existentiae illius, qua talis. *Vnde I. est iudicium, quo quis affirmatur I.) esse sua quadam actione vel omissione principium existentiae alieni facti, quod tale est; 2.) quod hoc sit cum praevisione distincta nexu suae actionis; vel omissionis, cum existentia eius, qua talis, seu harum determinationum facti alieni singillatim; 3.) quod actio, vel ommissio, qua fit, et praeviderat se fore, principium existentiae talis facti alieni, illi fuerit libera (427.). II. Factum alienum mihi imputari potest, quatenus a me cognitum, qua tale, in existendo dependet a mea libera voluntate; non item.*  
si

si quidem dependeat ab actione mea libera (vel omissione), sed non cognitum, qua tale. Fieri enim utique potest, ut promoveam factum alienum facto meo libero, quod tertio noxium est, quin praeviderim, fore huic noxium: tumque, qua noxium, id mihi imputari non posse evidens est; etsi factum idem, quod est noxium, reipsa dependeat ab aliquo facto meo libero, sed nempe non libero eatenus, quatenus est causa mediata damni alieni. III. Ea magis alienum factum mihi imputari potest, quo magis sufficiens ratio existentiae libero meo facto, ac simul sciens, extitit respectu facti alieni. IV. Vnde si fuerim ratio omnino complete sufficiens dicto modo, id est, nullum alteri relinquendo liberum arbitrium ultimae determinationis; soli mihi imputari poterit tale factum alienum, et nullo pacto alteri, immediate factum ponenti. V. Si vero dicto modo fuerim ratio solum incompleta, relinquens adhuc alteri liberam ultimae determinationis saltem proximae ac partialis arbitrium; non soli mihi, sed mihi quidem, atque una etiam alteri, factum istius poterit imputari. VI. Si factum alienum tibi imputabile modo sit melius, modo minus bonum, item peius nunc, nunc minus malum; non idcirco imputatio maior secundum se erit, sed imputatio erit maioris boni, et mali, vel minoris. VII. Tot modis imputari alteri alienum factum potest, quot modis quis potest facto suo libero et cum praevisione debita esse principium existentiae facti alieni.

505.

Facti alieni quis principium liberum existentiae esse potest I.) vel promovendo (182.) concursu positivo, idque vel physice, seu concursu positivo physico, id est, actione positiva, in qua contineatur aliqua ratio existentiae, sine qua factum alienum tale  
exi-

existere non posset; uti si quis adiuvet, agat, ut concussa efficiens physica, resistat physice impedire volenti factum tale etc.: 2.) *vel promovendo positivo influxu morali*, idque rursus *vel solo consilio*; 3.) *vel sola exhortatione*, laude nimirum aut vituperio; 4.) *vel invitatione*, aut *dissuasionem*, 5.) *vel iussu*, aut *vetatione*, citra obligandi potestatem (327. 331.), 6.) *vel praecipiendo*, aut *prohibendo* (339.), 7.) *vel libere permittendo* (183. 184.), id est, *instar principii negativi non impediendo*; idque denuo *vel solius resistantiae possibilis libera omissione*, 8.) *vel non resistendo moraliter*; seu consilio, seu exhortatione, seu invitatione, seu iussu, seu praeccepto, quocumque nimirum ex his modo posset libere impediri.

\* *Consensus* omnis vel inter concursus positivi physici, vel moralis negativi, species aliquas censeretur debet. *Tacens* esse potest, qui vel non consulit, vel non dissuadet, vel non prohibet. *Non manifestans* omittit physicum concursum. Unde vides, enumeratione hic tradita istos iam contineri, sed divisione magis accurata et completa,

506.

I. *Factum alienum imputatur ex vero omni, illud libere positive promoventi, seu concursu physico, seu influxu morali.*

II. *Magis imputatur praecipienti aut prohibenti, quam solum iubenti aut vetanti; et huic magis, quam solum invitanti; et post istum magis exhortanti, quam solum consulenti (504. III.).*

III. *Factum alienum bonum libere non impediendi illud itidem imputatur, sed minus, quam itidem positive promoventi (loc. cit.).*

IV. *Fac-*

IV. *Factum alienum malum non imputatur libere id non impediendi quocunque modo, si eo modo impedire non possit, nisi cum certa sequela maioris mali proprii, vel alieni, aut non nisi cum iactura maioris boni.* Tali enim in hypothese ne DEVM ipsum quidem dedecet, aut minus decet non impedire physice facta mala moralia hominum (186.); et ob eandem hypothese[m] ne moraliter quidem DEVS impedit eadem gravioribus mediis, nisi quantis potest sine sequela maioris mali, aut iacturae maioris boni. Sic ex. gr. culpas leves non impedit intentatis poenis aeternis, sed solum temporaneis; mala moralia solum negativa non nisi propositis praemiis etc.

### §. VIII. DE ESSENTIALIBVS LIBERTATIS.

507.

*Consensus in appetitu rationali* existere dicitur, si omnes stimuli et motiva, quae suppetunt respectu cuiuscunque obiecti appetendi, vel averfandi, cieant respectu eiusdem eundem affectum seu volitionem primitivam. *Pugna in appetitu rationali* esse dicitur, si stimuli, vel motiva, quae actu suppetunt, cum aliqua magnitudinis proportionem mutua (53. II.) cieant affectus seu volitiones primitivas contrarias, nimirum alia appetitionem, alia averfationem, seu alia affectus complacentiae, alia displicentiae. Stimulos et motiva, pugnam in appetitu, id est, volitiones primitivas contrarias respectu eiusdem obiecti cientia, *motiva impellentia et absterrentia* appellamus.

508.

Continuatio, de se quidem adhuc inefficax, aliquamdiu perdurans illius praevisionis (49.), seu intuitus

tuitus iucundi, vel molesti, qui stimulum, vel motivum, constituit respectu alicuius obiecti appetendi, vel averfandi, quove bonum, vel malum, eius appetitioni, vel averfationi, insitum intuemur, *attentio super motivo agendi* appellatur. Quodsi ille intuitus nunc ad hoc, nunc ad aliud motivum impellens et absterrens, convertatur, cum adperceptione contrarietatis eorundem; *reflexio super motivis impellentibus et absterrentibus* vocatur. Si vero sistat in motivo quidem eodem, sed tamen super diversis eius magnitudinis partibus ultro citroque insistat, *reflexio super gravitate eiusdem motivi* dicitur.

509.

*I. In pugna appetitus continuo possibilis est conversio attentionis nunc ad motiva impellentia, nunc ad absterrentia.* Adperceptis enim semel vi pugnae iam exortae motivis contrariis (507.), cum attentio super uno conservatur, phantasia reproducit seu conservat, alterius speciem phantasticam, quae vi sibi propria ciat et attentionem et affectum sibi convenientem; et absterret ab attentione motivi oppositi, et ab affectu huic consentiente.

*II. In eadem pugna possibilis est reflexio super motivis contrariis;* siquidem haec non est, nisi attentio, ultro citroque in unum atque alterum, atque sic in eorum relationem contrarietatis coniecta (praec.).

*III. Ratio sufficiens potentiae convertendi attentionem actualem ab uno motivo ad alterum est praesentia motivi contrarii, ope phantasiae conservata, et a prioris attentione absterrens, et sui attentionem ciens:* idcirco enim attentio actualis utriusque motivi ex aequo possibilis est.

IV. Haec

*IV. Haec omnia perinde vera sunt, etsi pro una parte suppetant motiva maiora, seu fortiora; modo altera iustam adhuc habeant ad ea proportionem, ut pugnam appetitus determinent (507.). Adhuc enim ratio sufficiens (per hypothesin iustae proportionis motivorum contrariorum) suppetit, cur attentionem a maiore ad minus motivum contrarium convertamus.*

510.

*I. In consensu appetitus in ordine ad affectum, seu volitionem primitivam iucundam nec est possibilis affectus, seu volitio primitiva molesta contraria; nec volitionis ipsius iucundae voluntaria omnimoda omisso: quia utraque caret ratione possibilitatis (53. I. 51. V.); ac proinde volitio iucunda necessitate consequitur. 2.) In consensu appetitus in ordine ad volitionem primitivam molestam, seu aversionem idem de ista ex aequo valet.*

*II. Etsi detur consensus appetitus circa bonum finitum, quod saltem defectu mero deficit a puro bono; non erit quidem possibilis eius aversio, seu volitio positiva, quamdiu perdurabit ille consensus appetitus; non tamen erit necessaria perpetua ad illud bonum attentio actualis, nec eius perpetua appetitio actualis: quia ipsa eius imperfectio negativa, seu defectus a puro bono, et indigentia aliorum praeterea bonorum, ceu ratio sufficiens, avocabunt ab eo attentionem iuxta ac desiderium ad alia bona disparata; ac proinde actualis quoque eius appetitio voluntarie interrumpi poterit, ita, ut solum habitu perseveret.*

\* *Exempla obvia hoc probant. Sic opum honeste partarum amor habitualis in divite quidem perdurat, sed non semper actualis de istis cogitatio.*

*III. In*

*III. In consensu appetitus ad appetendum purum bonum, praesente intuitu distinctio cognitum, nec aversatio, nec omisso voluntaria appetitionis, vel etiam solius attentionis, ac proinde nec interruptio voluntaria appetitionis eiusdem possibilis erit: quia omnes istae carerent ratione sufficiente suae possibilitatis (51. II. 52. 53. I.), id est, motivo, quamdiu perdurat ille praesens boni puri intuitus: atqui, quidquid immediate voluntarium est, motivum sibi consentiens habere debet (53. I.).*

## 511.

*Motiva sufficientia appello, quae vim movendi seu ciendi appetitum sufficientem habent ad hoc, ut voluntas desiderium efficax, aut efficacem fugam, respectu obiecti boni, vel mali, concipiat (86.).*

*I. Vnde motiva sufficientia in casu pugnae appetitus esse non possunt, nisi ope praevisionis de obiecto bono, vel malo, circa quod pugna illa versatur, repraesentent potentiam simultaneam in subiecto rationali, ad tale obiectum efficaci desiderio appetendum, et fuga efficaci aversandum. Proportione enim mutua secus carebunt ad volitiones efficaces contrarias ciendas.*

*II. Vnde ad casum pugnae appetitus hoc ipso necesse est, appetitum rationalem nec per ipsa motiva, nec alio quovis modo, determinatum esse ad unam potius, quam ad alteram ex volitionibus primitivis efficacibus contrariis circa idem obiectum, circa quod pugna illa versatur: secus enim aut motiva sufficientia pro opposito non suppeterent, aut falsa essent (Cor. I.), nec revera proportionem iustam ad opposita motiva haberent, in qua proportione tamen pugna illa appetitus per essentiam consistit (507.).*

512.

*Libertas, ut est facultas activa, est potentia simultanea substantiae intellectivae, seu spiritualis, in statu pugnae appetitus, nulla suppetente determinatione completa natura priori, determinandi se ipsam vel ad unam, vel ad alteram, ex oppositis volitionibus efficacibus primitivis circa idem obiectum. Atque haec quidem univérse sumta, vulgo libertas indifferentiae; huius vero exercitium, seu determinatio ad alterutrum ex oppositis aequè possibilibus actu facta, electio libera appellatur: porro cum haec potentia simultanea ad contradictorias solum voluntatis determinationes se extendit, nimirum ad volitionem et istius omissionem voluntariam, aut ad nolitionem et ad istius voluntariam omissionem (51. I.), libertas contradictionis; cum vero se extendit ad contrarias, nempe ad volitionem et nolitionem eiusdem obiecti, libertas contrarietatis vocatur.*

513.

*I. Libertatis essentia tria completitur; nempe 1.) motiva sufficientia impellentia et absterrentia; 2.) defectum determinationis completæ naturæ prioris ad alterutram ex oppositis volitionibus primitivis efficacibus circa idem obiectum pugnae praedictæ; 3.) facultatem simultaneam in subiecto spirituali determinandi se ipsum ad unam ex eisdem in sensu diviso.*

\* *Primum ex his tribus vulgo vocant indifferentiam obiectivam seu iudicii; alterum indifferentiam passivam; tertium indifferentiam activam.*

*II. Libertas contradictionis importat necessario potentiam simultaneam liberam in sensu diviso appetendi aut volitione efficaci duo bona obiectiva (seu vera seu apparentia), quorum simultanea appetitio efficax est*

Stattler Eth. christ. univers.

Li

impos-



*impossibilis, aut simultaneam potentiam in sensu diviso averfandi nolitione efficaci malum bono connexum, et appetendi volitione efficaci bonum idem connexum eidem malo; id est, vel ad volitiones disparatas bonorum impossibile, vel ad nolitionem mali et volitionem boni inter se connexorum: quia pura omiffio immediate libera impossibilis est, sed semper imperari debet vel ab amore alterius boni, quod volitio aut nolitio, illi opposita, excluderet, vel ab odio alterius mali, quocum eadem connexa foret (410. not.).*

\* Sic omiffio libera appetitionis cibi duleis imperari debet ab amore libero efficaci sanitatis, cui cibus ille obesse noscitur; omiffio averfationis inimici imperari debet vel ab amore DEI, vel ab odio poenae intentatae a DEO illis, qui inimicitias fovent, id est, connexae cum odio seu averfatione inimici. Non tamen ad solam praecise libertatem contradictionis pertinet facultas ad actus contrarios, odii et amoris; nec opus est ad omiffionem liberam fuga directa, qua dicam: *Nolo facere.*

*III. Ad libertatem contrarietatis requiruntur motiva sufficienter impellentia tam ad amorem, quam ad odium eiusdem obiecti.*

*IV. Licet nec volitio, nec nolitio, nec omiffio ulla libera, unquam sit sine motivo sibi consentaneo (53. I.); tamen ratio ultima determinans completa, cur volitio, nolitio, vel omiffio libera, seu una prae altera existat, natura prior his esse, aut tota motiva inesse, non potest; sed ratio sui partialis saltem ultima inest ipsis exercitiis immediate liberis voluntatis.*

*V. Mens in pugna appetitus circa duo bona contraria, apprehenso quidem unius excessu supra alterum, non potest immediate ab ista apprehensione, cum motivo,*

motivo, actu moveri ad appetendum minus bonum omisso maiore; quia hoc motivum, ceu rationem mali in bono minore repraesentans, non est consentaneum motivum pro amore (53. I.): potest tamen omissa actuali attentione ad idem motivum absterrens ab amore minoris boni (509. I. IV.), attendere ad boni minoris rationem simpliciter bonam, ceu motivum impellens, et huic convenienter istud efficaciter appetere.

*VI. Ab ultima determinatione ipsius substantiae intellectualis liberae pendet, ut hoc motivo prae altero in actu secundo, id est, ad ipsum actum liberum hunc prae alio, moveatur, et sic voluntate efficaci libera unum prae aliis sibi placeat ex eis bonis, vel magis displiceat ex eis malis, circa quae libertate appetendi vel averfandi reipsa pollet; item ut placeat, vel displiceat efficaciter, ex uno potius, quam ex alio motivo, si plura pro homogenea ceteroquin appetitione suppetant.*

*VII. Libertas activa est causa libera efficiens completa, sed non est causa efficiens simpliciter completa: secus, posita ratione sufficiente completa, necessario sequeretur ratiatum, seu actus liber, ex determinatione completa natura priore, seu ex ipso completo actu primo proximo.*

*VIII. Libertas primo sese exercit in usu attentionis post primo apprehensa motiva contraria, seu post semel aliunde et a priori naturae exortam pugnam appetitus. Cum enim tunc attentio actualis ad unum potius, quam ad alterum ex illis motivis per haec ipsa non determinetur a priori naturae; eius determinatio ultima ad hoc potius, quam alterum est in simultanea potestate mentis (509. I. III; 512.).*

*IX. Libertas in actu secundo est actui libero essentialis et intrinseca: quia consistit in eo, quod sit ratio partialis ultima sui ipsius; quod non potest convenire ulli actui non libero. 2.) Et ideo respicit per essentiam totum actum primum proximum liberum, qua talem; quia simul est finalis libera aversio attentionis ab uno, et libera finalis conversio ad alterum ex motivis contrariis, et conatus libere uni consentaneus, et libere alteri dissentaneus (53. I.).*

*X. Attamen moralitas theologica exercitii libertatis non datur, nisi post attentionem sensus intimi ad ipsam bonitatem vel malitiam theologicam istius exercitii ipsius (290. II. 309.); eamque praecedere potest exercitium liberum non nisi physica moralitate insignitum (307.): imo primas liber usus attentionis directae per solum sensum internum, ut caret omni attentione reflexa ad sui ipsius bonitatem vel malitiam, sic et omni moralitate destituitur.*

\* Interim sine dubio, cum in quibusdam lubricis obiectis ex reflexione praevia ipsius liberae attentionis malitia quaedam adpercipitur ob connexum cum ea periculum consensus in ipsum exercitium liberum malum; etiam ipse liber usus ulterior attentionis morali malitia theologica inficitur post iam semel apprehensum hoc periculum, eiusque attentionis ulteriorisque deliberationis theologicam malitiam. Hoc tamen non in omni deliberatione praevia ante quemcunque actum liberum evenire solet.

*XI. Affectus rationem praevenerentes liberi non sunt; quia erumpunt vi primae attentionis nondum liberae, sed aliunde determinatae ex boni vel mali adhuc puri apparentia, nulla adhuc existente pugna motivorum, et priusquam lenta in suis reflexionibus ratio meram boni vel mali apparentiam detegere suo acumine possit.*

*XII. Nec*

XII. Nec beatorum gaudium ex visione DEI immediata, nec reproborum tristitia ex infelicitatis suae positivae aeternum durante notitia, libera erunt; quia, sine pugna appetitus, ex bono et malo puro praesente distincte cognito orientur (510. I. III.).

514.

*Necessarium absolute*, seu *metaphysice*, est, quod ita unum est ex contradictoriis, ut, salvis rerum eisdem essentis, seu possibilitate, non possit esse alterum: quodsi, salva hac possibilitate, posset esse alterum, *absolute contingens* dicitur. *Hypothetice necessarium* est, quod, determinatione aliqua absolute contingenter existente, ceu facta hypothese, ita absolute existit, ut, stante eadem hypothese invariata, non existere absolute non possit: Quodsi per eam hypothesein, tanquam per rationem sufficientem completam, a priori determinetur, eius necessitas *antecedens* appellatur: si per eam determinetur non a priori, sed veluti per rationem formaliter secum eandem, *necessitas consequens* vocatur.

\* Ex hypothese, quod ignis stipulae aridae applicatus sit, necessitate hypothetica antecedente haec comburitur. Contra ex hypothese, quod velis aliquid, necessitate consequente vis illud.

515.

Quod, posita per hypothesein existentia determinatarum virium naturae, earumque dispositionis cuiuscunque intrinsecae et extrinsecae determinatae, nec interveniente ulla DEI virtute supernaturali, necessitate hypothetica ex hac hypothese consequitur, ceu a determinatione completa natura priore; id *necessarium necessitate naturali*, seu

li 3

physi-

*physica, dicitur. Necessitatem et impossibilitatem moralem definivi (325. 326.).*

516.

*I. In hypothese consensus appetitus circa purum bonum appetendum, quod praesente distincto intuitu cognoscitur, huius appetitio, seu gaudium de eo praesente, necessitate naturali antecedente consequitur. Nihil enim per vires quascunque, naturae seu corporeae, seu intellectualis, sine ratione sufficiente consequi absolute potest. Cum ergo in dicta hypothese tam averfatio, quam omissio appetitionis omni ratione possibilitatis careat (510. III.); a parte rei autem universe alterutrum ex contradictoriis, id est, vel appetitio, vel huius omissio, necessitate absoluta existat: posita ea hypothese, consensus in viribus appetitus rationalis, ceu ex determinatione completa natura priore, appetitio puri boni, seu gaudium de praesente istius intuitu consequitur, ac proinde necessitate physica antecedente (praec. 514.).*

*II. Affectus primo primi necessitate naturali antecedente exoriuntur. Eadem est istius thesisi demonstratio, quae prioris.*

*III. Idem est de gaudio beatorum ex hypothese visionis DEI immediatae, et de tristitia reproborum ex hypothese intuitus status illorum proprii.*

*IV. Necessitas antecedens naturalis contradictoriae opponitur libertati indifferentiae circa idem exercitium voluntatis; illa enim, respectu talis exercitii, determinationem istius completam natura priorem importat (praec.); haec negationem determinationis completae natura prioris (513. I. n. 2.).*

*V. Unde*

V. Unde eadem necessitas antecedens naturalis incompossibilis est cum merito vel demerito morali eiusdem exercitii voluntatis. Meriti enim et demeriti moralis ratio formalis consistit in libertate bonitatis vel malitiae exercitii voluntatis, et per hoc differt a pretio physico (158. 159. 125.). Atqui huic incompossibilis est necessitas naturalis antecedens (IV.).

VI. Bruta animalia, etsi sine coactione et spontanee appetant, et averfentur varia obiecta, tamen nec libera sunt, nec meriti ullius capacia praecise idcirco; quia necessitate antecedente physica, id est, ex determinatione completa natura priore secundum praesentes stimulos fortiores, attentionem ad se rapientes, agunt.

\* Iam ex tam evidenti discrimine notionum necessitatis naturae antecedentis, et libertatis indifferentiae atque meriti moralis (hic IV. et V.) sane manifestum est, non nisi contra omnes bonae Logicae regulas contentionis ferram super id genus quaestione ultro citroque duci posse: an ad libertatem indifferentiae requiratur immunitas a dicta necessitate? item an in praesente statu morali naturae lapsae ad meritum ac demeritum morale requiratur libertas indifferentiae? Quasi vero, quod in ipso rei conceptu formali continetur, seu sine quo ne concipi quidem res potest, de eo quaestio esse possit; num a re ipsa posita unquam abesse possit. Enimvero definitiones nominales per se arbitrariae sunt, et qui eas proponit, satisfacit toti officio suo, si ostendat primo, non se a sensu vocum recepto recessisse; deinde notionem, quam nomini subiecit, realem esse, id est, rei possibilis, vel actu existentis. Posterius Artic. seq. ostendemus? Iam vero quod primum attinet, quid opus ostensione, ubi nullus est dissensus in notione ipsa inter nos et quoscunque adversarios libertatis, et meriti moralis? Aut num forte, praeter Fatalistas et Manichaeos, qui palam omnem negarunt hominis libertatem, alios novimus hic

adversarios, quam Wicleffum, Lutherum, Calvinum, Baium, et Iansenium, horumque sequaces? Atqui isti omnes citra dubium non pugnavere de notione *libertatis indifferentiae* (ut Art. seq. §. II. referam), ac proinde neque de notione *meriti ac demeriti moralis*; quatenus illa mere *voluntario physice necessario*, et haec *pretio mere physico* actionum, opponitur: sed, concessa soli Adamo in statu originalis iustitiae ea ipsa libertate indifferentiae, atque adeo moraliter merendi facultate, qualem nos supra (512. 513. I.) definivimus, homini in statu naturae lapsae universe eandem abiudicarunt, eo solum discrimine, quod Wicleffus, Lutherus, et Calvinus, simpliciter pronuntiarent et fronte aperta, nullam nunc homini competere libertatem; contra Baius et Iansenius, praetensa S. Augustini auctoritate freti, assererent: *omne, quod voluntarium, etiam liberum in genere, dicendum esse; libertatis porro in genere duas species esse, nempe voluntarium liberum a coactione tantum, et voluntarium liberum etiam a necessitate*; denique ex mente S. Augustini *homini in praesente statu naturae lapsae solam competere libertatem a coactione, non item a necessitate*, ac proinde *eius voluntariis actionibus inesse quidem pretium physicum, non item rationem meriti moralis*. Quod ultimum, etsi non sub eisdem vocibus et sub distinctione *meriti physici et moralis* enuntiarint Baius et Iansenius, reipsa tamen istud idem sensere. *At enim, ut quam candidissime agamus, unum illis ultro iam nunc concedimus, videlicet non Augustinum modo, sed et plures ex Patribus, et ex antiquioribus Theologis ante exortos Baii et Iansenii errores, inter necessitatem et coactionem, inter liberum, voluntarium, et spontaneum, non semper ita distinxisse, ut non saepius unam ex his vocem pro altera indiscriminatim fumerent: sed alterum illud vicissim affirmate tenemus, videlicet praefatos Patres et Doctores omnes aliis locis apertissime docuisse, et pro certo habuisse, homini etiam in praesente statu convenire veram indifferentiae libertatem ad bonum et malum eamque ad rationem meriti ac demeriti talem prorsus esse necessariam, qualem nos locis citatis definivimus. Sed argumenta, istud utrumque probantis, sequenti Articulo reservamus.*

517.

*Ad essentiam libertatis indifferentiae in genere non pertinet facultas, se determinandi ad malum morale; sed haec solum est species libertatis in genere sumtae.* Nam libertas etiam dari potest inter duo bona impossibilia, quorum neutrum sit purum bonum, et tamen verum bonum utrumque, e. g. inter actum religiosi cultus externi divini, et inter actum caritatis, homini infirmo exhibendae; quo casu tria essentialia libertatis constitutiva suppetent (513. I.), nec tamen haec erit libertas ad malum.

\* Pari modo DEUS liber erat in discernenda creatione, et in omni actione ad extra, quin liber esse posset ad malum. DEUS (inquit S. Augustinus de Civit. Cap. ult.) DEUS ipse nunquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Unde iam (133. 134.) praestabilitum a nobis est, omnem libertatem ad malum, etiam solum negativum, ex defectu aliquo physico naturae ortum habere.

518.

*Ad essentiam libertatis sufficit libertas contradictionis, neque semper necessario requiritur simultanea libertas contrarietatis.* Sic amore boni creati omitti libere (libertate contradictionis) poterit aliquis actus amoris erga DEUM, vel ab isto amore imperandus; etsi quis careat omni motivo ad DEUM positive odio habendum.

519.

*Etsi necessitate physica quis appetat finem, essentia libertatis subsistere potest circa electionem mediorem; si videlicet ratione finis nullus sit dissensus motivorum (510. II.), sit tamen aliquis circa media.* Ita Angeli beati necessitate physica amant DEUM, et optant

I i 5

con-



conformiter certae voluntati DEI maximam salutem hominum: cum tamen sine revelatione DEI saepe ignorent, per quae media potius salus illa hominum maxima revera consecutura sit; liberi sunt circa usum istorum. Parem in modum necessitate naturali homo appetit bonum purum et beatitudinem, ut finem; liber tamen est in electione horum vel aliorum mediorum.

\* An etiam reprobī in actu sui sua infelicitate liberi sint in execrando divino Numine, eoque odio habendo, dubitant quidem alii: mihi vero et his tribuenda esse libertas in hac parte videtur. Quoniam enim convicti erunt de iustitia DEI et merissima sapiente bonitate in permittenda ipsorum infelicitate, atque de eo, quod ipsimet praecise suae sibi sortis auctores sint: modo reflectere ad hoc velint, non deerunt ipsis gravissima motiva abstinendi ab id genus odio DEI; etsi plena necessitate ferentur ad extremo odio semet ipsos averfandos. Fieri tamen poterit, ut extremus dolor attentionem subinde ad illa motiva absterrentia ab odio DEI excludat, sicque odium DEI in eisdem ad tempus necessarium evadat. Interim non puniet illos propterea Deus maiore poena, nil profutura; non permittente id propria DEI bonitate. Similiter sentiendum existimo de malis angelis hominum saluti infestis; qui fortassis tum in persequendo homine etiam simpliciter, tum sine dubio in electione mediorum ad hunc finem, ob istorum incertitudinem, liberi sunt.

520.

*Libertas ad speciem actus tantum* (vulgo *specificationis*) est libertas eius, qui liber non est ad bonum et malum simul, sed tantum vel ad bonum, vel ad malum, libertas eius, inquam, ad eligendam unam speciem boni, vel mali, prae altera. *Libertas ad exercitium tantum* est libertas eius ad individuum actionem unam ex pluribus in eadem

dem specie aequè possibilibus eligendam, qui iam aliunde a priori complete determinatus est ad speciem actionis (291.).

\* Sic ex. gr. boni Angeli, cognita DEI voluntate, liberi non sunt in studio promovendae salutis humanae in genere; sunt tamen liberi ad speciem hanc custodiae prae alia exhibendam, quamdiu ignorant, quaenam ceteris magis in effectu sit profutura. Interim non dubito, quin DEI amor, quo necessario conflagrant, imperet ipsis speciem officii et custodiae, et actum etiam individuum; siquis ipsis melior et aptior futurus ad humanae salutis bonum maius certo videatur.

521.

*Qui sic a priori complete determinatus est ad bonum, vel malum, in genere, aut in specie, ut solum sit liber ad speciem, vel ad exercitium, circa bona aequalia, vel mala aequalia; quin sit liber saltem ad maius bonum in specie, vel individuo, prae minore eligendum, vel ad minus malum prae maiore; et quin liber etiam sit ad omittendum omne simpliciter bonum, vel malum: is, etsi bonum agat, vel malum cum libertate ad speciem, vel exercitium, nec meritum tamen, vel demeritum morale novum ea praecise actione contrahit; nec, salva DEI perfecta sapientia, sanctitate, et bonitate, poenis intentatis, seu lege, absterreri potest, ne male agat; vel postquam male egit in una specie, vel individuo, ob id puniri.* Talis enim necessitate antecedente determinatus ad bonum, vel malum, in genere, vel specie (per hypothesin et 514.), sive hoc bonum, aut malum, sive illud agat inter aequalia, non est causa libera existentiae maioris boni, vel mali, quam quantum est id, quod per illam necessitatem ad genus, vel speciem, aliunde iam determinatum est; ac proinde actio ipsius in specie et individuo qualiscunque

que *novum* pretium physicum non habet (158.), id est, nullam *novam* seu bonitatem, seu malitiam physicam: ergo neque *novam* moralitatem, seu rationem meriti, vel demeriti moralis (288. III. IV.); *quod primum*. Deinde nec sapientia suadere suo consilio potest DEO medium poenae, seu novi mali infligendi misero, iam aliunde ad malum simpliciter absolute determinato, sine ulla spe boni alicuius maioris inde, finis instar, consequendi, aut impediendi maioris mali, quam *quantum* iam aliunde a priori simpliciter determinatum est; nec sanctitas permittit, ut talis sine novo demerito morali poena afficiatur; et minime omnium bonitas, quae universe mala permittere, nisi ex certa praevisione maioris boni, et necessitatis illorum ad istud consequendum, haud omnino potest (142. 143.). Ergo &c. &c.; *quod alterum*.

\* Istud mihi genus completissimae demonstrationis videtur. Unde tametsi boni Angeli liberi sint ad speciem obsequii, hominibus eorum salutis causa praestandi; tamen, nisi liberi sint ad eligendum inter bona maiora, vel minora, hominibus praestanda, pretium quidem physicum, huiusque iusta aestimatio, at non morale meritum, nec laus proprie talis, seu in genere morum, illorum actionibus respondebit. Et vero nemo Theologorum credit, ex aliquo novo id genus merito beatitudinem illorum quoad substantiam crescere; quod tamen, spectata DEI liberalitate fieret sine dubio, si vera moralis meriti ratio illorum, quae praestant nobis, officiis caritatis inesset. Accidentale enim gaudium, quod ex incremento nostrae salutis et felici laboris sui successu capiunt, non rationem praemii, sed naturalis effectus studii ipsorum felicitatis habet: quo tamen carent illi Angeli, qui in custodia sua, etiam aequae solerti, fuere ob improbitatem clientum minus felices. Ex adverso in malis angelis, ceu liberis simpliciter ad malum homini faciendum, vel certe ad maius vel minus inferendum, propria demeriti moralis ratio locum habere potest.

•• Ex

•• Ex his concludo, eos, qui in Christo Domino aliam non admittunt libertatem, quam electionis liberae specificae inter bona aequalia, minime explicare Christi meritum morale.

522.

*Itaque ad meritum morale requiritur saltem libertas specificationis ad eligendum inter bona inaequalia.*  
2.) *Ad demeritum vero morale requiritur etiam libertas ad malum.*

## ARTICVLVS II.

DE EXISTENTIA LIBERTATIS INDIFFERENTIAE AD BONVM ET AD MALVM MORALE THEOLOGICVM IN PRAESENTE STATV NATVRAE.

\* Quaestionis hic pertractandae status, nisi distincte ac complete determinetur, sane complicatissimus est. Ac primo quidem quaestio (prout nexus ipse totius tractationis Ethicae istius Christianae huc usque productus postulat) est ista: *An, quemadmodum merita moralia theologica unicum sunt medium finis ultimi, id est, beatitudinis aeternae, per modum praemii consequendae, ita reipsa hominibus in praesente vitae statu libertas illa indifferentiae competat, quae ad rationem talis meriti moralis theologici, vi notionis istius, absolute requiritur?* Sed ista statum quaestionis genuinum complete neutiquam absolvunt. Est enim Christianae religionis dogma, ad finem beatitudinis certa DEI lege in praesens merita moralia non mere naturalia, sed supernaturalia et ab homine, ad statum supernaturalem filii et amici DEI elevato, per vires gratiae supernatules posita, requiri. Unde iam aliter, et sic quidem quaestionem determinare porro oportebit: *An hominibus in praesente vitae statu libertas illa indifferentiae supernaturalis activae facultatis completae competat, quae ad rationem meriti moralis theologici supernaturalis, seu, ut vulgo appellant Theologi Catholici, salutaris, per se requiritur?* Sed neque isthic vis tota quaestionis et mentis curiosa expectatio in generali Ethica subsistere potest; sed quaeritur continuo: *An DEUS cuivis homini, an sal-*

saltem Christiano, item an ex Christianis cuius saltem adhuc probis; an vero etiam improbis, qui ipsum iam semel, aut saepius graviter contempserit, concedit completae libertatis facultatem, etiam supernaturali sufficiente gratia instructam, ad merita moralia supernaturalia ponenda, et cavenda demerita theologica? Item quoties, aut quando, quaeve in hypothesi, dat singulis, seu probis, seu improbis? imo an etiam infidelibus? Quodsi forte infidelibus non det gratiam supernaturalem: An sine gratia ista supernaturali infideles saltem pollent libertate naturali ad aliquod quaecunque meritum, vel demeritum morale? Enimvero, qui in praesente tractatione abstrahunt ab his omnibus, et simpliciter quaerunt, an in statu praesente naturae lapsae homo gaudeat libertate indifferentiae, reiectis in tractatum de gratia Dei ceteris omnibus praedictis quaestionibus, illi quaestionem summe indeterminatam proponunt. Cum enim in eodem statu praesente naturae lapsae tam diversae rationis homines sint, et eiusdem hominis tam diversus status comparate ad libertatem actiones humanae, et ipsa libertas dari possit ad actiones morales summe diversas; profecto nulla in praedicta quaestionis enuntiatione propemodum vox est, quae satis determinatam hypothesin significet: ac proinde quaestio tam indeterminata nec responsione satis determinata, nec debita istius ostensione, resolvi omnino potest. Et vero ob ipsam complicatissimam quaestionis istius rationem tam variae circa eam sectae inde a primis Aerae Christianae seculis sunt ortae; quas si plene refutare velis; erroris sane originem detegere, et complicata omnia evolvere oportebit, tumque statu quaestionis simplicius evoluto, ut in propositionibus bene determinatis secundum Logicae institutionem fieri amat, facilius magisque convincens ostensio habebit locum. In tres itaque praecipuas quasi partes tractationem istam, quae tanti pro tota Ethica et morum honestate momenti est, dispescam: et primo quidem errorum originem ex probe explicata humanae libertatis mere naturalis imperfectione tum detegam, tum removebo: deinde errores et sectas praecipuas de humana libertate varie sentientium recensero: denique, statu quaestionis ex his probe determinato, humanae liber-

libertatis ostensionem multiplicem, eamque completissimam, si conatui obsecudent boni Superi, subiciam.

§. I. DE IMPERFECTIONE FACULTATIS NATURALIS  
HUMANAE AD MERITA MORALIA THEOLOGICA, IN  
STATU PRAESENTE CHRISTIANO AD FINEM ULTI-  
MUM CONSEQUENDUM NECESSARIA; TUM VERO  
ETIAM DE AUXILIIS AD EADEM SUPERNATURALIBVS,  
DIVINITVS  
CONCESSIS.

522.

*Ad facultatem liberam simpliciter completam in ordine ad ponenda quaecunque merita moralia theologica mere naturalia, ad consequendam beatitatem per se necessaria, et ad cavenda demerita similia quaecunque, in isto vitae statu, praeter concursum DEI naturalem, per se requiritur, et sufficit, tum certa satis actualis notitia praesensque cogitatio de existentia DEI eiusque provida mundi gubernatione, de bonitate et malitia fundamentali theologica actionum humanarum, ac de constitutis a DEO alterius vitae praemiis et poenis aeternis, seu de legibus divinis, praecipientibus sub gravi obligatione bonum, et vetantibus malum morale; tum absentia omnis alienae a naturae viribus alterius determinationis completae, naturae prioris, seu impediens, seu necessitantis ad actionem, vel omissionem, bonam vel malam. Ista enim in hypothese stimulis appetitus inferioris, se solis moraliter utcunque necessitantibus ad actiones vel omissiones malas (131. 132.), coniunguntur motiva contraria absterrentia a malo, ad quod illi impellunt, et impellentia ad bonum, a quo illi absterrent, eaque respective ad necessitatem moralem, ab illis stimulis ortam, pro omni casu sufficiente contrarii*

rii momenti proportionem pollentia (507. 191. 195. 198. 206.). Certa enim praevisio boni et mali ingentis simul et aeterni, et vel solum remotum eiusdem periculum, evidenter sufficiens momentum motivi habet (53. II.) relate ad quodcunque bonum vel malum apparens praesentis vitae, quod ad oppositum stimulat sui intuitu praesente (218.). Ergo adsunt hoc ipso omnia tria essentialia libertatis ad talem actionem, vel omissionem, formaliter theologice bonam, vel malam (per hypothesin), ac proinde ad meritum vel demeritum morale theologicum. Ex adverso sine istis motivis non suppetere ulla alia sufficienter moventia relate ad moralem necessitatem, in malum trahentem, iam (191. 192. 193. seqq.) ostensum est.

\* Nimirum tametsi fortassis affectus inordinati, rationem praevenientes, et orti ex illis motus etiam corporis, voluptate praesente quantalibet ad malum stimulent; cum isti liberi non sint (513. X. 420. n. 5.), nec attentionem rationis ad motiva contraria tollant (509.), adhuc locum habet totum momentum istorum, exhibentium in actione mala tum fundamentalem malitiam et contrarietatem cum perfectionibus divinis, tum contrarietatem cum gravissima Dei lege; atque adeo cum propria aeterna felicitate.

\*\* Dixi vero, requiri *satis certam notitiam et assuetam cogitationem etc.*; hac enim posita cum respectiva sufficiente vivacitate, vis motivorum istorum, comparate ad stimulos quoscunque oppositos sufficiens, illis verbis sapientis Ecclesiastici abunde confirmatur c. VII. v. 40.: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* At enim hic nodus est; ut paulo post videbimus.

523.

*Si vel certitudo dogmatum fundamentalium Religionis naturalis et honestatis morum (de quibus loc. praec.) non*

non est satis firma, vel habitus nullus memoriae illorum satis vivacis suppetit, in facilioribus quidem casibus et occasionibus actionum bonarum et malarum sufficere illa poterit ad libertatem istarum in non magno excessu stimulorum plene conservandam: at in aliis casibus, ubi ingens vehementia istorum stimulorum erit ad malum, necessitas moralis, nascitura ex lege DEI obiectiva, tam parum firma certitudine cognita (331. 339.), et tam parum vivaci praesente attentione in mentis subiecto recepta, multo inferius momentum praedictis stimulis habebit; ac proinde moralem necessitatem ad malum sua praesentia non tollet; etsi libertatem, physicae necessitatis expertem, nihilominus relinquat. Ex una enim parte non omnis excessus stimulorum supra motiva, seu unius motivi contrarii super alterum, libertatem tollit continuo (509. IV. 513. V.); ex parte altera magnus excessus ex parte stimulorum supra motiva contraria importat necessitatem moralem, libertati simpliciter adhuc compossibilem (131.): ergo in casu faciliore, ex. gr. cum pauper aliquis et miserabilis in ultima necessitate a divite locupletissimo postulat opem, etiam mediocris vis motivorum Religionis relate ad item mediocrem vim contrariam stimulorum appetitus inferioris sufficere potest, ut non detur in istis supra illa notabilis excessus, et vicissim in magna stimulorum vehementia mediocris vis motivorum Religionis (ob incertitudinem et exiguam claritatem) modicam ad illos proportionem habebit; ac proinde, etsi vis multo fortior stimulorum completa determinatione a priori actionem malam haud omnino determinet (id est, non necessitate physica (515.)); tamen moralem inferet necessitatem. Adde; quod vis stimulorum potentior ipsum assensum mentis de certitudine parum firma

*Stattler Eth. christ. univers.*      Kk      dogma-



dogmatum praedictorum fundamentalium facile evertat, istaque in dubium vocando vix non penitus enervet.

\* Haec ipsa ratio est, cur non alia pronior via ad Atheismum, quam per scelera carnis, atque universe ad omnem apostasiam a religione.

524.

*Sine auxilio revelationis divinae (internae, vel externae) moraliter impossibilis (id est, summe difficilis) est sat firmus assensus mentis, seu certa credulitas, de dogmatis fundamentalibus religionis et honestatis (522.) memoratis.* Cum enim demonstrationum capaces paucissimi sint (imo nullae prorsus illorum dogmatum verae demonstrationes ante nostram et parentum nostrorum aetatem uspiam legantur); non superest alia via sat firmae certitudinis de illis dogmatis obtinendae, nisi vel per sensum communem naturae, vel per institutionem auctoritatis humanae, vel demum divinae (internae, vel externae) revelationis. Atqui in tam publica et impuni illorum dogmatum inter homines, nulla DEI revelatione illustratos, oppugnatione, verborum doctrinis et operibus facta, qualem omni tempore inter gentiles, seu nulla DEI revelatione edoctos homines, invaluisse legimus, moraliter impossibile, id est, perquam difficile est, ut, obnitentibus simul adversus eadem dogmata pravis naturae affectibus, aut sensus proprius naturae (cuius vis minime satis vulgo perspecta est in edocenda illorum dogmatum veritate), aut humana ulla auctoritas (cuius fides semper est suspecta) sufficiat ad firmum assensum eorundem dogmatum tum vulgo persuadendum, tum ad eundem conservandum etiam tunc, cum actu proxima sceleris occasio et prae-  
vius

vus affectus ad inficienda eadem invitat. Ergo sine divinae revelationis auxilio etc. etc.

\* Haec fere synopsis est demonstrationis illius de necessitate divinae revelationis circa religionem mere naturalem, quam in Demonstratione Evangelica an. 1770. edita toto capite II. accuratius deduxi; ad quod remittere lectorem isthic brevitatis studio licebit. Inde est, quod Iuliano, neganti, necessitatem esse ullam peccandi in homine etiam gratiae experte, S. Augustinus in lib. I. Op. imperf. n. 105. non solum obiicit concupiscentiae rebellionem; sed addit: *Deinde cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur.* Quamquam multo amplius dicere S. Doctor potuisset.

525.

*I. Sine divinae revelationis, id est, gratiae internae, vel externae supernaturalis, auxilio non tollitur in homine, naturae solius viribus praesentibus relicto, necessitas moralis ad malum morale in quovis casu vehementioris stimuli naturae et appetitus inferioris, imo ad inficienda ipsa dogmata fundamentalia religionis et honestatis morum naturalis (praec. et 523. 325. III. 326.).*

*II. Potest tamen sine praedicto revelationis divinae supernaturali auxilio in homine, spectatis solis naturae viribus, remanere libertas physica, moralis omnis gravioris necessitatis experte, in facilioribus quibusdam casibus urgentis legis divinae naturalis ad agendum bonum morale mere naturale, et ad malum morale cavendum (loc. citt.) nolitione, vel omissione voluntaria, mere naturali.*

\* Idem probant 1.) dictum Apostoli ad Rom. II. 14.: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt etc.*; de quo vide §. 391. 2.) Propositiones damnatae a Romanis Pontificibus et cum consensu totius Ecclesiae Catholicae, videlicet Baii 27ma: *Libe-*

Kk 2

rum

*rum arbitrium sine gratiae Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet; et Quesnelli 39ma: Voluntas, si gratia non praevenit, est capax omnis mali, et incapax omnis boni. Ergo sine gratiae Dei auxilio liberum arbitrium naturale capax est alicuius boni, id est, observationis alicuius legis naturalis; item ex Baiana sequitur, id valere non solum ad peccandum, sed etiam vel ad actum indifferentem, vel ad bonum: porro si ad indifferentem actum valet, valet etiam ad actum positive bonum ex fine theologice naturaliter bono, quippe qui, aequae ac finis mere physice bonus voluntatem naturaliter movere potest, momento comparate ad stimulos contrarios sufficiente, saltem in casu faciliore, uti iam dictum 523. Vide item dicta 383. not. 4. 389. ont. 3.*

## 526.

*Homines, qui vel ipsi videbant signa divinae missionis, a Christo Domino, vel ab Apostolis Evangelium praedicantibus edita, vel qui hodie in Evangelii praedicatione satis apprehendunt motiva persuadentia divinam revelationem religionis Christianae, spectatis solis naturae viribus quidem liberi sunt libertate indifferentiae ad recipiendam et non recipiendam religionem Christianam certo fidei mere naturalis assensu; sed tali libertate, cui coniuncta sit summa difficultas, seu moralis impossibilitas (325. II.), tum ut assensu fidei satis firmo recipiantur omnia dogmata, captum intellectus omnem vulgo superantia; tum ut sine alio auxilio interno supernaturali, illustrante intellectum et firmante voluntatem in dicto assensu, voluntas firma persistat in imperando illo naturali certo assensu tunc, quando et quoties vi dogmatum religionis Christianae leges divinae urgent actiones, vel omissiones difficiliore, quibus adversantur vehementiores stimuli inferioris appetitus. Ex una enim parte perspecta certitudo motivorum credibilitatis (quam his, insuperhabita mysterio-*

**rum**

rum revelatorum altitudine, inesse demonstravi in citato opere Evang. Demonstrat.) et obligationis divinae gravis ad assensum, sub interminatione poenarum aeternarum alterius vitae urgentis assensum istum, etiam comparate ad stimulos contrarios inferioris appetitus momentum grave sine dubio in ratione motivi habet; quin tamen evidentia quadam rapiat intellectum: ergo in dicta hypothese dantur tria essentialia libertatis in naturali facultate voluntatis ad imperandum intellectui firmum assensum fidei mere naturalis de veritate et divinitate religionis totius Christianae (513. I.); *quod primum.* Ex altera vero parte ipsa severitas legum moralium, quas religio Christiana universis stimulis inferioris appetitus adversas proponit, tum mox in casu primitus imperandi assensus, tum vero in quovis casu difficiliore, in quo vehementior istorum vis supprimenda est, totius inferioris appetitus rebellionem et pugnam adversus motiva credibilitatis praedicta suscitatur; qua voluntas rationalis vehementissime urgetur ad abiudicandum omnem, vel etiam ad retractandum assensum, etiam iam semel intellectui imperatum; exaggeratur mysteriorum apparens repugnantia, et attentio omnis ad apparentes quascunque rationes, divinae revelationi qualicunque specie contrarias, convertitur: quo pacto, eliso per illusionem inferioris appetitus certo intuitu divinae revelationis et obligationis ad assensum, vis motivorum omnium impellentium tum ad ipsum assensum religioni Christianae constanter praebendum, tum ad leges divinas per eam promulgatas observandas, mirifice enervatur, ac proinde in excessu nimio praesentium stimulorum existit moralis impossibilitas tum firmi assensus, primitus imperandi, tum fir-

mae perseverantiae in eodem in quovis casu difficiliore; nisi alteriore, lumine illustratus intellectus in attentione ad sufficientiam certam motivorum credibilitatis firmetur, et voluntas eiusdem superioris luminis seu iucundo, seu terrente intuitu clariore contra appetitus inferioris vim roboretur; quod alterum.

527.

I. Itaque non sufficit ad tollendam necessitatem moralem ad malum, quae in quovis difficiliore casu in homine, solis naturae viribus relicto, se prodit (525.), non sufficit, inquam, sola externa religionis Christianae ac fundamentalium illorum dogmatum (de quibus 522.) revelatio, sed ad eam tollendam in hypothese praesentium virium naturae humanae necessarium est auxilium gratiae supernaturalis internum, tum illustrantis intellectum, tum ipso modo illustrationis firmantis voluntatem contra stimulos vehementiores appetitus inferioris obnitentes tum contra assensum religionis revelatae, tum adversus observationem legum, per eam promulgatarum.

528.

II. Ad obtinendum istud gratiae supernaturalis auxilium a DEO actiones moraliter bonae mere naturales, in facilioribus casibus per solius naturae vires hinc inde ab homine nondum Christiano, vel improbo, patratae (525. II.) rationem quidem conditionis habere possunt, sine qua minus aptus, et positive male dispositus foret ad dictam DEI auxilium supernaturale cum fructu recipiendum; attamen nec condigni meriti, nec conditionis necessariae per se, habent respectu illius, a DEO cuicumque actu conferendi. Abutendo enim e contrario libertate, omnis necessitatis moralis experte, ad malum morale  
cum

um DEI contemptu practico, sine dubio et demeritum morale positivum, et pravam voluntatis dispositionem contraherent, et ex frequentatione talium abusuum libertatis etiam pravos habitus; quibus fortius deinceps ad reluctandum etiam divinae supernaturalis gratiae auxilio stimularentur; *quod primum.* Interim bonus usus libertatis mere naturalis quantuscunque ad supernaturale praemium se solo, uti nullam bonitatis proportionem, ita nec condigni meriti rationem habere potest; nisi ultronea benevolentia DEVS ad istud gratuito conferendum moveatur (210, 211. VII.); *quod alterum.* Porro DEI benevolentia, quae pro fine ultimo summum possibile commune bonum habet, si collationem talis auxilii supernaturalis cum maiore communi salutis humane bono coniungendum praevideat, profecto nec a defectu id genus praeviorum qualiumcunque naturalium bonorum operum, nec ab ipsis quidem praeviis demeritis positivis moralibus, impediri poterit, quo minus id genus auxilium pro libero suo in res omnes creatas dominio, et misericordia infinita, si ita placuerit, impertiatur etiam indignis et utcunque male de se meritis. Ergo bonae illae actiones morales nec rationem conditionis necessariae per se habent ad tale auxilium supernaturale a DEO impertiendum; *quod evat tertium.*

529.

*Lemma I. Catholicum ex Tractatu de Gratia. Non solum fidei assensus naturalis, dogmatis fundamentalibus religionis (522.) enumeratis firmiter praesistit, sed fides supernaturalis eorundem ex influxu supernaturalis divinae gratiae a DEO liberaliter collatae elicit, atque insuper univ[er]se bona merita moralia, eodem sensu vere supernaturalia, ab homine in statu supernaturali*

Kk 4

*turali amicitiae DEI posito et sub influxu eiusdem divinae gratiae profecta, positiva DEI lege omnibus adultis et ratione rite utentibus hominibus necessaria sunt ad beatitudinem in vita altera consequendam; nec merita sola naturalia quaecumque ad eam sufficiunt.* 1.) Docet hoc SS. Scriptura pluribus locis; uti a) Ioan. VI. 44.: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* -- v. 4. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles DEI* (graece *θεοδιδάκτους* et Isai. LIV. 13. hebraice *יְדוּכִים*, id est, docti): *omnis, qui audiuit a Patre meo, et didicit, venit ad me: qui credit in me, habet vitam aeternam.* Vbi ex contextu patet, non de alio accessu ad IESVM sermonem esse, nisi inchoando per fidem, quam quis didicerit ex illustratione interna et inspiratione a DEO Patre accepta, et non a sola Evangelii externa praedicatione. Vnde b) Apostolus I. Cor. XII. 3.: *Nemo potest dicere (cum fide salutari et salutari affectione): Dominus IESVS; nisi in Spiritu Sancto.* c) Ioan. XIV. 23. Christus promittit: *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; quae verba statum supernaturalis amicitiae DEVM inter et hominem, DEO semel fide supernaturali ac dilectione adhaerentem, extitutum expriment: tumque porro Christus cap. seq. XV. pergit necessitatem istius unionis secum exaggerare, uti et necessitatem perpetui suae gratiae influxus in omnia opera, ad aeternam salutem conductura, comparatione vitis et palmitum e vite pendentium v. 5.: *Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit; mittetur foras, sicut palmes, et arefcet.* 2.) Docent idem SS. Patres communi horum textuum explanatione, huic dogmati consentanea; ut notum est*

• fatis

fatis ex controversiis S. Augustini, S. Hieronymi, et S. Prosperi, aliorumque cum Pelagianis et Semipelagianis, quorum Patrum doctrinam. 3.) *Summi Pontifices* Innocentius I. et Zosimus condemnatione Pelagiani, et Bonifacius II. ac Coelestinus I. damnatione etiam Semipelagiani erroris, canonizarunt. 4.) Definierunt idem Concilia tum *particularia*, nempe Carthaginienſe an. 412. Milevitanum an. 416. Romanum an. 417. et an. 425. Carthaginienſe an. 418.; tum *Oecumenica*, videlicet *Ephesinum*, Pelagium eiusque doctrinam damnans an. 431., et clarissime omnium *Tridentinum* Sess. VI. Can. III.: *Siquis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.* Et ibid. Can. I. *Siquis dixerit, hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina per IESUM Christum gratia posse iustificari coram DEO: anathema sit.*

530.

I. In praesente statu Providentiae DEI circa communem hominum salutem tum DEI gratia supernaturalis, seu actualis, illustrans et movens, seu habitualis, tum fides supernaturalis fundamentalium dogmatum religionis, tum merita moralia supernaturalia, non tantum moraliter sunt necessaria ratione necessitatis illius moralis ad malum morale, quae secus sine supernaturali DEI auxilio exitura communiter esset in omni difficiliore legis divinae obligatione (625. I.) sed vi certi decreti et ordinationis divinae constituta sunt pro mediis, seu rationibus sufficientibus positivis, absolute necessariis ad salutem aeternam consequendam pro omnibus hominibus rationis usu iam pollutibus.

Kk 5

II. Evi-



II. Evidens est ex conceptu infinitae DEI erga homines benevolentiae, DEVM absolutam istam necessitatem id genus mediorum supernaturalium lege positiva non constituisse ad difficiliorem reddendam consecutionem beatitudinis aeternae; sed absque dubio eo fine, ut faciliorem illius viam, et maius incrementum hac ipsa lege generali, quam posset efficacissime, promoveret (399. 400.).

III. Fidem itaque divinam supernaturalem dogmatum fundamentalium non alio fine DEVS requisivit, ut medium adultis omnibus necessarium ad salutem, nisi ut (cum alioquin sit natura sua iam universe moraliter necessaria, tam divina religionis etiam naturalis revelatio per 524. 525. l., quam frequens eiusdem actus fidei, seu naturalis, seu supernaturalis repetitio per 389.) hac ipsa lege et divinae revelationis praedicatio solertior, et ex ista eo uberior salus hominum promoveretur; quae sine id genus seu medio, seu lege, multo minor futura ab ipso praevidebatur (399.).

IV. Quoniam influxus gratiae DEI supernaturalis nec per vires naturae humanae determinari, nec merito aliquo naturali obtineri potest (527. II.); idcirco DEVS requirendo influxum supernaturalium gratiarum ad rationem meriti moralis, ad beatitudinem aeternam conducentis, non onus homini per se vires ipsius transcendens, sed sibi ipsi virtute summe erga homines benevoli et immutabilis decreti liberi necessitatem imposuit, non sola revelatione extrinseca per IESVM Christum, per istius doctrinam, et exemplum, atque haustam ex Evangelii praedicatione notitiam dogmatum religionis ac legum divinarum, sed insuper per actualis suae illustrationis et inspirationis supernaturalem influxum promovendi, ac mirifice facilitandi tum firmum assensum fidei de  
fun-

fundamentalibus inprimis, atque omnibus aliis, dogmatis religionis, tum quasvis alias actiones moraliter bonas, et univérse omnem divinarum legum liberam observationem; quotiescunque et quomodocunque sine praeiudicio maioris boni communis facere id posset, nec praevisione non nisi maioris mali, inde ex libertatis abusu extituri, impediretur.

V. Statum ipsum habituales amicitiae DEI supernaturalis itidem DEUS non alio modo, nec alio sine constituit, ceu necessarium ad rationem meriti moralis apti ad promerendam beatitudinem aeternam, quam ut per IESU Christi meritum ad eum statum elevatus homo, ex dignitate tam excelsa suae personae novum caperet pretium omnis meriti sui moralis (159. II.); ac proinde ut eiusdem merita moralia, iam non mere naturalia, sed supernaturalia, et ab amico DEI posita, maiorem condignitatem ad praemium supernaturalis futurae beatitudinis cum incremento ipsius gloriae (164.) acquirerent (210. VII.). Cum enim rursus elevatio ad dignitatem istam supernaturalem non solum vires naturales, sed et meritum omne praevium hominis excedat, ac proinde solius DEI viribus et gratuita benevolentia efficienda sit; nullo pacto illius necessitas difficiliorem reddere hominis salutem, at ex adverso meritum ipsius dignitatem immensum solummodo augere potest.

531.

*Lemina Catholicum II.* Fuit ante praesentem hominis statum moralem alius status originalis iustitiae, primis hominum universorum parentibus dono DEI mere liberali proprius, et posteris quoque ab his transmittendus, si in DEI obsequio recto libertatis usu persistissent. In illo statu longe felicissimo aberat et imbecilli-

*ceitas ista intellectus circa dogmata religionis et morum, et omnis infirmitas voluntatis (524. 525. l.): eiusque loco intellectus claro lumine supernaturali erat illustratus de dogmatis praedictis, nec appetitus rationalis rebellionem affectuum inordinatorum, rationem praeventientium (qui recepto inter Christianos nomine concupiscentiae vulgo veniunt) erat subiectus; ac proinde liber erat ab omni necessitate morali ad malum. 2.) Verum, peccantibus contra apertam DEI legem graviter obligantem primis parentibus, dona omnia supernaturalia illis aequae ac nobis, eorum posteris, in illius peccati poenam subtrahita, nosque omnes in statum praesentem relapsi sumus, id est, in eum imbecillitatis intellectus et voluntatis statum, qui ex solis naturae viribus, nullo DEI auxilio vel dono supernaturali adiutus ac suffultus, per se determinatur; quemve loc. cit. descripsimus. 3.) In isto statu infelici haeremus omnes tamdiu; donec, procuratis nobis per IESU Christi merita remediis, adque nobis applicatis, restituamur in eum statum habitualis amicitiae DEI, in quo, veluti iure quodam acquisito, praesentibus semper in omni necessitate supernaturalibus illis actualibus auxiliis adversus naturalem caecitatem intellectus, et appetitus inferioris concupiscentiam, fruimur, ita, ut concupiscentiae quidem rebellio ad occasionem pugnae et maioris meriti in nobis relicta, sed simul eo fortiora per Christi merita praeventientis et adiuvantis gratiae auxilia nobis praeparata fuerint.*

\* Dogmata ista, in peculiari de peccato originali et de gratia Christi tractatione, uberius ostendi solent, et ab Apostolo praecipue in Epist. ad Roman. V. cap. traduntur. Idem Apostolus in cit. Epist. Cap. VII. v. 23. concupiscentiam, etiam in statum gratiae iam restituta nobis relicta, vocat *legem membrorum* et *legem peccati*: *Video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi*

*legi mentis meas, et captivam me in lege peccati, quae est in membris meis.* Quo nomine sine dubio designat illam necessitatem moralem ad malum, quae praecipue ex pravis affectibus et nascentibus inde motibus in ipso corpore, atque ad consensum deliberatum in morale malum vehementer rationalem appetitum voluptatis sensu stimulantibus, exoritur; ut adeo duplici veit necessitate morali in diversa trahamur, quarum una lex DEI obligans, id est, poenarum aeternarum intentatione moraliter necessitans ad bonum (331. 339.), altera sit ea, qua vi concupiscentiae morali quoque necessitate trahimur ad morale malum: Ibidem v. 15. et 17. Apostolus concupiscentiam, etiam sibi adhuc inhaerentem, vocat *peccatum*, et eius actus rationem praevinentes, nec liberos, *malum* appellat, dicens: *Non, quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

532.

*I. Status ille, in quem ex peccato primorum parentum omnes delapsi sumus, est ipsissimus status habitualis peccati naturae, seu defectus medii a fine (419.) perdurans tamdiu; donec per Christi merita, et applicatis actu remediis, nobis ab ipso praeparatis, restituamur in statum amicorum DEI, in quo auxilia supernaturalia semper nobis sufficientia adversus moralem necessitatem ad malum praesto sunt.* Priusquam enim istud fiat, semper in necessitate illa morali haeremus, nec facultatem habemus faciendi opus quodcunque supernaturale, seu meritorium vitae beatae (529.); ac proinde nimis quam a sufficiente aptitudine vi naturae nostrae, sibi soli relictae, deficiamus ad aeternam beatitudinem promerendam (524. 525.). Vide demonstrat. Evang. (130. n. 7. et 8.)

*II. Concupiscentia, etiam in iustis ac DEI amicis in praesens relicta, non modo peccati primorum paren-*

parentum effectus est, sed etiam recte ab Apostolo ad Rom VII. peccatum, actuale mere spontaneum, non liberum, item malum, appellatur (419.). Actualis enim defectus physice malus est medii, id est, appetitus nostri, a fine ultimo, quatenus appetitum rationalem impellit ad malum morale, eidem fini contrarium.

III. Gratia seu auxilium actuale supernaturale, tum quo remedium huic defectui naturae, et effectui peccati, offertur, tum quo interne illustramur ad fundamentalia religionis dogmata facilius credenda et vitanda mali pericula, necessarium remedium est ad restituendam plenam hominis in bono faciendo et vitando malo libertatem (522. seqq.).

§. II. ERRORES ET SECTAE MALE SENTIENTIUM  
DE LIBERTATE HUMANA IN STATU  
PRAESENTE.

533.

Post veteres idololatrias, et gentilium Philosophos, fato omnia tribuentes, inde ab Aera Christiana celeberrimi libertatis hostes fuere *Manichaei*, auctore Manete ab anno 277. sectam ex deterrimis unam facientes, quae Christianum nomen unquam commaculavere. Peccato originali reiecto, originem pugnae perpetuae inter carnem et spiritum a duobus coaeternis principiis, uno bono, altero malo per essentiam, repetebant, a quibus duae item ortae in homine naturae essent: una *per essentiam* bona et determinata ad bonum, altera per essentiam mala et ad malum determinata; neutra tamen libera, sed necessitate naturae intrinseca facientes bonum, vel malum, ad quod ab intrinseco sint determinatae: ac proinde (quod recte

recte utique ex tali hypothefi inferitur) peccati non folum expers utraque, fed etiam *incapax*, ob libertatis defectum. Contra Manichaeum iftum errorem pugnans S. Auguftinus, negat, a natura ad malum determinata, proficifci peccata, fed a *voluntate*, non prout haec natura eft, fed quatenus eft naturae potestas et quaedam facultas, ad volendum ac non volendum indifferens. Hoc fenfu fecundum Auguftinum quidquid liberum eft, a voluntate eft, et quod non liberum, id a natura.

534.

Manichaeis, feculo quinto ineunte, in inficiando originali peccato confensere *Pelagiani*, Pelagio, Coeleftio, et Iuliano, tribus praecipuis duobus; at ratione libertatis in oppofitum extremum prolapsi, tam expeditam ad bonum falutare liberi arbitrii facultatem folis humanae naturae viribus in praefente ftatu tribuebant, ut 1) affererent, folis naturae viribus hominem poffe fe immunem confervare ab omni peccato, 2) poffe eum et cognofcere et facere omne bonum, ad aeternam beatitudinem falutare fimul ac neceffarium, 3) et adipifci perfectionem summam iuftitiae; 4) nullam idcirco ad ifta omnia homini fimpliciter effe neceffariam DEI gratiam fupernaturalem, feu externam, feu internam; eo quod intellectus et voluntas naturalis hominis ad omne bonum et cognofcendum, et faciendum, absolute fibi fufficeret: atque in hoc ipfo libero arbitrio naturali fubftantiam gratiae DEI, ad aeternam falutem promerendam fimpliciter neceffariae, reponerent. 5) Huic tamen, non ob neceffitatem, fed praecife, ut facilius homo bonum cognofceret,

ret, et faceret, ac vitaret malum, externe adiectam legem, legisque doctrinam, iam in veteri testamento promulgatam, et in novo exemplum Christi, in quo propriam novi testamenti gratiam consistere dicebant. Praeter haec volebant, aliam DEI gratiam supernaturalem internam non suppetere, nisi ad summum illustrationem S. Spiritus tunc, quando lex non rite intelligitur: unde etiam orandum esse, ut S. Spiritus, quae in Scripturis obscura essent, nobis revelet. Ex adverso nullam unquam admisere gratiam, qua voluntas moveretur, et iuvaretur in ipsa actione libera. 6) Porro hanc ipsam internam gratiam, si ea opus, nobis ob merita nostra et praevium bonum usum liberi arbitrii a DEO sic dari contendebant, ut bene merentibus nunquam desit. 7) Pro certo principio tenebant: si DEI gratia ad non peccandum simpliciter, et ad bonum faciendum, foret necessaria; nec tamen meritis naturalis arbitrii liberi retribueretur univarse a DEO; sublatum iri liberum arbitrium tam ad bonum, quam ad malum.

\* Hos errores (praeter plures alios, qui ad praefens institutum nihil attinent) leges partim in Epist. 106. (nunc 186.). S. Augustini ad Paulinum; partim in Lib. de gratia Christi Cap. IV. VII. XXXI. XXXIII. et XLI., et de gestis Pelagii Cap. XIII.; quae scripta editae sunt a S. Augustino annis 417. et 418., postquam anno 416. iam haeresis Pelagiana in duobus Africanis Conciliis, Milevitano et Carthaginiensi, damnata fuerat. Totum virus Pelagianae haeresis simul expositum leges in eiusdem Libro de Haeresibus, haeresi 88va. Qui de quarto et quinto erroris capite recensito dubitat, legat in S. Augustini Lib. de gratia Christi edit. Maurian. numeros 27. 28. 29. 30. 33. 34. 41. 42. 44. et praecipue n. 45.; in quo itidem Augustinus in brevi synopsi totum Pelagii errorem complectitur. Ceterum Pelagius, non nisi argumentis Catholicorum adactus, denique existen-

scientiam gratiae DEI supernaturalis illustrantis intellectum postmodum admittit; sed vel necessariam ne hanc quidem unquam simpliciter esse confessus est (ut contra P. Berthi, Lib. XIV. Cap. V. n. 5. id cum pluribus Thomistis asserentem, negant plurimi), vel certe nostris meritis et bono usui praevio libertatis mere naturalis, orationi inprimis et piis desideriis, a Deo deberi pro certo habuit. Et vero caput et fundamentum erroris Pelagiani hoc ratiocinium fuisse videtur: Si necessaria ad faciendum quodcunque bonum, et vitandum malum, est gratia DEI, in solius DEI arbitrio posita, nec merito hominis naturali debita; tunc a solius DEI arbitrio pendet, ut bonum fiat, et fiat malum, nec alterutrum horum erit in libera hominis potestate: ergo si asseritur gratiae, meritis naturalibus indebitae, necessitas ad faciendum quodcunque bonum salutare et ad vitandum malum quodcunque saluti noxium, tollitur libertas. Ex quo principio concludere, quaecunque gratia homini a Deo tribuatur, non dari profus gratuito, sed secundum merita praecedentia, eaque mere naturalia; *excepta sola gratia remissionis peccatorum.* Vide August. Lib. *de grat. et lib. arbitr.* Cap. VI. n. 15. edit. Maur.

\*\* Ex his porro eitis, quem primo loco memoravi, erroris adnotatio magni inprimis ad praesentem tractationem momenti est ob modum et responsa S. Augustini, quibus eum refutavit, videlicet *hominem in hac vita per proprias vires liberi arbitrii posse esse sine omni peccato*; qui error *impeccantiae* nomine vulgo venire apud Patres solet, et differt ab *impeccabilitate*, quam alio ac diverso errore Iovianus asseruerat competere homini, per Baptisma renato, seu post gratiam sanctificantem semel acceptam, quam amitti posse iste negabat: est enim aliud, *posse non peccare*, et, *non posse peccare*. Errorem hunc *impeccantiae* plurimis coacervatis sophismatis a Coelestio defensum leges in definitionibus eius nomine inscriptis, quae a S. Augustino refutantur in opere, cui titulus *de Perfectione iustitiae*. Cumque negare denique non possent Pelagiani, esse in homine *ignorantiam* legis et *concupiscentiam* (etsi priorem initio existere vel in mulierculis negabant, teste

*Stattler Eth. christ. univers.* LI S. Hie-



S. Hieronymo in L. I. *Dial. adversus Pelag.*), ignorantiam negabant subiacere peccato; quoniam non secundum voluntatem evenit, sed secundum necessitatem (S. Augustinus Lib. de gestis Pelagii: cap. XVIII. n. 42. edit. cit.): concupiscentiae vero motus solum voluntarios dixerunt esse peccatum, involuntarios autem nullam mali rationem habere, sed esse bonum naturae; proinde, cum voluntarii sint in nostra potestate, etiam penes nos esse, non peccare. Negabat denique, ex solis primis concupiscentiae motibus oriri necessitatem quamcunque peccandi; sed hanc solummodo ex liberis pravis frequentatis actibus et mala consuetudine existere posse admittebant. Vide Augustini L. III. contra Iulianum Cap. XIII. n. 27. et Cap. XXI. n. 42. et Lib. I. Oper. imperf. n. 105. Edit. Maur.

535.

*His iam erroribus S. Augustinus sequentia capita veritatis Catholicæ opposuit.* 1.) Hominem solis viribus naturae adeo non posse esse immunem a peccato, ut potius omnes peccato originali et morti animae nascamur obnoxii, et tamdiu maneamus, donec Baptismo regeneremur, et liberemur gratia Christi. Vide ex innumeris locis, quibus hoc dogma urget Augustinus, Lib. VI. contra Iulian. Cap. XV. n. 48. Edit. Maur. 2.) *Etiam in iam renatis Baptismo, et a reatu concupiscentiae per gratiam liberatis, remanere in primis ipsam concupiscentiam; quae vere sit mala; cum sit effectus peccati originalis, inclinet vehementer ad malum, et impediatur consecutionem perfectæ iustitiæ. Probat esse malam, et inclinare ad malum, ex illo Apostoli ad Rom. VII. 15.: Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. - - Nunc autem non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Probat, eam impedire consecutionem perfectæ iustitiæ; quia ad hanc pertinet, non solum illud negativum praeceptum: Post concupiscentias tuas non eas; sed et il-*

et illud: *Non concupisces omnino*; item non solum praeceptum affirmativum: *Diliges DEUM*; sed *Diliges ex toto corde*. Fatetur, perfectionem istam caritatis, ab omni concupiscentia immunis, in ista vita obtineri non posse, sed in futuram reservari; et ideo illud praeceptum, vetans omnem etiam non voluntariam concupiscentiam, ait *sine culpa violari*: attamen affirmat, non ideo minus recte concupiscentiam malam dici, atque peccatum. Vide Lib. de Spirit. et lit. Cap. XXXVI. n. 65. Edit. cit., item de Perf. Iustit. Cap. VI. n. 12. et Cap. VIII. praecipue n. 19., item ibid. Cap. XI. n. 28., ac denique contra Iulian. L. VI. n. 48. seqq. 3.) Praeterea in renatis *Baptismo etiam remanere ignorantiam* ait (in cit. Lib. VI. contra Iulianum n. 49.), *ex qua fiat, ut a nescientibus innumerabilia perpetrentur mala*; siquidem parvum utique malum non sit, per quod homo non percipit, quae sunt spiritus DEI. Ubi rursus *ignorantiam* probat eodem sensu *malam, et peccatum esse*, quo concupiscentiam; et nihilominus mox subdit: *Non carent ignorantiae malo in lavacro regenerationis; ubi tamen omnibus sine dubitatione carent peccatis*. Ex quo vides, S. Augustinum, praeter originale peccatum habituale in nondum baptizatis, insuper etiam in iam regeneratis Baptismi lavacro aperte *distinguere duas species peccati actualis*; unum liberum, alterum mere spontaneum et non liberum (de quibus diximus 419.), et ad posterius referre concupiscentiam et ignorantiam: *imo omnem defectum a summa perfectione, etiam mero consilio oppositum, seu is liber sit, seu non liber, aliquando Augustinus communi peccati et vitii nomine appellabat*; ut cum L. de Perf. Iustit. Cap. VI. n. 15. ait: *Peccatum est, cum vel non est caritas, quae esse debet, vel minor est, quam debet; sive voluntate*

vitari possit, sive non possit: -- si enim non potest; praeterita voluntas hoc fecit: et tamen vitari potest, quando humilis adiuvetur. Vide etiam dicta 503. nota 2. et seqq. 4.) Afferit Augustinus, in hac vita, sine auxilio gratiae supernaturalis (non solum illustrantis intellectum, sed etiam adiuvantis ac moventis voluntatem) dari necessitatem peccandi, eamque oriri partim ex ignorantia, partim a concupiscentia; quin tamen haec necessitas a peccato absolvat. Vide Lib. I. oper. imperf. n. 105. et 106. Lib. III. de Lib. Arbit. cap. XVIII. Porro hanc necessitatem esse reipsa effectum et poenam peccati originalis afferit, et comparat cum ea necessitate, quae ex mala consuetudine peccandi, transeunte in naturam, oritur; quam postremam etiam Iulianus ipse admittebat non excusare a peccato. Vide Lib. I. Op. imperf. n. 105. Probat vero tum his, tum plurimis aliis locis, tam ipsam necessitatem praedictam, quam quod ea peccato non vacet, ex eo, quod iubeamur DEUM rogare continuo, tum ut ne nos inducat in tentationem; tum ut delicta iuventutis et ignorantiae nostrae ne meminerit. Iam vero in hisce locis, quatenus asseritur in eis necessitas peccandi peccato theologico (419.), eoque distincto a motibus concupiscentiae involuntariis, Augustinum loqui, non de naturali seu physica, sed solum de morali necessitate peccandi, tenent omnes Catholici Doctores, idque ex duplici potissimum argumento: primo quia Augustinus pluribus locis apertissime docet, ea, quae necessitate physica et sine libero arbitrio eveniunt homini mala (puta, concupiscentiam mere spontaneam, non voluntariam, et ignorantiam non voluntariam) nullo pacto nobis imputari pro culpa (lege sis loca citata hic puncto secundo; item Lib. III. de Lib. Arbit. Cap. XIX.: *Non tibi deputatur*

*tur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras; et ibid. Cap. XVIII.: An forte fallit incautum causa peccati? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Alii textus infra 553. occurrent.): deinde quia S. Pater ubique fere adiungit, quod oratione, et imploratione divinae gratiae, nos liberare a necessitate ista et possimus et debeamus; uti legere est in cit. n. 105. Lib. I. Op. imperf.: atqui a concupiscentia et ignorantia involuntaria nec orando liberamur, exemplo S. Pauli; cui dictum est: Sufficit tibi gratia mea. 5.) Cum Iulianus in his pugnancia asseri ab Augustino diceret (Lib. cit. n. 44.), et allegaret definitionem peccati, ab ipso Augustino traditam Lib. de duab. Anim. Cap. XI., quae haec erat: Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, et unde liberum est abstinere; ex eaque inferret, aut necessitatem peccandi in homine non asserendam, aut, si existeret necessitas ista, hoc ipso non dici posse per eam hominem peccare: reposuit Augustinus lib. I. Op. imperf. n. 104.): Ista definitio eius peccati est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam poena peccati, qua perit libertas non peccandi. Augustinus itaque tum isto, tum pluribus aliis locis (ut in Enchir. Cap. XXX. et Epist. 107.) aperte affirmat, Adae peccato amissam in nobis libertatem peccandi. Id quod Lib. I. Op. imperf. n. 47. sic explicat: Adam, quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, et propter quod diceret: Non quod volo bonum etc. ac per hoc id egit, unde liberum illi fuerat abstinere. Nam ei, qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago; abstinere inde liberum non est. Tum iubet tria haec probe discernere, id quod peccatum tantum est, deinde poenam peccati tantum,*

demum quod *poena simul peccati et peccatum* est: *primi exemplum esse* dicit tam in peccato Adae, quam in iis multis peccatis hominum, a quibus eis liberum est abstinere; sed haec istis non esse unquam tam libera, quam illud peccatum fuerat Adae, ceu nullo prorsus vitio depravato: *secundi exemplum esse* mortem et vitae istius ceteras corporales misérias: *tertii ignorantiam et concupiscentiam.* Defendit ergo Augustinus reipso *duplicem diversam necessitatem peccandi, peccato item duplici ac diverso: primam physicam ad motus involuntarios concupiscentiae, qui sint peccatum spontaneum, sed non liberum, et quod in culpam renatis Baptismo non imputetur: alteram moralem ad consensum voluntarium, concupiscentiae motibus naturaliter surgentibus praestitum; quae necessitas moralis ex ipsis concupiscentiae motibus, ceu tentatione, nascatur, nec vinci sine maxima difficultate vulgo possit, nisi per gratiam DEI, quam obtineri debere ait orando: Ne nos inducas in tentationem. Hunc consensum* (tametsi liberum esse libertate immuni a necessitate physica supponat Augustinus, atque idcirco in culpam imputari) *negat tam perfecta libertate liberum esse, quanta liberum erat peccatum Adami; quia hic nullis malae concupiscentiae motibus impellebatur in illud peccatum; quibus tamen nos saepe ita impellimur, ut non nisi cum summa difficultate eis resistere, et vitare peccatum physice liberum possimus; nisi DEI gratia adiuvemur. 6.)* Iam vero ex his omnibus infert Augustinus, *necessariam esse DEI gratiam supernaturalem triplici praecipue ex fine; primo ut liberemur a peccato originali; secundo ut ne consentiamus concupiscentiae motibus, aut negligentia quadam voluntaria haereamus in ignorantia, quam vincere absolute possemus;*

femus; id est, ut ne morali necessitati peccandi consensu physice libero succumbamus; *tertio* ut opus quodcunque salutare, et vitae aeternae vere meritorium perficere, sicut oportet, possimus. Vide de hoc Lib. IV. contra Iulian. Cap. III., ex quo varia Augustini dicta, ad ultimam istam speciem necessitatis divinae gratiae probandam pertinentia, iam supra recensui (503. not. 3.). . . 7.) *Quoniam denique Pelagiani,* et ex istis praecipue Iulianus Eclani Episcopus (quem gemino opere, et univ-erse 12. libris confutandum sibi sumsit Augustinus) *obiicerent,* talis necessitatis gratiae assertione tolli liberum arbitrium; *negavit constanter S. Pater id genus sequelae,* asseruitque per ipsam *DEI gratiam potius veram nobis restitui libertatem,* nosque liberari ab ea necessitate peccandi, in quam Adae peccato incidimus: item hoc ipso *Adae peccato non omnem libertatem arbitrii amissam esse, sed illam solummodo, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam,* id est, libertatem, ab omni morali necessitate peccandi immunem. Vide ex plurimis locis Lib. I. ad Bonif. Cap. II. n. 5. Verum de hoc capite doctrinae Augustinianae plura inferius singillatim dicemus. Ecce tibi in his synopsis universae propemodum eius disputationis, quae S. Augustino cum Pelagianis intercessit, atque doctrinae Augustinianae capita contra Pelagianos, ab Ecclesia Catholica deinceps canonizata.

536.

*Origo et Antithesis Manichaei et Pelagiani erroris* haec erat:

*I. Manichaei* ex animadversa per experientiam intimam prava concupiscentia et orta inde neces-

L 1 4

sitate

sitate ad malum (quam blandientes sibi met ipsis absolutam esse dicebant, et idcirco a bono DEO nullo pacto nec immediate esse posse, nec mediate ob alienum Adæ peccatum posteris in poenam transmitti), in eam devenere cogitationem, ut ab alio quodam malo principio eam oriri crederent; a quo et ipsum Adæ peccatum, et omnia alia istius mundi mala seu physica, seu moralia (quae nos talia vocamus) derivabant.

*II. Pelagiani*, horrore tam absurdi erroris et Manichaeae insaniae odio absterriti, simul tamen iniustitiam esse rati, si posteris, nulla propria voluntate peccati parentum participes, illorum cul-pae poenam tam gravem luerent; *primo* quidem negarunt, alia re nobis primos nostros parentes per suum peccatum, nisi pravo exemplo, nocuisse: *deinde* vero ipsam concupiscentiam bonam esse per sese natura sua, nec quidquam libertati obesse, nisi ultro ea in malum libere abutere-mur, docuere; proinde nos pari libertate at-que plenissima facultate ad faciendum omne bo-num, et omne malum vitandum, cum primis nostris parentibus etiamnum frui in praesens: imo, ceu legis doctrina, et Christi exemplo instructos, fa-ciliori etiam brachio, quam illos, ad perfectam iu-stitiam pertingere posse. Porro haec omnia prin-cipia cum everti, et Manichaeorum errorem de fatali necessitate postliminio reduci, pro certo existimarent, si quaecunque DEI gratia, naturalis libertatis merito non debita, nec obtinenda, ad salutem esse necessaria diceretur; profanae Diale-cticae ratiunculis nimium confisi, catholico huic dogmati nervis omnibus se opposuere. Lege sis in hanc rem vel solas definitiones, Coelestio attri-butas, quas S. Augustinus in Lib. de Perf. Iustit. refutat.

III. S.

III. S. Augustinus, media inter istos errores e diametro contrarios via incedens, ac veritati catholicae constanter insistens, et peccatum originale, huiusque malos in posteris effectus asseruit (de quo 531. et 532. I.); et recte asseruit necessitatem gratiae DEI (527. 529.), indebitae quidem, nec meritis humanae libertatis obtinendae (527. II.); item necessitatem peccandi physicam peccato mere spontaneo (532. II.), atque moralem peccato vere tali ac libero (526. 527. I.); nisi iuvenur auxilio gratiae internae, illustrantis simul intellectum et moventis voluntatem: ac denique his omnibus non laedi hominis libertatem, sed perfici, et adiuvari (530.).

\* Non sine dono DEI singulari tot inter scopulos felicissime recto semper itineri instituisse, atque Ecclesiae divinitus esse datum hunc summum Doctorem Divinae Gratiae, Catholici omnes uno ore omni aevo confessi sunt. Accidit tamen eidem illud, quod ipsi Verbo DEI, ut nimirum illius aequae ac istius effatis deinceps sectarii omnes ad defensionem errorum suorum, illius licet sensis e diametro oppositorum, omni tempore abuterentur.

537.

Itaque Seculo sexto decimo *Lutherus* et *Calvinus*, admissio quidem originali peccato, hoc ipso dicebant fuisse extinctum, vel amissum, in hominibus liberum arbitrium. Vide *Lutherum* in *Affert. Artic. ad Leonem X. Art. 36.*; item in libro *de servo arbitrio*, et *operat. in Psalmum V.*; et *Calvinum* lib. II. *Instit. cap. 2.*; item *de libero arbit. lib. V. cap. 104.* Et *Lutherus* quidem docuit, nec per gratiam posse hominem lapsum divina servare praecepta, DEVMQUE nobis impossibilia praecipere, ac si mandaret nobis transvolare Caucasum. Vide *Philipp. Malanchtonem* ad cap. XIII.

L 1 5

Epist.



Epist. ad Rom. et Lutherum in Respons. ad Dialog. Sylvestri, et in confutat. rationis Latomianae. *Calvinus* docebat, humanam voluntatem nullam habere boni aut mali electionem, nec, accepta gratia, suae optionis esse vel obtemperare, vel refragari. Constituebat ille vero gratiam in affectu delectationis, sed adeo impresso, ut spontaneae tantum voluntas moveatur, sine aliqua libertate. In eo solum differre *Calvinus* a *Luthero* videbatur, quod ille concederet, voluntatem movere se ipsam quoque, et vitaliter agere, et liberam esse a coactione; at iste voluerit aliquando voluntatem veluti inanimam esse, et mere passive se habere: quamquam nec *Lutherus* assereret, hominem sub gratia operari coacte, et velut obtorto collo, sed necessitate immutabilitatis, sponte tamen, et voluntate libenti; uti loquitur in libro de Servo arbitrio.

538.

*Iansenius*, Seculo decimo septimo post secutus, *Calvini* reipso in omnibus sectator, *S. Augustini* tamen ex integro vestigia se premere in doctrina de gratia et libertate hominis professus est, cuius quippe scripta plus quam viginti annorum lectione trivisset. Huius itaque *S. Doctoris* auctoritate abutendo, potissimum stabilire nititur, voluntatem humanam, quae in *Adamo* plena indifferentiae ad bonum et malum libertate fruebatur, istius peccato sic esse subiectam dominatui concupiscentiae, ut, amissa penitus libertate indifferentiae illius, sola fruatur libertate a coactione; atque idcirco in omnibus necessitate naturali antecedente sequatur vel delectationem terrestrem, naturali motu concupiscentiae exortam, vel caelestem inspiratam a *Deo*; prout vel illa hanc, vel  
haec

haec illam intentione vicerit: *Vim omnem sui argumenti in eo potissimum reponit*, ut probet, secundum Augustinum *id omne esse liberum in genere*, quod a volentibus fit, ac *duplicem* a S. Doctore assertam *esse libertatem*, alteram a necessitate naturali intrinseca, alteram a coactione extrinseca; illam soli originalis iustitiae statui duntaxat propriam, *hanc* etiam in praesente statu naturae, Adami peccato vitiatae, perdurantem; *utramque* nihilominus, atque etiam posteriorem sine prima, ex mente Augustini *sufficere* tam ad bene merendum, quam ad male, seu ad peccandum. *Vtitur ad hoc probandum Iansenius* 1.) *generali asserto S. Augustini*, quo contra Manichaeos libertatem hominum praesentem asserturus, saepe pronuntiaverat, *bonum et malum in homine non a duplici natura esse, sed a voluntate*, atque hoc ipso liberum; eo quod omnis voluntas libera sit, *nec voluntatem esse, nisi liberam*. *Vtitur* 2.) *sententiis Augustini de duplici peccato*, uno mere spontaneo, libero altero a necessitate quacunque; item *de duplicis definitione peccati*, quorum unum, Adami nimirum, dicebat Augustinus fuisse *tale, ut liberum ei fuerit abstinere* (lib. de duab. Animab. cap. XI.), alterum, ad quod in praesens praevalente concupiscentia pertrahimur, *necessarium*; id quod nihilominus, *seu vitari, seu non vitari a voluntate possit*, S. Doctor affirmat nobis a DEO imputari Lib. de Perf. iustit. cap. VI. n. 15. *Probat* 3.) ex eo, quod sola necessitas externa et coactio tollat voluntarium; ab Augustino autem passim necessitas interna ad peccandum in libris, adversus Pelagianos scriptis, adstruatur. *Probat* 4.) indifferentiae libertatem esse speciem solum, non genus libertatis, eo quod DEVS, Christus, beati, liberi sint ad bonum, et damnati ad malum, absque ulla indifferen-

ferentia. Ex his porro Iansenius haec Corollaria ducebat: *I. gratiae interiori nunquam resisti: II. hanc nec semper dari, nec obtineri ab homine posse: III. quaedam praecepta iustis etiam impossibilia esse: IV. motus indeliberatos concupiscentiae praevenientis rationem esse peccata formalia: V. ignorantiam invincibilem non excusare a peccato.*

§. III. EXISTENTIA LIBERTATIS HVMANAE AD  
BONVM ET MALVM OSTENDITVR  
RATIONE NATVRALI.

539.

**Q**uoties homo quiscunque ea cognitione fundamenta-  
lium dogmatum religionis, seu naturalis, seu re-  
velatae, instructus est, quae sufficiat ad obligationem  
divinae legis, in casu individuo praesente actu inducen-  
dam, seu ad actionem bonam quamcunque, naturalem,  
vel supernaturalem ponendam, seu ad omittendam ac-  
tionem malam; siquidem simul detur sufficiens reflexio,  
ad actionem talem bonam, vel malam, plena cum de-  
liberatione committendam requisita (421. 449.): to-  
ties dari libertatem indifferentiae completam ad bonum  
et malum ex ipso sensu naturali intimo certum est. In  
omni enim id genus hypothese sensu intimo at-  
tenti ad id, quod in intimo recessu mentis no-  
strae evenire consuevit, observamus, inprimis nos  
uti attentione ac reflexione pro arbitrato proprio  
in ponderandis motivis contrariis, quae nobis  
contra propositum divinae legis suppetunt ex par-  
te appetitus inferioris: deinde motivorum, a malo  
absterrentium, et impellentium ad bonum, suffi-  
cientiam advertimus etiam tunc adesse, cum  
male reipsa agere decernimus, vel omittere bo-  
num, et vicissim, cum bene agere eligimus, ad-  
ver-

vertimus, nos vehementibus stimulis incitari ad malum saepe cum periculi proximi intuitu (467.), ne eis succumbamus: *denique* experimur, nos posse seu differre, seu accelerare resolutionem, quin uspiam quid observemus, a quo necessitate resolutionem nostram antecedente ad unum trahamur absolute; donec tandem ipsi aut velle, aut omittere, aut nolle serius, citius, eligamus. Atqui haec sensatio intima ex integro ea est, quam habere possemus, et actu essemus habituri, si revera liberi libertate indifferentiae ad bonum et malum in quovis eiusmodi casu essemus (509. 511. 513. I.), et quam habere nequaquam possemus, si necessitate antecedente naturali ad unum ex oppositis urgeremur: hoc siquidem in casu nec attentio ad alterum, nec deliberatio ulterior, nec dilatio electionis, porro in nostra esset potestate, perinde atque cum ob consensum appetitus ad unum ex oppositis necessitate urgemur (510. I.): quo casu lubentes quidem volumus, at sine deliberatione, aut mora electionis.

\* *Neque dicas* 1.) hanc sensationem intimam fallaciae fore obnoxiam, si eo primum momento, quo fit actu electio unius ex oppositis actibus voluntatis, DEVS seu determinando delectationem superiorem, seu quacunque determinatione immissa, necessitatem voluntati imponat. 2.) Saepe nos obligari ad actus supernaturales, quorum libera facultas completa constituitur ex parte per gratiam DEI supernaturalem, illustrantem, et moventem: ergo si daretur sensatio seu experientia intima de nostra libertate, deberemus experientia intima sentire ac discernere praesentiam gratiae supernaturalis. *Nam respondeo ad 1.)*: Ergo ante illud momentum hoc ipso eramus adhuc liberi, durante adhuc sensatione intima ulterioris libertatis deliberandi: atque insuper sine ulla ratione sufficiente, imo contra omnes notiones divinae sapientiae, fingere miracula deberemus, quae DEVS non alio sine patret,

patret, nisi ut perpetuo illudat nobis: neque tamen propterea evertitur certitudo naturalis sensationis nostrae intimae; tam parum quidem, quam parum certitudo testimonii sensuum eo eo evertitur, quod fieri absolute possit in aliquo casu, ut DEVS miraculo quodam sensus nostros fallat. *Resp. ad 2.*): ex eo id sequi solummodo, nos non experiri nec libertatem ad actus supernaturales completam, nec utrum reipsa supernaturales sint actus, quos libere nos elicere experimur. Ceterum gratiae supernaturalis necessitas ad actus aeternae vitae meritorios nullo pacto impedire potest, quo minus completa sit nostra ad simpliciter bene agendum et omittendum libertas: sed solum infirmitati virium nostrarum naturalium per eam etiam tum succurritur; cum sine gratia foret in nobis necessitas moralis peccati (530.).

540.

*Evidens est, quod, si in hypothesi loc. praec. definita vere liberi libertate indifferentiae non essemus, sed potius determinati necessitate naturali antecedente vel ad bonum, vel ad malum, DEVS nec sapienter ac iuste obligare gravi lege nos posset ad malum vitandum, nec ad faciendum bonum tunc, cum determinati essemus ad malum; nec denique tantum nobis, quantum sibimet id malum imputare deberet.* Erit enim DEVS tali ratione causa principalis determinans voluntatem humanam, instar meri instrumenti se habentem, eodem prorsus pacto, quo DEVS omnes effectus creaturarum, lege mera naturae et necessitate physica evenientes, in specie et individuo determinat (Theol. Nat. 752. 755. 756. et praecipue 757.); atque insuper DEVS erit ratio ultima adaequata simul et unice libera; ex adverso voluntas humana solum erit ratio proxima non libera, nec ullo pacto ultima, sed mota a DEO et a priori plene determinata ad hoc, ut sit talis ratio proxima: nec vero obligatio, gravi lege imposita,

posita, erit medium ullo pacto sufficiens et aptum ad impediendum malum, quod aliunde plena et completa determinatione a priori, nec per vim legis amplius impedienda, iam est ab ipso DEO determinatum. Itaque DEVS nec sapienter medium ineptum, id est, legem, eligeret ad absterrendum hominem a malo, nec iuste (id est, nullo pacto ex sincero studio boni maioris communis temperans bonitatem suam erga hominem privatum) tantum malum cum certo effectu intentaret, quantum est poena aeterna alterius vitae: et quoniam imputatio non est, nisi iudicium, quo quis iudicatur esse vel fuisse principium liberum certae determinationis (426.), DEVS pro veritate infallibilis scientiae suae iudicare aliter non posset, nisi quod ipse solus sicuti bonum, ita et malum, libere, ceu ratio ultima adaequata, aut praedeterminarit, ut principium liberum et causa principalis, aut saltem solus libertate indifferentiae malum permiserit; quodve, posita ea DEI seu praedeterminatione, seu permissione, soli DEO libera, homo eiusdem boni vel mali solum causa mere physice efficiens, proxima, instrumentalis, et necessaria fuerit perinde, ut animalia, vel res corporeae, mutationum suarum causae non liberae sunt; quin eadem impedire homini perinde, uti DEO, liberum fuerit: ergo nec imputare tantum homini, quantum sibi, posset DEVS seu bonum, seu malum, quod in dicta hypothese quocunque casu absque vera libertate indifferentiae eveniret.

\* Lege sis, quae citt. loc. et sequente toto Art. II. capit. IX. Theol. Nat. de DEO determinante in specie ac individuo omnes effectus naturales et liberos creaturarum dixi; et evidens esse intelliges, quod, si dematur humanae voluntatis actibus libertas indifferentiae,

tiae, id est, character ille unicus verae libertatis, nempe quod sint ratio ultima partialis sui ipsorum (Psychol. 329.); nullum porro discrimen futurum sit ex parte DEI in determinandis in specie et individuo actibus humanae voluntatis et aliis eventibus creaturarum non rationalium, nec inter voluntatem humanam et bruta animantia in determinandis actibus appetitus, spectato nempe praecise necessitatis modo, et possibilitate imputationis: quae imputatio non iudicat de qualitate physica seu pretio mere physico actionum et effectuum, sed de eo, an sint a principio libero, vel necessario. *Quod enim vulgo dicunt*, animantia solum confuse et sine *indifferente iudicio* praevidere bonum et malum, quod necessitate appetunt, homines autem id praevidere distincto et indifferente iudicio: id *nihil omnino ad rem facit*, sed prorsus se per accidens ad imputationis modum habet; quatenus *imputatio* de necessitate, vel libertate, actionis iudicat: siquidem, insuperhabito eo discrimine cognitionis (quod id solum efficit, ut brutorum appetitiones solum *spontaneae* sint, hominum autem *voluntariae*; quia videlicet non nisi appetitum rationalem *voluntatem* vocamus), tamen brutorum appetitiones aequae liberae a coactione sunt atque hominum; et vicissim, sublata libertate indifferentiae, appetitiones hominum voluntariae aequae necessariae erunt necessitate physica antecedente, atque illae appetitiones mere spontaneae brutorum. Quamquam si vel iudicium magis delectans necessitatem voluntati imponat, vel huius attentio demum ligetur, ex vero dici *indifferens iudicium* porro non potest. Etsi enim relinquat indifferentiam intellectus; si tollat tamen indifferentiam voluntatis seu per se immediate, seu per aliud quodvis sibi adiunctum, totus actus primus proximus non est *indifferens*, nec actus secundus a necessitate immunis.

## 541.

*I. Si abest ab actionibus voluntatis humanae libertas indifferentiae, bonae actiones voluntatis quidem pretium physicum, idque maius prae actionibus creaturarum quarumcunque non rationalium, imo etiam varios*

*rios gradus illius pretii physici pro diversitate boni habebunt, sed nullam rationem meriti moralis (158. seqq.).*

*II. In hypothese eadem absentis omnis libertatis indifferentiae actiones malae voluntatis humanae quidem rationem mali physici variam et gradus varii habebunt instar actionum malarum in brutis aut aliis rebus homini noxiis; sed nullam rationem demeriti moralis (loc. cit.).*

\* Quidquid garriat illudens Christiano dogmati Iansenius, clamansque, *sufficere ad merendum ac demerendum in praesente statu libertatem a coactione, nec requiri libertatem indifferentiae*; fatetur tamen cum ceteris sectariis, a Manichaeismo in speciem saltem alienis, reale discrimen esse inter utramque praefatam libertatem, ac saltem Adamo etiam indifferentiae libertatem competiisse: ergo nec inficiari potest, esse reale discrimen inter pretium physicum et meritum morale in actionibus bonis, et inter malitiam mere physicam ac demeritum morale in actionibus malis, si nunc necessariae sunt ambae et solum liberae a coactione, nunc autem etiam liberae a necessitate. Detrahat ergo larvam Iansenius, et, prout bonum Philosophum deest, distinguens voce, quae re diversa sunt, fateatur aperte, se dicta sua propositione (quae inter damnatas tertia est) aliud non enuntiare, nisi, *sufficere in praesente statu ad beatitudinem consequendam actiones voluntarias physice bonas, et sufficere ad incurrendam poenam aeternam actiones voluntarias physice malas.* Cui propositioni si veritas constet, facile probabo, etiam brutis animantibus competere facultatem merendi et demerendi.

542.

*III. In dicta hypothese absentiae libertatis indifferentiae omnes actiones humanae physice malae perinde impediri a DEI omnipotentia absolute potuissent, atque mala physica alia; siquidem iuxta omnes*  
*Stattler Eth. christ. univers. M m secta-*



sectarios, a Manichaeis diversos (qui malo DEO illas tribuebant), DEVS actu in futura beatitudine actiones omnes malas est exclusurus perinde, uti alia mala physica.

*IV. In eadem hypothesei actiones malas humanas, quae non committuntur, DEVS impedit mediis physicis, non mere moralibus (153.), seu delectatione superiore, seu quacunque alia determinatione completa natura priore, et physice necessitante: secus enim maneret libertas a necessitate physica etiam interna.*

*V. In eadem hypothesei actiones malas humanas, quae actu committuntur, non impedit mediis neque physicis, nec moralibus, sufficientibus: quia nec physicam facultatem omittendi, nec libertatem a necessitate physica suppeditat (loc. cit.).*

\* *Neque dicas; lege graviter prohibente DEVM satis eas impedire: iam enim ostensum est, legem talem fore iniustam (540.); sed nec fore medium morale, nec sufficiens physicum, patet ex eo; quia nec dat libertatem, nec tollit necessitatem ad oppositum.*

*VI. In eadem hypothesei DEVS erit eodem modo auctor actionum malarum humanarum; quo est auctor aliorum malorum physicorum, scilicet saltem ea non sufficientibus ullis mediis impediendo. Neque enim DEVS etiam alia mala physica ipsa positive, ut causa efficiens, efficit (Theol. Nat. 118.), sed sponte ex limitibus entium creatorum futura et a se praevisa, ex sapientissimis rationibus permittit; atque eo solum modo inproprie est eorum auctor.*

\* Quicumque necessitate physica ponere hominem volunt quascunque malas voluntarias actiones; inprimis non possunt affirmate tenere, per has peccatum  
lib

liberum (seu demeritum morale), sed solum malum physicum (seu peccatum mere spontaneum) committi. Quodsi ad eas impediendas, vel ad earum, loco consequendas in homine actiones bonas, universe ut absolute necessariam positivam quamcunque determinationem completam, natura priorem, ex parte DEI requirant (seu in illustratione, seu in delectatione superiore, seu in qualitate quacunque istam reponant), in istud absurdum incidunt, vel DEVM non potuisse absolute impedire actiones humanas malas (contra Cor. III. hic), vel ipsummet esse earum liberum auctorem perinde, atque aliorum malorum physicorum. Quodsi quis nihilominus dicat, tales actiones malas humanas, etsi necessarias, esse verum peccatum, legi divinae contrarium, eodem sensu admittet reipsa, DEVM esse auctorem peccati perinde, ut aliorum malorum physicorum, nempe permissione voluntaria; quia cum praevisione legis et contrarietatis earum cum ista, cum posset, non impedivit.

543.

*Evidens est, negata hominibus libertate indifferentiae ad meritum ac demeritum morale, nec beatitudinem alterius vitae instar praemii, nec istius infelicitatem instar poenae proprie talis, 2.) nec praesentis vitae statum, malis physicis undique infestum, instar medii futuro alterius vitae statui, ceu fini, a DEO subordinatum, porro spectari posse: 3.) ac proinde nullo pacto in ista hypothese a defectu et imperfectione DEI infinitam seu potentiam, seu bonitatem defendi posse in permittendis malis universis istius atque futurae vitae. Praemium enim et poena proprie non respondent, nisi merito ac demerito morali: atqui, negata libertate indifferentiae, impossibile est meritum ac demeritum morale: ergo etc.; quod primum. Porro vitae praesentis status non potest habere rationem medii physici sufficientis aut necessarii ad statum beatum vitae futurae*

(155. 156.) ; nec, sublata libertate indifferentiae, potest habere rationem medii moralis, quod inest soli merito morali (161.) : ergo nullo pacto potest a DEO subordinatus esse futuro, ut medium fini; *quod alterum.* Iam vero his positis, quaestio, est pridem ab Epicureis apud Lactantium (libro de ira DEI cap. XIII.) mota: Cur DEVS tot ac tam enormibus malis et miseriis in ista praesente vita exposuit homines? Cur, inquam; si non eo proposito, ut meritis moralibus, ope verae libertatis, futurae beatitudinis sibi met ipsis, aliqua ex parte, eo maiore sua gloria, essent auctores? Potuitne nos ab istis eximere, et non voluit? ergo defectus in ipso est sinceræ in nos benevolentiae: non potuit, etsi voluerit? ergo defectus in ipso potentiae est; *quod tertium.*

\* *Neque dicas* 1.) etiam bruta, licet non libera, praemiis et poenis regi ac gubernari: 2.) DEVM uti iure dominii sui, et summa potestate in homines, permittendo mala istius vitae, ut isti suam ab ipso plenissimam dependentiam hoc pacto discant: 3.) originali peccato meruisse severam id genus iustitiam homines omnes, qui sunt in hoc mundo: 4.) DEVM aliter, nisi per gradus, non posse homines ad summam beatæ vitae felicitatem perducere, ac proinde necessitate teneri ad permittenda mala, ut promoveat bona. *Resp. ad 1.* Bruta non praemiis et poenis, sed stimulis meris voluptatis et taedii impelli, ut serviant bono usui humano: attamen vel in bruta exerere cruciatus inutilis, certo nil profuturos, nec aptos, ut prodesse possint, iam saevities recte censetur. Qualis ergo de DEO notio illi capiti inesse debet, quod iudicat, fieri posse, DEVM poenis aeternis intentatis serio urgere opus bonum, aut vetare malum; cuius vel ponendi, vel omittendi, stante etiam cognitione talis legis divinae, nulla facultas, sed completa ad oppositum natura prior determinatio cuiuscunque demum nominis inest voluntati? *Ad 2.* Crudelis sane et DEO longe indig-

indignissima voluptas! sine ullo malo suo personali demerito morali creaturas per longam annorum seriem acerbè cruciare in hac vita, priusquam easdem aequè nullo suo merito felices reddat in altera. Durior adhuc agendi modus cum aliis! relinquere eas in impotentia physica agendi bene, et omittendi male agere, et postea tamen, quod non bene ac male egerint, aeternum punire. *Ad 3.* Blasphemia est cogitare, alieno actuali et nullo pacto personali peccato a Deo infinite bono ac sapienter iusto mereri potuisse quoscumque reprobos, ut in necessitate physica constituerentur tam male merendi de Deo, ut propterea iuste puniantur aeternum. Evidens est, talem poenam originalis solum peccati maius esse malum ipso peccato, cuius esse dicitur poena et minus puniendos fuisse, si statim ob originale peccatum aeternis poenis fuissent addicti. *Ad 4.* Evidens est, mala physica praevia in isthoc statu vitae non posse esse causas per se summi boni in ratione causae mere physicae: nisi ergo bono circa ea usu verae libertatis possint fieri causa per accidens eiusdem; evidens est, nulla necessitate aut sapienti fine, per gradus malorum vitae praesentis perducere DEVM electos ad beatitudinem vitae alterius. Quid quod illa beatitudo, ceu quoad substantiam supernaturalis, a sola DEI pendeat immediata actione: ad quid ergo mundus iste malis refertus?

\*\* Vt sequelas, hoc loc. et 540. sibi obiectas, effugiat Iansenius, exaggerat necessitatem admittendi genus quoddam *libertatis*, cuius duae sint species proprie tales, nimirum *libertas a coactione*, et *libertas a necessitate*; ex quo infert, sufficere ad meritum praemii et poenae, et ad obligationem legis recipiendam, libertatem a coactione, nec requiri libertatem indifferentiae. *Confirmat ista 1.)* exemplo libertatis divinae; siquidem DEVS liber sit vi dogmatis Christiani, etsi necessitate amet se ipsum, et Pater ac Filius necessitate producant Spiritum Sanctum. *2.)* Exemplo Christi, qui, licet peccare non potuerit, nec esse inobediens patri; tamen nobis salutem promeruerit. *3.)* Exemplo beatorum Angelorum in caelo; qui DEVM necessitate ament, et tamen sine dubio liberi sint; siquidem

beatitudo naturalem perficiat, non interimat, libertatem. 4.) Nos ipsos iam in huius vitae statu libere amare purum bonum et bonum in genere; etsi necessitate id faciamus: ut expressis verbis docet S. Augustinus lib. V. de Civit. Cap. X. et S. Thom. Quaest. XXIV. de Verit. Art. IV. 5.) Libertatem esse proprietatem essentialem rationalium substantiarum, et intellectus attributum. Erit ergo eo perfectior libertas, ubi perfectior intellectio. Atqui perfectior illa est intellectio, quae non variat circa eiusdem boni apparentiam et veritatem, nec pugnam motivorum de terminat, sed consensum ex distincto intuitu puri et veri boni, ac proinde quae necessitatem volendi imponit. Ergo necessitas non potest simpliciter repugnare libertati. *Respondeo*, evidens esse, in ista divisione Iansenium contra Logicae regulas peccasse. Velim enim mihi Iansenius ostendat genus, ad quod, ceu commune, utraque haec species libertatis referatur. Poteritne aliud assignare genus, quam ipsam *voluntatem*, prout natura inest, ceu facultas naturalis? Porro genus neutram adhuc ex duabus speciebus conceptu suo formali continere, sed abstrahi ab utraque debet; nec specierum una debet alteram continere. Potestne vero genus illud *voluntatis*, ceu naturalis spirituum omnium attributi, abstrahi vel mentis conceptu a libertate a coactione; cum voluntas per essentialitatem sit incapax coactionis (298. Psych.)? Nunquid libertas a necessitate, uti genus voluntatis, ita libertatem a coactione iam in se continet? Solum itaque genus voluntatis dividi in liberam a necessitate, et non ita liberam, id est, in species duas contradictorie oppositas (non ambas negativas, vel positivas), recte secundum bonam Logicam dividi potest (Logic. 161. not. 2.). Verum ne litigemus de nomine, an libertas a coactione proprie libertas appellari debeat; quoniam divisio ista libertatis in has species, nullo quidem pacto univocas, sed improprie tales, vulgo in scholis recepta fuerit iis temporibus, quibus Logica et recta cogitandi methodus minus adhuc erat exulta: nihilominus omnia argumenta, 540. 543. allata, evincunt, libertatem a coactione nequaquam sufficere, seu ut lege obligari, seu ut praemii ac poenae capaces esse homines possint; seu ut *Dei* salvati infinita

ta perfectio possit. Porro *respondeo ad 1.* DEVS liber erat libertate indifferentiae in creando, vel non creando mundo isto (quod ostendi in Theol. nat. 235. seqq.): at non est liber in amando se ipsum; nec libere, sed necessitate Pater per Filium producit Spiritum Sanctum. Stat vero in DEO libertas ad bonum sine libertate ad malum; quod fieri posse iam supra 517. 518. ostendi, ubi diversas reipsa species libertatis ex dictis 512. existere demonstravi. *Ad 2.* Nisi Christus liber fuerit libertate indifferentiae saltem ad eligendum inter bonum maius et minus, atque ita libere et sine necessitate elegerit maius bonum; nec meriti veri moralis extitit capax. Vide dicta 521. 519. ubi et *ad 3.* hic propositum argumentum iam praeoccupavi responsionem. *Ad 4.* aio, nos, uti necessitate ferimur in purum bonum, ita nec in isto amando, ut sine, liberos esse; esse proin solum liberos in eligendis mediis, quia in istorum selectu nulla ducimur necessitate physica. Quid circa hoc doceant S. Augustinus et S. Thomas locis citatis, infra singillatim disquiremus. *Ad 5.* Voluntatem solum, non libertatem proprie dictam, esse attributum essentiae intellectualis, ex dictis paulo ante de genuina *voluntatis* (non libertatis) divisione constat.

544.

*I. Qui libertatem indifferentiae proprie talem negant, praecipua morum bonorum fundamenta subvertunt.* Nemini enim porro existentiam legum divinarum, aut praemiorum poenarumque alterius vitae existentiam verisimiliter comprobare possunt (540. 543.).

*II. In hoc extreme absurdum aequae Ianseniani, ac Wolfiani, incidunt, qui per motiva fortiora, seu id, quod magis placet, a priori naturae et determinatione completa omnes actus voluntatis determinari propugnant: imo Wolfianismus circa naturam libertatis humanae ipsissimus Iansenianismus est, eo discrimine, quod ex Wolfii doctrina, cum pari modo DEI creantis libertatem per optimi omnium possibilium*

evidentem et necessariam cognitionem determinari asserat, *fatum universale et absolutum rerum omnium consequatur*; quod in Theol. Nat. (74. not. 253. et seqq. demonstravi.

III. *Quam certum itaque sive ex ratione naturali, sive ex revelatione divina est, vulgo nos obligari legibus divinis, aeterna praemia et poenas aeternas bonis vel malis actionibus nostris esse pro motivis a DEO proposita etc.; tam quoque ex utroque capite certum est, atque evidens, experientiam, quam habemus intimam de nostra libertate (539.), non decipere, nec DEUM quacunque sua actione et concursu etiam supernaturali laedere eandem nostram libertatem.*

\* *Lutherus ad salutem sufficere docuit, si firma fide Christi merita quis apprehendat, tumque illa ipsa Christi merita nobis imputari: interim nusquam, quod scio, explicavit, an saltem in apprehensionis illius meritorum Christi actu vera libertas suppetat; sed libertatem universe ac simpliciter hominibus in praesente statu abiudicavit. Si non exceptum illum apprehensionis actum voluit Lutherus, patet, eisdem illum absurdum cum ceteris ex aequo involvi: si voluit exceptum; primo leges divinas omnes ad unam legem fidei revera restrinxit; ac proinde bonis moribus, a quibus etiam praesentis vitae felicitas pendet unice, non minus, atque ceteri, labem intulit: deinde Christum nos ita redemisse fingit, ut omnia bene agendi motiva, quin ipsam bonae actionis propriae necessitatem, una cum divinis legibus absolute ad eam obligantibus, sustulerit. Quis sanae rationis talibus insaniis serio adstipuletur?*

\*\* *Lege insuper, quae de composito legis moralis cum libertate contra Kantium a me ostensa sunt in der allgemeinen Sittenlehre für die obersten Schulen, in des ersten Theiles siebentem Unterrichte.*

§. IV. DOGMATIS CATHOLICI DE LIBERTATE INDIFFERENTIAE CERTITUDO OSTENDITUR.

545.

**D**ogma divinitus revelatum in SS. Scripturis, a SS. Patribus communiter agnitum, et ab Ecclesiae Conciliis solenniter declaratum est, homines univ[er]se in praesentis vitae statu ad DEI leges actu obligantes observandas, vel non observandas, ac proinde ad bonum et malum, esse liberos libertate indifferentiae.

1.) Scriptura illud docet. a) Genes. IV. 6. Caino, invidia exardenti contra fratrem, dicit DEUS: *Quare iratus es, et concidit facies tua? Nonne si bene egeris; recipies? sin autem male; statim in foribus peccatum ad erit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.* Ex quo patet primo, potuisse Cainum non irasci, et suggeri eidem motiva, id non faciendi, sed imitandi exemplum fratris spe mercedis, et metu poenae mox infecuturae abstinendi a malo. Deinde dum quaeritur ex ipso, cur tamen irascatur; supponitur, ipsum sine necessitate antecedente suoapte arbitrio moveri ad iram contra fratrem: ac proinde declaratur Caino, adesse omnia essentialia libertatis indifferentiae ad bonum et ad malum, arguiturque ipse esse ratio ultima suae tristitiae malignae (513. l.). Denique declaratur, etiam in homine existente in statu praesente, ineffe dominium voluntatis, quo coercere possit motus concupiscentiae.

\* Reponit Calvinus, verbis ultimis hunc esse sensum, quem S. Chrysostomus, in hunc locum commentans, adstruit: *Sed nihilominus post peccatum hoc permitto, ut primogeniturae privilegiis gaudeas, fratremque tuum sub tua potestate et dominio esse iubeo; quem sensum imprimis versio LXX. indicet: μερὸς δὲ ἡ ἀπογεροφῆ αὐτοῦ,*

M m 5



ἀπρὸν, καὶ ἐν ἀρχῇ ἀπρὸν; *ad te conversio eius, et tu principatum habebis ipsius: deinde eundem colligi ex textu originali hebraico, in quo tam vox הַטָּאָר peccatum, quam תְּשׁוּקָה appetitus, femininae sunt; et tamen affixum pronomen eius, illius, utrobique ponitur masculinum י. Respondeo: si totum transmittatur; argumenti vis omnis iam prioribus verbis absolvitur. Ceterum in hebraico habetur: Statim in foribus peccatum cubans, הַטָּאָר רַכֵּץ, ubi participium non femininum, רַכֵּץ, sed masculinum coniungitur: ex quo S. Hieronymus in Quaest. Hebraic. in Gen. collegit, vocem הַטָּאָר aequae esse masculini generis, atque vocem הַטָּאָר, quae itidem peccatum significat, et iuxta omnes masculina est: interim Septuaginta Interpretes hac ipsa suppositione contraria inductos in errorem. Confirmatur sententia ista S. Hieronymi ex communi Rabinorum et Targum Ierosolymitani consentiente cum Vulgata Latina interpretatione. Verum, ut dixi, etiam omiſſis istis procedit totum argumentum.*

b) Iosue Cap. ult. v. 15. propositis populo Israel, quae DEUS nuper in Iordanis transitu et expugnatione urbis Iericho fecisset, ut abiectis idolis se libere supremi ipsius Numinis obsequio devoverent, ita concludit: *Si malum vobis videtur, ut Domino serviatis, optio vobis datur; eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum Diis, an Domino. Ecce! item propositis motivis dicitur optio esse penes nos.*

c.) Eccli. XV. 14.—18. dicitur: *DEUS ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata et praecepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem*

*minem vita et mors, bonum et malum: - quod placuerit ei, dabitur illi.* Locus iste clarissimus est, in quo, consentiente Hugone Grotio, Brentio in Cap. XI. I. Esaiæ, et ipso Luthero apud Glassium Lib. V. Philolog. Sacrae Tract. I. Cap. X., per ignem et aquam significantur carnis cupiditates et gratiae operationes, ceu per maxime contraria: atqui is ipse homo, qui hinc operatione gratiae impellitur ad bonum, illinc a concupiscentia ad malum trahitur, arbitrio indifferente ad bonum et malum, ad eligendum ignem et aquam, pollere pronuntiat.

\* Non habebant Sectarii, quod opponerent huic loco tam manifesto; hinc Calvino duce (Instit. Cap. V. §. 18.) finxere, de primo tantum homine isthaec dicta esse. At totus contextus apertissime ostendit, Ecclesiasticum praesentis status hominibus salutaria monita suggerere, et refutare hic eos, qui sua peccata in DEUM auctorem referre volebant; v. 12. enim ait: *Non dicas: Ille me implanavit.* Quid quod eadem phrasis: *Si volueris mandata servare; occurrat Deut. XXX. 10. et Iosue XXIV. 15.* Denique idem Ecclesiasticus XXXI. 10. dicens: *Beatus vir, qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino;* sine dubio de praesentis status hominibus est locutus: ergo etiam Cap. XV. cit. Certe ex isto textu, post peccatum originale manere liberum arbitrium, probant *S. Irenaeus* L. IV. contra haeres. cap. 71. *Tertullianus* L. II. contra Marc. cap. 5. *S. Basiliius* in Psal. LX. 10. *S. Chrysostomus* Serm. II. de fato. *S. Augustinus* Lib. de Grat. et lib. arbit. Cap. II.

\*\* Praetereo alia loca Scripturae, uti I. Cor. VII. 37. et II. Cor. IX. 7.; ac praecipue ad Philem, v. 14.: in quorum postremis duobus apertissime asseritur, non necessitate, sed voluntate libera a necessitate, hominem posse et debere obsequi DEO.

\*\*\* Sed opponunt nobis vicissim Sectarum duces varia ex Scripturis Sacris: I.) In Scripturis vulgo  
DEUS

DEUS dicitur operari conversionem cordis et omne bonum, quod facit homo; et si quando nos homines iubemur, aut etiam dicimur aliquod bonum efficere, id genus phrasas non id volunt, quasi viribus aliquid humani arbitrii efficeretur, sed ut doceatur, quid DEUS in nostra etiam voluntate, ceu in organo et instrumento, ut causa movens efficere possit. Sic a) Esai. XXVI. 12. dicitur: *Domine! omnia opera nostra operatus es in nobis.* b) Ad Rom. IX. 16.: *Non est volentis, neque currentis; sed misereantis DEI.* c) Prov. XXI. 1.: *Cor regis in manu Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud.* d) Ierem. X. 23.: *Non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet, et dirigat gressus suos.* e) Porro Ezech. XVIII. 31. quidem legitur: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum;* at hoc non hominis esse opus, sed DEI, intelliges ex eodem Propheta; dum c. XXXVI. 26. dicitur: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum.* Rursus ad Philipp. II. 12. ait Apostolus: *Cum metu et tremore salutem vestram operamini;* at ne putes vires commendari humani arbitrii, continue subiungitur: *DEUS operatur velle, et perficere.* f) Cum DEUS Exod. XIV. 16. ait ad Moysen: *Eleva virgam tuam et extende manum tuam super mare, et divide illud;* in executione praecepti huius: *Divide mare;* nihil Moyses praeter organum administrat, et effectus divisi maris solius DEI est. Atqui similiter hominibus praecipitur: *Convertimini ad me, vivite, mundi estote etc. Respondeo.* Si adversarii vel solum sapientis rationis consilium exaudire velint, dabunt nobis hoc saltem, ut fateantur, spectatis absurdissimis sequelis, in quas negando liberum arbitrium ex dictis loc. praec. praecipitatur, neutiquam subiiciendum esse illis allegatis Scripturae locis tam absurdum significatum; nisi certa necessitas nos cogat. Atqui omni evidētia evidens esse aio, nulla necessitate nos adigi ad hoc. In his universis enim textibus quid denique aliud asseritur, quam primo, DEUM concurrere ad omnes actiones nostras etiam liberas, easque pariter in specie ac individuo, ceu ens primum liberum, disponere (a et d): secundo sine DEI concursu naturali nihil omnino, sine supernaturali gratiae concursu nihil ad aeternam salutem immediate meritorium, operari nos posse (b): tertio concursum supernaturalem esse gratiam, voluntatis nostrae

strae naturalibus meritis non promerendam (b): *quarto*, DEUM esse principalem causam omnis boni meriti moralis, seu naturalis, seu supernaturalis, et humanam liberam voluntatem se habere solum per modum causae instrumentalis, sed liberae tamen e): *quinto*, voluntates hominum ita in manu DEI esse, ut etiam, si aliquando certo DEI proposito cuidam libere obsecundare nolint, Deus communis salutis ac necessitatis causa eas necessitate interna inclinare possit, quo velit (c), sublata videlicet omni libertate, et loco pugnae consensum appetitus determinando (510.). Atqui isthaec omnia verissima esse possunt, et actu vel ex confessione adversariorum verissima extitissent in statu originalis iustitiae, ab Adamo ad nos transmissae, salva penitus et integra libertate; prout iam etiam de praesente statu *primum*, et *quartum* caput, et *secundum* quoad priorem partem, valere ostendi in Theologia naturali Cap. IX. Artic. III.; in quo diversitatem illius actionis divinae generalis demonstravi, qua Deus actus creaturarum rationalium liberos in specie et individuo disponit, ut causa principalis et prima libera (relicta illis qualitate causae liberae, seu instrumenti liberi 764. Theol. Nat.), ab ea actione, qua disponit eventus mere naturales, seu necessitate physica per leges naturae determinatos; quam posteriorem exposui in eadem Theol. Nat. Cap. IX. Artic. II. a 752. seqq. *Tertium* caput occupavi hic 527. II.; uti et partem alteram *secundi* 529. *Quintum* caput patet ex iis, quae in Psychol. 318. seqq. Do. Hume respondi, ex certis actionibus hominum voluntariis, quae sine ulla pugna appetitus, cum mera lubentia, et tamen certissima necessitate eveniunt, arguenti generalem humanarum actionum necessitatem. Porro contextus Prov. XXI. 1. sic habet: *Sicut divisiones aquarum; ita cor regis in manu Domini*; qua comparatione id, quod dixi, optime exprimitur: siquidem uti a divisione aquarum in mundo, ita a regum consiliis, salus publica maxime dependet. Quod *ultimo* loco (f) obiectum est, ruit hoc ipso ex dictis: quia alioquin constat, vires naturales nihil valere ad illos supernaturales effectus, qui omnem illarum vim activam transcendunt, qualis est maris divisio; cuius respectu actio Moysis ne quidem in-

stru-

strumentalis causae efficientis rationem habebat, sed merae conditionis, qua posita, Deus sua unitus actione divideret mare. At eo usque insaniam ne quidem Lutherus pervenit, ut etiam in actionibus naturalibus nihil omnino agere voluntatem diceret humanam.

\*\*\*\* *Opponunt 2.)*; pariter in Scripturis saepe dici peccatores servos esse peccati, atque agi a daemone, eos tenente captivos, ita, ut istius voluntati nequeant reluctari, sed necessitate ferantur in malum. Sic a) ad Roman. VII. 15. : *Non, quod volo bonum, hoc ago; sed, quod odi malum, illud facio*; et v. 23. : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* b) Matth. VII. 18. : *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque potest arbor mala bonos fructus facere.* Ioan. VIII. 34. : *Omnis, qui facit peccatum, est servus peccati.* d) II. Timoth. II. 26. : *Ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Respondeo idem inprimis, quod prius : Quae insaniam, ruere sine necessitate in extrema absurda? *Ad a)* ita est : *necessitas peccandi etiam naturalis* aliquando in Scriptura de homine asseritur, sed peccato inprimis omnino involuntario; quia ne quidem praevisto, sed praeveniente omnem rationis praevisionem et voluntatem pravo concupiscentiae affectu et motu. Cur tam stolidus est Lutherus, ut doceat, istum motum a DEO imputari in grave peccatum; cum tamen ne notio quidem *imputationis* id ullo pacto admittat (284. 426.)? Item ex hac necessitate alia *necessitas moralis peccandi peccato etiam libero* et theologico consequitur; quae cogit nos clamare cum Apostolo : *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et respondet nobis idem Apostolus : *Gratia DEI per IESUM Christum*; hacque obtenta possumus idem nullam necessitate constricti, quod fecit Apostolus dicens : *Igitur ego ipse mente servio legi DEI; carne autem legi peccati*; sufficiente nobis gratia ad prius, et posteriore tunc non obstante nostrae salutis. Vide dicta 524. 525. l. 530. *Ad b)* Ibi Christus ait, falsos Prophetas a veris discernendos esse ex fructibus seu operibus eorum; istudque signum tam esse certum, quam certum signum arboris bonae sunt fructus boni, et arboris malae fructus mali.

A po-

A posteriori ergo Christus iudicare iubet sic: Si fructus boni; iudica arborem esse bonam; quia arbor mala esse tunc non potest, cum actu bonos fructus producit: si malos fructus actu produxit, a posteriori constat, bonam eo tempore non fuisse. Haec argumentatio rationi conveniens est: at insipientissimus fit, qui inde rationi convenienter posse inferri existimet, arborem, quae semel bonos fructus protulit, degenerare deinceps non posse. Tum vero non comparat isthic Christus peccatorem arbori malae, argumentando a priori naturae ad peccatum sic: Quam parum arbor, quae mala est, bonum fructum afferre potest; tam parum a priori naturae ad peccatum, qui peccat, bene agere potuit: non enim homo malus est iam a priori naturae ad peccatum. *Ad c)* Est servitus libera; et est servitus mancipii. Libere servit peccato, quisquis vel semel legi peccati, id est, concupiscentiae motibus consentiendo, veluti carnis imperio libere se subiicit (de qua *lege* paullo ante ex Apostolo dictum); cum per DEI gratiam eis imperare posset. Sed qui iam semel se subiicit peccato; deinceps duplici servit necessitate: primum, quia sine DEI gratia a poenis peccati se redimere non potest; deinde quia contracto pravo habitu fortius etiam deinceps impellitur ad nova peccata, aucto in se imperio concupiscentiae. *Ad d)* Eadem est ratio captivitatis diaboli, quae servitutis peccati; quia sicut concupiscentia propria, ita et diabolus, nos tentat, et impellit ad peccatum. Ceterum in textu Graeco illius Epistolae sensus hic esse videtur: *Ut respiscant a diaboli laqueis, a quo tenentur captivi, ad ipsius (id est, DEI) voluntatem.*

546.

2.) *SS. Patres, Graeci et Latini*, idem dogma summo consensu asserunt. Fatentur hoc Centuriatores de utrisque (excepto Augustino) *Centur. XX. cap. IV. Col. 59.* et cum eisdem fatetur *Calvinus Lib. II. Instit. Cap. II. §. 4.* carpens *Latinos*, quod ubique apud ipsos nomen liberi arbitrii occurrat, et *Graecos*, quod illud ἀντὶθέσιον dixerint;

xerint; ac si potestas sui penes hominem fuisset: familia habet Cap. III. §. 10. Sed ut, quam aperte hoc in argumento antiquissimi Patres, Graeci et Latini, et quidem omnes, S. Augustino antiquiores, locuti fuerint, constet; aliqua ipsorum testimonia proferre iuvat. a) *S. Iustinus Martyr.* in Apol. ad Imperat. Anton.: *Nisi libero arbitrio genus humanum et res turpes fugere potest, et pulcras ac bonas sequi, extra causam culpamque est eorum, quae quoquomodo aguntur. Sed ipsum libero arbitrio liberaque voluntate et recte facere et peccare docemus.* Et in Apol. ad Senatum: *Nihil esset, inquit, in illis laude dignum, nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent.* Eadem leges in Apologia Athenagorae. b) *S. Irenaeus Lib. IV. Cap. LXXI.* cuius titulus: *Ostensio, quod homo sit liber, et suae potestatis ad hoc, ut possit eligere bona, vel contraria;* in huius Capituli fine sic habet: *Qui operantur bonum, gloriam et honorem percipient: quoniam operati sunt bonum; cum possent non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, iudicium iustum recipient DEI: quoniam non sunt operati bonum; cum possent operari illud.* De *Clemente Alexandrino, Tertulliano, et Origene,* fatetur Calvinus, apertissime eos pro libero arbitrio pugnare, in libris contra Albertum Pighium. c) *S. Athanasius* in orat. adversus idola non procul ab initio sic ait: *Anima libera est, et sui arbitrii. Potest enim ut ad bona se inclinare; ita bona quoque averfari.* d) *S. Gregorius Nyssenus* in L. II. de Philof. c. II.: *Concupiscere, et non concupiscere, mentiri, et non mentiri, et quaecunque talia, in quibus consistunt virtutis et vitii opera, haec sunt in nostro libero arbitrio.* Idem in Orat. 5. ait: *Moderator omnium dominum sui, liberumque arbitrium ab omni necessitate liberum fecit, ut electione quadam, quae sui iuris sit, regetur, quidquid*

quid ratione pariter ac mente praestat. e) S. Basilius Homil. Quod DEUS non sit causa mali.: Anima soluta est, ait, omni necessitate, et a Creatore accepit potestatem vitae ex propria electione ducendae. Sic DEO acceptum puta, non, quod necessitate adigitur; sed quod ex virtute recte fit. Virtus autem ex electione est, non ex necessitate efficitur. Electio autem eorum est, quae in nostra sunt potestate. f) S. Chrysostomus in Psal. IX.: Non potest quis fieri bonus necessitate. Idem Homil. XXVII. in Genes. negat, posse homini constitui praemia et poenas, nisi post DEI gratiam nostra voluntate virtutem aut vitium eligere possimus. g) Ex Latinis Patribus Tertullianum L. II. contra Marc. et Lib. de Exhort. Castit., S. Hilarium in Comment. Psal. II., S. Hieronymus in Ep. ad Damas. de filio prodigo, item Lib. II. contra Iovin., exclusa aperte necessitate omni, asserere nobiscum hominis libertatem indifferentiae, rursus fatetur Calvinus in libris contra Pighium. Bellarminus vero uti 25. Graecos, ita totidem Latinos Patres, aut scriptores, apertissimis similibus testimoniis allegat Tom. IV. de Grat. et Lib. Arbitr. Lib. V. C. 25. et 26.

\* His nihil admodum, quod opponant, habent adversarii, sed una exultant S. Augustini falso ostentata auctoritate, et quorundam, qui post istum variis locis liberum cum voluntario, et necessarium cum coacto, confudere, ut iam 516. not. monui. Sed mirum sane, si aut S. Augustinus contra communem se antiquiorum Patrum omnium Doctrinam tam apertam senserit, aut solus omnibus, quin ipsis Ecclesiae Oecumenicis Conciliis, auctoritate praestare possit; de quibus mox dicemus, disputationem de mente S. Augustini peculiari loco reservantes.



547.

3.) *Concilium Tridentinum* damnat errorem contrarium Lutheri et Calvini Sess. VI. Can. 5.: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re; anathema sit.* Nota, verba hic referri ipsius Lutheri in Assert. Artic. Idem Concilium Sess. cit. Can. 4. damnat asserentes, *liberum arbitrium, a DEO motum et excitatum, non posse DEO excitanti dissentire, si velit.*

4.) *Pontifices Romani*, Pius V., Gregorius XIII. et Urbanus VIII. damnarunt sequentes Michaelis Baii propositiones: n. 3. *Quod voluntarie fit, est necessario fiat, libere tamen fit.* n. 6. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* n. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Innocentius X. damnavit inter Iansenii propositiones hanc n. 3.: *Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit libertas a coactione.* Item hanc n. 1.: *Aliqua praecepta DEI hominibus iustis volentibus et conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

\* *Opponunt Concilii Arausiaci, a. 441. celebrati, Canonem XIII. qui sic habet: Arbitrium humanae voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi, non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi.* Unde Coelestinus I. Ep. r. ad Episc. Gall. n. 4. ait: *In praevaricatione Adae omnes homines naturalem possibilitatem amisisse.* Resp. Arausiacum contra Pelagianos ista docere, ac proinde id velle solummodo; liberum arbitrium, ob amissam Adae peccato gratiam naturali imbecillitati circa actus bonos mere naturales relictum (525. l.); et eius facultatem ad actus salutare omnino amissam esse; quod nemo Catholi-

tholicorum negat. De eadem facultate ad actus salu-  
tares Coelestinus I. verissime loquitur, sed sine ullo  
praeiudicio libertatis (530.).

§. V. AVGVSTINVS CATHOLICI DOGMATIS DE LIBER-  
TATE CONTRA HOSTES ILLIVS VNIVERSOS  
GENERALIS VINDEIX FVISSE  
OSTENDITVR.

548.

*Manichaei, Lutherus, Calvinus, et Iansenius, convenere in eo, hominem necessitate hypothetica antecedente (514.) facere et bonum et malum theologice tale, quodcumque facit in hac vita: 2.) et si Manichaei discreparint a ceteris in principio asserendo, a quo necessitas illa oriretur, 3.) et non nihil etiam, quamquam in nulla re momenti alicuius, Calvinus discreparit a Iansenio. Primum constat confessione omnium. Circa alterum constat, Manichaeos necessitatem illam a natura seu essentia duplicis animae, bonae, et malae, ceu a proxima, et a DEO bono, et malo, gemino illius diversae animae seorsim auctore, ceu a ratione ultima repetiisse: ex adverso Lutherus, Calvinus, et Iansenius, eandem necessitatem a principio proximo mere accidentali respectu naturae animae, videlicet necessitatem ad bonum a gratia DEI efficaci, necessitatem ad malum a concupiscentia, gratiae efficaci experte, repetebant: pro remoto vero et ultimo principio necessitatis ad bonum constituebant DEVM auctorem gratiae per Christum, necessitatis vero ad malum peccatum Adami. Tertium quod attinet; constat, Calvinum necessitatem ad bonum immediate repetiisse a gratia intrinsece et absolute efficaci respectu omnis voluntatis, quantacunque concupiscentia il-*  
N n 2 *lectae*

lectae ad oppositum; Iansenium vero a gratia non absolute et intrinsece, sed respective efficaci, relate nimirum ad praesentem vim debiliorem concupiscentiae: necessitatem vero ad malum uterque repetebat a defectu gratiae, absolute vel respective efficaci, vincentis concupiscentiam; item Calvinus frequentius gratiae efficaci naturam in illustratione, Iansenius in delectatione victrice constituit.

\* Dixi de *necessitate ad bonum et ad malum theologicum*; quatenus id nempe refertur ad DEVM et legem DEI ceu normam: admisere enim Lutherus et Calvinus veram libertatem circa actiones mere civiles et politicas.

549.

*Neque Manichaei, nec Lutherus, aut Calvinus, necessitatem boni et mali in homine repetebant a coactione, tam parum, quam Iansenius.* Iuxta Manichaeos enim bonum et malum cuique animae naturale erat: atqui quod naturale est, violentum seu coactum esse non potest (88. 283.). Lutherus vero et Calvinus aequae a principio proximo accidentali intrinseco et a remoto extrinseco, uti Iansenius, utramque necessitatem repetebant (praec.).

550.

*Discrepat Iansenius a Manichaeis, Luthero, et Calvino, in hoc, quod isti ob necessitatem, qua homo bonum et malum agit, dixerint, nec hominem liberum esse, nec mereri bene aut male; Iansenius autem tenuerit, eam necessitatem simpliciter libertati in genere non repugnare, et cum aliqua ratione meriti ac demeriti adhuc stare posse; etsi non sufficiat ad meritum ac demeritum tale, quale in Adamum, libertate indifferen-*

*ferentiae liberum cadebat: tametsi omnes reprobationem eorum, qui gratia efficaci destituerentur, a peccato Adami, electionem vero salvandorum non ex meritis eorum, sed a libero DEI benevolenti affectu speciali antecedente repetebant. Haec omnia sunt notoria, quam ut probatione indigeant.*

551.

*Quod si ergo S. Augustinus ostendatur docuisse, nulla antecedente naturali seu physica necessitate hominem in praesentis vitae statu facere bonum et malum theologicum; per illud bene et per hoc male mereri apud DEVM; nec tamen futurum, ut hoc posset, si necessitate utrumque ageret: evidens est, hoc ipso ostensum iri, S. Augustinum fuisse vindicem generalem dogmatis Catholici de libertate contra Manichaeos, Lutherum, Calvinum, et Iansenium.*

552.

*S. Augustinus contra Manichaeos defendit libertatem indifferentiae ad bonum et malum in statu vitae praesente, liberam ab omni necessitate, non solum a coactione. a) Ex libris, ab Augustino contra Manichaeos scriptis, primi omnium occurrunt Libri tres de libero arbitrio. In III. horum cap. I. n. I. (Edit. Maur.) Evodius, secum colloquentem, adigit, ut primo sibi concedat tanquam indubitatum, culpabilem esse motum, quo ipsa voluntas avertitur ab incommutabili bono ad infima bona. Opponit vero Evodius: Si ita data est libera voluntas, ut naturalem habeat istum motum; iam necessitate ad haec convertitur, neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitasque dominatur. Hanc argumentationem continuo approbat Augustinus, subdens: Vide, quid sit certissima veritas: -- si natura, vel necessitate motus iste existit, culpabilis esse nullo pacto*

*potest.* Post haec vero ibid. n. 2. docet Augustinus, illum motum voluntatis *primo* tam esse ipsius animi motum spontaneum, quam spontaneus est motus lapidis deorsum gravitate labentis; cui mox opponit Evodius: *Si hoc modo (uti lapis) etiam anima habet illum motum; profecto etiam ipse naturalis est, nec ex eo, quod naturaliter movetur, recte vituperari potest; quia naturae suae necessitate compellitur.* His reponit Augustinus: *Hic motus, si culpae deputatur, non est utique naturalis, sed voluntarius, in eoque similis est illi motui, quo deorsum versus lapis fertur, quod, sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi: verumtamen in eo dissimilis est, quod in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius, animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis inferiora diligat; et ideo lapidi naturalis est ille motus, animo vero iste voluntarius.*

\* Vbi simul nota, Augustinum *voluntarium* opponere tum *naturali*, tum omni *neccessario*, ac proin sumere pro eodem, ac pro libero ab omni necessitate.

b) In eodem Lib. III. de Lib. arbitr. cum cap. XVII. n. 47. quaerit Evodius, quae sit causa, cur unus homo nunquam, alii semper peccent, alii aliquando peccent, aliquando recte faciant; protestaturque: *Nolo mihi respondeatur: Voluntas; ego enim causam quaero ipsius voluntatis, quae non sine causa tam varia vult, cum eiusdem generis sit in omnibus;* Augustinus n. 48. respondet, *voluntatem esse causam peccati*, nec porro aliam esse quaerendam; quia *ultra radicem ultra nil quaerere oportet*; tumque n. 49. subdit: *Sed quae tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? Aut enim et ipsa voluntas est; et a radice ista voluntatis non receditur: aut non est voluntas; et peccatum nullum habet.*

bet. Aut igitur ipsa voluntas est prima causa peccandi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Post haec n. seq. 50. (cap. XVIII.) dicta omnia complectitur his verbis: *Reminiscere superiorum, quae a nobis tam multa de peccato et voluntate libera dicta sunt. Sed si laboriosum est, omnia mandare memoriae, hoc brevissimum tene: Quaecunque ista est causa voluntatis; si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, et non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est; nulla peccata sunt: quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest. Nihil apertius dici potuisset. Non solum enim necessitatem a voluntate malum faciente excludi, necessarium asserit Augustinus, sed actum malum voluntatis dicit esse rationem sui ipsius ultimam; quod characterem esse praecipuum actus vere liberi 513. IV. ostendimus.*

c) Cum Felix Manichaeus (Lib. III. de actis cum Felice cap. II.) duas naturas esse probaret ex eo, quod *Christus in Evangelio duas dicat esse arbores (Matth. VII. 17.), et arborem bonam nunquam facere fructum malum, et arborem malam nunquam facere fructum bonum; respondet Augustinus (cap. IV): Audi ergo de libero arbitrio ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, dicentem: Aut facite arborem bonam, et fructum eius bonum; aut facite arborem malam, et fructum eius malum (Matth. XII. 33.). Cum ergo dicit: Aut hoc facite, aut illud facite; potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi DEVS, facere arborem potest: sed habet unusquisque in voluntate aut eligere, quae bona sunt, et esse arbor bona; aut eligere, quae mala sunt, et esse arbor mala. -- Hoc ergo Dominus dicens: Aut hoc facite, aut illud facite; ostendit esse in potestate, quid facerent.*

N n 4

d) Fau-

d.) Fausto Manichaeo quoque Lib. II. cap. V. respondens Augustinus, profitetur, se et omnes catholicos *liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male vivitur, propter iustum iudicium DEI* (praemium videlicet bono, et poenam malo eius usui rependentis) *ab omni necessitatis vinculo vindicare.* Denique

e) In Lib. de duab. Animab. contra Manichaeos cap. XI. S. Pater definit *peccatum, quod sit voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, et unde liberum est abstinere.* Moxque observat, verba ultima: *Et unde liberum est abstinere;* redundare in ista definitione, et in voce, *voluntas,* iam contineri, dicens: *Quamquam si liberum non sit, nec voluntas est; sed malui grossius, quam scrupulosius definire.* Vides hic, quid S. Augustinus per *voluntatem,* ad peccatum proprie tale requisitam, intelligat perpetuo; scilicet animi motum, non naturalem, sed accidentalem, qui abesse posset, et cuius potestas tamen animo insit ita, ut, cum eum motum actu habet ex propria determinatione, simul adsit potestas, eundem in sensu diviso non habendi (513. II.), id est, ut insit nulla necessitate.

## 553.

*S. Augustinus Manichaeos perpetuo urget hoc argumento: voluntate bene et male agendo nos mereri praemium et poenam apud DEVM, iustum remuneratorem boni ac vindicem mali: atqui neutrum merituros, si necessitate ageremus utrumque: ergo non necessitate nos agere bene et male voluntarie: a) Patet primo ex dialogo cum Evodio loc. praec. lit. a citato: item ex Lib. III. de Lib. arbit. Cap. XVIII. citato sub lit. b.; quibus adde, quae ibid. iam Cap. I. Augustinus praemiserat: Motus, quo huc aut*

aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis: neque omnino monendus esset, ut, istis neglectis, aeterna vellet adipisci, atque ut male nollet vivere; vellet autem bene. Hoc autem monendum non esse hominem quisquis existimat, de hominum numero exterminandus est. Post haec resolvit S. Pater quaestionem Evodii scire volentis, quo pacto DEI praescientia non obsit libertati, et qua iustitia DEVS puniat peccata, quae necesse est fieri: aut quomodo non necesse est fieri, quae DEVS praescivit; dicendo: Quia praescientia DEI tam parum cogit peccare, quam memoria hominis cogit facta esse, quae praeterierunt; atque sic concludit: Cur ergo non vindicet iustus, quae fieri non cogit praescius (ibid. Cap. IV. n. 9. et 11.)?

b) Post definitionem peccati (loc. praec. lit. e.), in Lib. de duab. animab. Cap. XI. datam, pergunt S. Pater hoc modo: *Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione suppliciove dignum, qui aut id velit, quod iustitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest? Nonne ista cantant et in montibus pastores, et in theatris poetae, et indocti in circulis, et magistri in scholis, et in orbe terrarum genus humanum? Quodsi nemo vituperatione vel damnatione dignus est, quod non potest, non faciens; omne autem peccatum vel vituperandum est, vel damnandum: quis dubitet tunc esse peccatum, cum et velle iniustum est, et liberum nolle, et ideo definitionem illam et veram, et ad intelligendum facillimam esse.* Audi porro, quo pacto ex his Augustinus convincat Manichaeos, animas hominum etiam male agentium malas non esse. Cap. XII. eiusdem libri n. 17. sic



concludit: *Natura esse malae animae nullo pacto queunt. Vnde hoc docemus? De superioribus definitionibus voluntatis et peccati. Quia dicere, animas et esse malas, et nihil peccare, plenum est dementiae: dicere autem, peccare sine voluntate, magnum deliramentum est; et peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summae iniquitatis et insaniae est. Quam ob rem illae animae, quidquid faciunt, si natura, non voluntatae faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum motu animi carrent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur; peccatum earum tenere non possumus. At omnes fatentur, animas, quae non peccaverunt, iniuste damnari.*

\* Nota vero, S. Patrem hic aperte distinguere haec duo: *Peccare, et peccati reum teneri; primum sine voluntate, tanquam principio efficiente, simpliciter esse non posse pronuntiat; ad alterum praeter voluntatem, simpliciter instar principii se habentem, insuper requirit potestatem faciendi oppositum simul iunctam voluntati actu malum facienti, seu peccanti. Vbi sane Augustinus apertissime distinguit inter materiale et formale peccatum: ad utrumque voluntatem, ut principium efficiens, requirit; sed ad alterum insuper ut principium liberum et sine necessitate, id est, cum facultate ad opposita divisim facienda coniunctum.*

\*\* At enim opponunt Ianseniani cum aliis: 1.) S. Augustinus in eodem Lib. de duab. animabus Cap. X. n. 14. sic definit voluntatem: *Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum.* Porro ibidem ait, *invitum volenti esse contrarium, et omnem invitum facientem aliquid cogi, et omnem, qui cogitur, si faciat (ad quod cogitur) non nisi invitum facere.* Igitur per voluntatem et voluntarium S. Augustinus aliud non intelligit, nisi illum actum, quo cum lubentia aliquid facimus, id est, non inviti; ac proinde vi dictorum illorum, quae antea (552. lit. e.) retulimus, id omne est liberum, quod volen-

volentes, seu non inviti, facimus; nec nisi eam necessitatem S. Pater a libero arbitrio proscipit, qua existente, *inviti* aliquid facimus, aut omittimus. 2.) Inde est (pergunt obiicere), quod S. Pater affirmet in Enchirid. Cap. XV., *Beatos in caelo male velle non posse, nec ideo libero carituros arbitrio: multo quippe liberius fore arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato. Neque enim, inquit, voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, ut esse miseri non solum volumus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Vbi aperte plenam lubentiam boni, etsi necessitate non carentem, *liberi arbitrii*, seu quod idem Augustino esse videtur, *voluntatis*, actum esse pronuntiat. 3.) Pariter Lib. V. de Civit. Cap. X. Stoicis S. Augustinus tantum consentit in ea a voluntatibus nostris liberis removenda necessitate, *quae non est in nostra potestate*, et qua etiam nobis *invitis* seu nolentibus aliquid fit, uti est necessitas mortis; non item eam, quae illi necessitati similis sit, qua *necesse est, DEVM semper vivere et cuncta praescire; neque ideo se DEI vitam et praescientiam sub necessitate ponere.* Demum ibidem universe affirmat: *Necesse est, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio; quod profecto idem est dicere, ac: Quod volentes (id est, non inviti, sed cum lubentia) facimus, id omne libere facimus.* 4.) In Lib. de Nat. et Grat. Cap. XLVI. n. 54. cum Pelagius universe affirmasset: *Voluntatis arbitrio ac deliberatione privatur, quidquid naturali necessitate constringitur;* subdit continue Augustinus: *Et hic nonnulla quaestio est. Perquam enim absurdum est, ut ideo dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod beati esse volumus; quia id omnino nolle non possumus, nescio qua et bona constringitione naturae: nec dicere audent, ideo DEVM non voluntatem, sed necessitatem habere iustitiae, quia non potest velle peccare.* 5.) Ex his itaque recte concluditur, ex mente Augustini id omne et solum liberum esse, quod sponte, ex lubentia, seu volentes, facimus, atque hoc sensu non coacti potestate alterius, sed veluti pro nostrae voluntatis potestate: neque alio sensu S. Pater indentedem iuculcat tum Lib. de Spirit. et Lit. Cap. XXXI.: *Hoc quisque habere in potestate dicitur, quod, si vult, facit, si non vult, non facit, id est, quod volens facit,*

et

et quod volens ac lubens omittit; et rursus Lib. III. de Lib. arbit. Cap. III. id omne ac solum *esse in nostra potestate, quod volumus; hoc voluntatem nostram fore voluntatem, nisi in nostra esset potestate: porro quia est in nostra potestate, liberam esse nobis.* Ibidem resolvens obiectionem Evodii, cur praescientia libertatem non tollat, etsi necesse sit hominem velle, quae DEVS praescivit fore, ut ipse velit; respondet: DEVM etiam praevidisse, nos fore beatos; beatos autem non utique invitos sed volentes fore: ergo praevidisse nos libere fore beatos, ac proinde praescientiam DEI non tollere libertatem; quia secus liberam voluntatem praescire DEVS non posset.

\*\*\* *Respondeo*, non subesse, nisi speciem quamdam momenti id genus obiectioni; etsi, ut sincerissime agerem cum adversariis, toto cum suo pondere studiose eam proposuerim. Nam rogo *inprimis* adversarios, ut pari sinceritate mihi significant, quo demum pacto loca ista Augustini, sic, ut ipsi volunt, intellecta, cum eiusdem locis praesertim 552. et hoc loc. lit. b. a me citatis componi possint. Quodsi autem necesse sit, exponere mitius, quam verba praecise sonent, quosdam S. Augustini textus, ut a contradictione aperta diversa eius effata defendamus; videamus, utrum non commoda nobis locorum obiectorum interpretatio suppetat. *Concedo itaque*, quod supra 516. not. iam feci, concedo inquam, S. Doctorem non ea accuratatione, qua hodie in scholis solent, definiisse tum *voluntatem* (54. 50.), tum *libertatem*; nec a se ubique discreviffe *liberum et voluntarium mere spontaneum: nego autem*, unquam vel negasse illum, suppetere nobis in praesente statu libertatem a necessitate ad bonum et malum, vel asseruisse, nos mereri praemium beatæ vitæ, aut poenam alterius vitæ, sine libertate praedicta: de his enim solum disputatio nobis est circa mentem Augustini, ceu de dogmatis, ad religionem, ad fidem orthodoxam, et regulas morum pertinentibus, non de philosophicis definitionibus. Atqui de dogmatis istis in locis quidem obiectis nulla est mentio, nec quaestio. Ex adverso alibi Augustinus dogma de libertate immuni a necessitate quacunque, huiusque libertatis ad omne meri-

meritum et demeritum absoluta necessitate, clarissime et graviter asserit. Qua ergo prudentia Iansenius ex obscuris illis Augustini dictis maluit errorem tam absurdum, quam verum dogma ex his, colligere? Iam vero respondeo ad 1. S. Augustinum per verbum, *cogente nullo*, idem intelligere, ac *nulla urgente necessitate*; per *voluntatem* vero communiter intelligere liberum et ad faciendum, et ad non faciendum animi motum; sic enim ipse in eodem libro de duab. animab. mox subsequente Cap. XII. eandem quoque definit, dicens: *Quamobrem illae animae, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero et ad faciendum et ad non faciendum animi motu carent etc.* (vide hoc loc. lit. b. sub finem). Vbi vides, aperte *voluntatem naturae* opponi: atqui velle, cuius non volendi nulla est facultas ex defectu motivi, naturae est, non liber ad utrumque animi motus (516. I.). Adde, ne Manichaeos quidem fuisse tam stupidos, ut violentia quadam coactas duas animas, quas assererant, bonum et malum facere dicerent. Quo ergo fructu, aut qua emphasi eos refutasset Augustinus, si aliud non probasset, quam hominem non violentia coactum bene et male operari? Ad 2. et ad 4. vulgo respondent Theologi Catholici, S. Augustinum solum de libertate quoad *exercitium*, non quoad *speciem* loqui; cum beatis in volendo bono, et Deo in iustitia facienda, tribuit libertatem: et dum ipsam voluntatem, qua omnes naturali elicitu appetitu beati esse appetimus, liberam dicit, non illum actum voluntatis intelligere S. Doctorem, qua beatitudinem, ut *finem*, appetimus; sed illum, quo circa *media* ad illam consequendam deligenda versamur. Vide dicta a 517. usque ad 522. Quodsi ista ceu mera interpretatio non placet adversariis; eo quod Augustinus de actu specifico beatorum volentium bonum, et de nostra voluntate, qua beatitudinem ipsam, ut finem, appetimus, loqui in allegatis locis videatur: etsi concedamus ipsis, Augustinum his locis vocem *liberii arbitrii* latius summisse, non tamen inde quidquam contrarium geminis propositionibus nostris, hoc et praec. loc. positum, sequetur. Neque enim in illis locis seu beatis in caelo, seu actui nostro, quo iam nunc beatitudinem, ut finem, naturali appetitu appetimus, rationem meriti, seu talis boni, tribuere

Augu-

Augustino in mentem venit, cui praemium aliquod vel laus proprie dicta respondeat: neque mirum est, quod Augustinus, nemine adhuc de Iansenianis erroribus vel fominante, liberalius vocem *libertatis* alicubi forte extenderit. Audiant tamen S. Patrem in Lib. VI. Op. imperf. Cap. XII. dicentem: *Immutabilis illa, cum qua homo creatus est, et creatur, libertas est voluntatis, qua beati esse omnes volumus, et nolle non possumus; sed haec, ut beatus sit quisque, non sufficit, nec ut vivat recte, per quod beatus fit.* Ad 3. aio, ibi S. Doctorem revera loqui de necessitate consequente, qua necesse sit, ut, quoties voluntate agimus (id est, libero ad faciendum et non faciendum animi motu), libero arbitrio id agamus: ipsamque praescientiam DEI de actibus nostris liberis in DEO non esse necessariam, nisi necessitate consequente, id est, supposito, quod libere acturi simus. Vnde addit ibidem S. Doctor: *Neque enim ideo peccat homo, quia DEVS illum peccaturum praescivit; imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia (DEVS) non fatum, non fortunam, neque aliud, sed ipsum peccaturum esse (id est, libere, non necessitate antecedente) praescivit.* Ceterum rursus obscure locutus est S. Doctor, cum vitam quoque DEI non sub necessitate poni asseruit; cumque eam rationem addidit, ideo praescientiam et vitam DEI non poni sub necessitate; quia in potestate DEI est: cum tamen haec potestas in Deo non fit ad utrumque, id est, ad praescire et ad non praescire. Ad 5. respondeo, S. Doctorem, voluntatem semper naturali appetitui opponere, quem manichaei in una anima ad bonum, in altera ad malum asseriebant; cumque dicit, *in nostra potestate esse, quod volumus*, per *potestatem* intelligit libertatem ad faciendum et non faciendum, et per *voluntatem* liberum ad utrumque animi motum. Ad cetera responsio patet ex dictis ad 2. et 4.

\*\*\*\* *Opponunt* porro, S. Augustinum etiam rationem laudis et meriti tribuere actionibus necessariis, modo cum lubentia factae sint. Nam Lib. XII. de Civit. Cap. I. ita loquitur: *Quam magna laus sit (naturae Angelicae), adhaerere DEO, ut ei vivat, inde sapiat, illo gaudeat, sine errore, sine molestia perfruat; quis*  
cogi-

*cogitare digne possit, aut eloqui?* Rursus in Tract. LIII. in Ioan. explicans illa verba S. Pauli dicentis de DEO: *Si non credimus, ille fidelis permanet; negare se ipsum non potest;* subdit S. Doctor: *Quod Dominus negare se ipsum non potest; laus est voluntatis divinae.* Respondeo cum S. Thoma (2. 2. q. 91. a. 1. ad 1.), *laudem proprie dictam non cadere, nisi in actum liberum a necessitate; quia est contestatio de bonitate illius morali seu libera: ex adverso actui necessario per se bono eiusque auctori proprie respondere honorem;* qui non est, nisi contestatio quaedam de excellentia naturali seu physica bonitate. *In primo ergo loco S. Augustinus laudem improprie sumit: in altero proprie locutus est; quia DEO ob liberam absolutae fidelitatis suae ostensionem vere laus debetur: quippe quam nil creando certo omittere potuisset.*

\*\*\*\*\* *Opponunt denique aliorum quoque sequentium post Augustinum Patrum et Doctorum auctoritatem, puta S. Prosperi Lib. contra Collatorem Cap. XVIII. (alias XXXVIII.), S. Fulgentii Lib. II. de Verit. Praedest. Cap. IV., S. Damasceni Lib. III. de fide orthodox. Cap. XIV., S. Anselmi Lib. de Concord. q. 1. Cap. 2., S. Bernardi de Lib. arbit. Cap. I., qui omnes univérse voluntarium idem affirmant esse, ac liberum. 2.) Item ac praecipue urgent auctoritatem S. Thomae, pluribus in locis ex auctoritate S. Augustini asserentis, libertati solam opponi necessitatem coactionis, non autem naturalis inclinationis, uti q. 10. de Potent. Art. 2. ad 5. item q. 22. de Verit. Art. 5. ad 3., et rursus in III. Sent. Dist. XVIII. Art. 2. Respondeo ad haec, primo Doctores istos, S. Augustini dictis pressius insistentes, cum illo libertatis nomen saepe latius sumississe, quod eam esse mentem Augustini ex allegatis supra in adnot. 2. eiusdem locis existimarent, et liberum saepe dixisse omne id, quod sponte homo ac lubens vellet, atque ageret: deinde nihilominus eòs voluntatem, liberam ad utrumque ex oppositis volendum, et ad neutrum a priori determinatam, semper distinxisse a voluntate, quae naturali necessitate ad unum determinatur: denique, nunquam docuisse, posteriorem istam sufficere ad meritum; docuisse vero, competere nobis priorem, eaque nos vere mereri, ac demereri. Tria isthaec vel*

vel solius S. Thomae testimoniis comprobare suffecerit; quem nec a se, nec a S. Augustino dissentiri, ipse Iansenius semper est professus, nec proin arbitrum recusare potest. Itaque primo S. Thomas in Quaest. X. de Potent. Art. 2. de divinis Processionibus agens, quinto loco sibi contra naturalem processionem Spiritus Sancti obiicit, quod *procedat a voluntate, ac proinde libere*; ac proin *possit procedere et non procedere: quia quae libere fiunt, non sunt determinata ad unum*; cui objectioni postea sic respondet: *Ad 5. dicendum, quod naturalis necessitas, secundum quam voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in V. Lib. de Civit. Cap. X. Libertas enim voluntatis violentiae vel coactioni opponitur: non est autem violentia vel coactio in hoc, quod aliquid secundum ordinem naturae movetur. - - Unde voluntas libere appetit felicitatem, licet necessario appetat illam.* Similia habet Q. XXII. de Verit. Art. 5., ubi examinat; *utrum voluntas quidpiam de necessitate velit, et respondet: Dicendum, quod, sicut potest accipi ex verbis Augustini de Civit. DEI L. V. C. X., duplex est necessitas, necessitas scilicet coactionis, et haec in voluntatem nullo modo cadere potest, et necessitas naturalis inclinationis, sicut dicimus, DEVM necessitate vivere. Et tali necessitate voluntas aliquid vult.* Cumque prius loco primo et tertio obiecisset, libertatem opponi necessitati iuxta Augustinum in eodem loco de Civit., in responsione ad 1. 3. ait: *Illa auctoritas est intelligenda de necessitate coactionis, quae repugnat voluntati et libertati, non autem de necessitate naturalis inclinationis, quae secundum Augustinum in V. de Civitate DEI voluntati et libertati non repugnat.* Post haec secundo S. Thomas in eadem responsione ad quaest. XXII. Art. 5. de Verit. aperte distinguit *voluntatem, quatenus natura est, seu naturalis appetitus sibi convenientis boni, et in eam, qua praeterea habet aliquid appetere secundum propriam determinationem non ex necessitate, quod ei competit, in quantum voluntas est. Quod voluntas de necessitate vult, est finis ultimus et beatitudo.* Ad alia vero non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione absque necessitate. Quin imo seq. Art. 6. apertissime docet, *voluntatem non de necessitate velle, quaecumque vult.* In responsione

sione enim ait: *Invenitur determinatio voluntatis (ob quam non habet necessitatem) respectu trium, scilicet respectu obiecti, quantum ad ea, quae sunt ad finem; quia ad finem multis viis perveniri potest; non sicut est in rebus naturalibus, quae ad determinatum finem non habent, nisi certam et determinatam viam. Secundo respectu actus; quia circa obiectum determinatum potest uti actu suo, cum voluerit, vel non uti; potest enim exire in actum volendi respectu cuiuslibet, et non exire; quod in rebus naturalibus non contingit: grave enim semper descendit deorsum in actu, nisi aliquid prohibeat; quod exinde contingit, quod res inanimatae non sunt motae a se ipsis, sed ab aliis: unde non est in eis moveri, vel non moveri: res autem animatae moventur a se ipsis; et inde est, quod voluntas potest velle, et non velle. Tertio indeterminatio voluntatis est respectu ordinis ad finem, in quantum voluntas potest appetere id, quod secundum veritatem in finem debitum ordinatur, vel secundum apparentiam tantum: - - et ex hoc sequitur indeterminatio voluntatis, qua bonum potest, vel malum appetere. Cum autem voluntas dicatur libera, in quantum necessitatem non habet, libertas voluntatis in tribus considerabitur; tertium vero non est respectu cuiuslibet status naturae; sed illius tantum, in quo natura deficere potest. Nam ubi non est defectus in apprehendendo et conferendo, non potest esse voluntas mali in his, quae sunt ad finem, sicut patet in beatis. Et pro tanto dicitur, quod velle malum nec est libertas, nec pars libertatis; quamvis sit quoddam libertatis signum. Sed iam tertio S. Thomas in eodem Opusc. de Verit. in quaest. cit. mox sequente Art. 7. quaerit, utrum aliquis mereatur volendo illud, quod de necessitate vult; et respondet: *Volendo id, quod quis naturaliter vult, secundum se non esse meritorium, nec demeritorium, sed secundum quod specificatur ad hoc vel illud, quod non naturaliter appetit.* Verum conficit rem omnem vel unicus ille locus S. Thomae in Quaestione VI. de malo. Art. unic., ubi quaestionem hanc ex instituto tractat, utrum homo habeat liberam electionem actuum, aut ex necessitate eligat; quam sic resolvit in responsione: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogereetur: non enim omne necessarium est violentum. Haec autem opinio est haeretic:**

Stöttler *Eth. christ. univers.* O o tica:



*tica: tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiae opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiae moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum; tollitur deliberatio, exhortatio, praeceptum, et punitio, et laus, et vituperium. Ad huiusmodi autem positiones ponendas inducuntur aliqui homines partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas solvere non potuerunt. Non video, quid amplius ad praesens institutum dici a Doctore Angelico potuisset. Et vero velim legat totum istius quaestionis responsum, uti et citatae paullo ante Quaest. XXII. de Verit. Articulum sextum; quisquis certo edoceri de mente S. Thomae exoptat circa naturam verae libertatis. Similia porro, et etiam brevius dicta, leges apud eundem I. p. q. 83. a. 3., item I. 2. q. 13. a. 2.; et Lib. I. contra gentes cap. 68. Ceterum locus S. Thomae de libertate Christi in III. Sent. Dist. XVIII. art. 2. supra item obiectus, ceu in re perobscura alioquin versans, satis excusatur tum clarissimis aliis modo relatis, tum iis, quae S. Doctor ibidem in responsione ad 5. subiicit, ac denique clariore libertatis eiusdem Christi Domini explicatione, quam praebet in 3. p. Summae q. 18. a. 5. in C. Porro an S. Thomas asseruerit Praedeterminationem physicam Bannesianam circa actus liberos, vide apud R. P. Ignatium Neubauer S. I. Tract. de Actib. Human. p. 180. Edit. Wirceburg.: quo vero pacto se Praedeterminatio ista habeat ad libertatem, demonstrasse me abunde existimo in Theol. Nat. 330. et huius notis.*

554.

*S. Augustinus sic Pelagianos refutavit, ut simul libertatem indifferentiae ad bonum meritorium et ad malum vere demeritorium semper assereret. Nam cum Pelagianis sibi controversiam non esse ipse testatur de eo, an etiam post Adae peccatum homo*

mo liberum arbitrium habeat. a) In Lib. de Nuptiis et Concupisc. Lib. II. Cap. III. cum Iulianus obiecisset: *Siquis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Coelestianis et Pelagianus vocatur*; reponit Augustinus: *Non est ita, ut loqueris; multum falleris; vel fallere meditaris: non liberum negamus arbitrium; istud quippe catholica fides docet. -- Liberum itaque in hominibus arbitrium esse utrique dicimus; non hinc estis Coelestiani et Pelagiani: liberum autem esse quemquam ad agendum bonum sine adiutorio DEI, hoc vos dicitis; hinc estis Coelestiani et Pelagiani.* Itaque Augustinus contra Pelagianos solum negavit, sine DEI gratia dari in homine per solas vires naturae completam libertatem ad actus vitae aeternae meritorios ponendos; et *asseruit* solummodo, sine eadem gratia in nobis esse peccatum originale, peccatum materiale, quod est poena originalis peccati, nempe concupiscentiam et ignorantiam, ac denique necessitatem moralem peccandi peccato etiam formali personali (535.). *Atqui* ista omnia consistunt, salva libertate indifferentiae *physica* ad peccatum formale personale, etiam in homine omnis adhuc gratiae experte, et salva eadem libertate ad bonum mere *naturale*; quia necessitas mere moralis, et merus excessus aliquis stimulorum supra motiva, non tollit omnino libertatem physicam; etsi difficultatem in faciendo bono naturali et malo vitando afferat (131. 509. III. 513. V.). Consistunt ea insuper cum libertate *moralis* (seu immuni a necessitate etiam solum morali) tum ad bonum supernaturale, tum ad vitandum malum, *tam in eo*, qui gratiae DEI adiutorium actu habet: quia haec eo fine a DEO datur, ut tollat necessitatem illam moralem ad malum suo contrario pondere, et conferat facultatem completam ad bonum etiam supernaturale

O o 2

(530.);

(530.); *quam in omni eo*, qui actu obligatur ad faciendum quodcunque bonum aut vitandum malum, seu prius iam habere gratiam, seu non habere ponatur: quia ex parte DEI nullus potest esse defectus benevolentiae gratuitae ad dandum auxilium, quod necessarium est ad ipsius legem quamcunque observandam, maxime si homo, infirmitatis suae conscius, demissa prece id ab eo postulet; ac proinde vel a DEO talis certo accipiet gratiam necessariam ad observandam legem, vel ipse suae abusu libertatis, quo negligit saltem eam a DEO petere (quod sine magna difficultate posset), est ratio, cur ea sibi non adfit. Ergo quam parum Pelagiani, tam nec Augustinus negavit libertatem. Hinc

b) In Lib. de Spir. et Lit., contra Pelagianos scripto, Cap. XXXIV. ait: *In omnibus misericordia praevenit nos; consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae est voluntatis.*

c) Lib. I. ad Bonif. Cap. XV.: *Nos dicimus, liberum arbitrium in omnibus esse naturaliter, nec Adae peccato perire potuisse, quod Scripturarum omnium auctoritate firmatur.*

d) *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, et peccare, et non peccare potest; sed alterum horum non facit, nisi adiutus ab eo, qui dixit: Sine me nihil potestis facere; alterum vero propria voluntate.* Haec de libertate ad opposita indifferente. Iam etiam audiamus Augustinum, istius libertatis necessitatem ad omne meritum etiam contra Pelagianos scribendo asserentem.

e) In Lib. de Nat. et Grat. Cap. LXV. cum retulisset obiecta sibi a Pelagio verba S. Hieronymi Lib. II. contra Iovin. dicentis: *Liberi arbitrii nos*

nos condidit DEUS, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate (scilicet absoluta et physica) trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est; subdit continue Augustinus: Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam esse humanam naturam neget? Sed in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est caritatis, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Quod autem ex vitiis naturae sit quaedam peccandi necessitas, audiat homo; atque ut eadem necessitas non sit, discat DEO dicere: De necessitatibus meis educ me; quia et in huiusmodi oratione certamen est adversus tentatorem, de ipsa contra nos necessitate pugnantem, ac per hoc opitulante gratia per IESUM Christum, Dominum nostrum, et mala necessitas removebitur, et libertas plena tribuetur. Ecce! totum, quod argumentando dixi hic (lit. a), ab ipso Augustino expressum.

f) Lib. de Grat. et lib. arbit. Cap. II. n. 1. sic habet: Ipsa divina praecepta homini non prodesse, nisi haberet liberum arbitrium, quo ea faciens ad promissa praemia perveniret. Et ibid. n. 4.: Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri et fieri iubet DEUS? Quomodo iubet, si non est liberum arbitrium? Quod ipsum argumentum, supra 540. a me propositum, graphice ibi urget Augustinus, et concludit: Nemo ergo DEUM caussetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, cum peccat.

\* At enim non desunt rursus Iansenio speciosi ex scriptis Augustini contra Pelagianos obtentus. Opponit, 1) S. Doctorem per liberum arbitrium etiam in his non intelligere aliud, nisi voluntatem plenae libentiae. 2.) Saepius asserere, Adami peccato periisse liberum arbitrium; puta in Enchirid. C. XXX., in Epist. CVII. Lib. I. Op. imperf. n. 104. &c. &c. 3.) Docet, nunc in homine sine gratia esse necessitatem peccandi in Lib. contra For-

tunatum, Disput. II., in Lib. de perf. iustit. C. IV. 4.) Docet, peccatum in nobis esse etiam id, quod non libere, sed necessitate antecedente fit, et negat, nos peccare peccatis vere liberis a necessitate: reiicit enim definitionem illam *peccati*, quam Lib. II. de duab. animab. C. XI. dederat (vide 552. lit. e.); reiicit illam, inquit, et pro praesente statu negat eam quadrare in Lib. I. Op. imperf. n. 47., et iterum n. 104. his verbis: *Ista definitio peccati eius est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam poena peccati, qua perit libertas non peccandi.* Et rursum L. I. Retract. C. XV. de eadem definitione ait: *Definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam est poena peccati.* 5.) Docet, peccandi necessitatem non excusare a peccato; ait enim L. I. Op. imperf. n. 106.: *Non est impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur: De necessitatibus meis erue me.* Docet ibid. n. 105. ex ignorantia oriri necessitatem peccandi peccato, quod DEVS iuste improbet; item aliam necessitatem ex concupiscentiae rebellione existere.

•• *Respondeo ad 1. contrarium patere ex omnibus textibus, hoc loc. ex Augustino allatis. Ad 2. distingo: Augustinus docuit, periisse substantiam libertatis, nego: privilegia libertatis perfectae, statui originalis iustitiae propria, nempe immunitatem a necessitate morali peccandi, a concupiscentiae rebellione, et ignorantia, ceu effectibus peccati originalis, item facultatem agendi utiliter ad salutem, quam tamen per Christum recuperamus in Baptismo, concedo.* Ita S. Pater hanc objectionem, sibi factam, soluit ipse in L. I. contra Bonif. C. II. et III. his verbis: *Quis autem nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perit per peccatum, sed illa, quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam; propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis; utique liberi ad bene recteque vivendum.* Ad 3. verissime S. Doctor dixit, sine gratia in homine esse necessitatem moralem peccandi, quod ipsi quoque demonstravimus 525. I. 529. l., gratiae necessi-  
 Augu-

tatem inde quoque praeter alios titulos 535. n. 6. cum Augustino inferentes : at haec necessitas stat cum libertate physica et morali ad faciliores quosdam actus bonos (525. ll.), ex. gr. ad orandum et implorandum divinum auxilium; qua si rite utatur, etiam DEI gratiam (non quidem ex merito naturali, sed ex DEI misericordia gratuita (527. ll.), et per hanc libertatem, ab omni necessitate immunem et completam ad actus supernaturales, vereque salutare, et aeternae vitae meritorios, poterit obtinere. Vide manifestissime expressam hanc Augustini mentem in textu hic sub lit. e) allegato. Item in ipso loco obiecto Op. imperf. L. I. n. 105. Iulianum urget S. Augustinus retorsione hac, quod ipsemet admittat, necessitatem peccandi oriri ex prava consuetudine, ex peccatis prioribus commissis contracta, dicens: *Qui enim peccandi consuetudine premitur, procul dubio prius, quam peccaret, nondum necessitate consuetudinis premebatur: ac per hoc etiam secundum vos peccandi necessitas, unde abstinere liberum non est, illius peccati poena est, a quo abstinere liberum fuit, quando nullum pondus necessitatis urgebat. Cur ergo non creditis, tantum saltem valuisse illud primum hominis peccatum, ut eo vitaretur humana natura univ.ersa, quantum valet nunc in homine uno secunda natura; sic enim consuetudo appellatur? Atqui necessitas, prava consuetudine contracta, solum est moralis, non physica. Ad 4. adnoto, Iulianum hoc ipso loco modo citato Augustino obiecisse, nullum peccatum in rebus penitus inveniri vi dictorum Augustini; quia iuxta ipsum necessitas est mali faciendi, et tamen non est peccatum, a quo liberum non est abstinere. Audi vero, quid, post iterato comprobata illam peccandi necessitatem, quoad alterum istud caput de existentia veri peccati immediate post ultimo allegata verba subiungat Augustinus: *Cum igitur, inquit, et illa fateamur in hominibus esse peccata, quae committuntur, non necessitate, sed voluntate, quae tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere* (ubi intelligit sane eadem quae secundum Iulianum origo sunt pravae consuetudinis et necessitatis primum subsequenter ex eadem, ac proin quae nulla necessitate fiunt subinde etiam a iustis, gratia prius iam instructis: ubi item voluntatem aperte necessitati etiam merae lubentiae opponit); et*

peccatis, de ignorantiae vel affectionum necessitate venientibus, quae iam non solum peccata, verum etiam poenae peccatorum sunt, plenum sit genus humanum: quomodo dicit, definitionibus nostris peccatum nec in moribus inveniri? Tum vero adverte, quomodo post haec concludat S. Pater: *Sed, quod non vultis, audite, inquit: a peccatis omnibus sive originalibus, sive moralibus, vel quae facta sunt, vel ne fiant, non liberat, nisi gratia DEI per Iesum Christum.* Ecce! ut distinguat Augustinus peccata originalia, id est, vitia naturae, concupiscentiae nimirum et ignorantiae nullo pacto nobis liberae, quibus non quadrare definitionem suam fatetur, a peccatis moralibus, id est, sine necessitate etiam morali saepe committi solitis (non a solo Adamo) etiam in praesente statu. Falsum ergo est, quod neget Augustinus, etiam nunc dari peccata, quae tantummodo peccata sint, et non etiam poenae peccati originalis, et quibus proin illa definitio sua conveniat: etsi dicat n. 47., *nulli tam liberum (nunc) esse abstinere, quam ille fecit, qui DEO suo, a quo conditus erat, nullo prorsus vitio depravatus adstabat;* immediate enim etiam de praesentis conditionis hominibus praemittit: *Primi generis (id est, eius, quod peccatum tantummodo est) exemplum in Adam sine ullo modo quaestionis occurrit. Multa quippe sunt, quae agunt homines mala, a quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quam illi fuit etc.* Ubi evidens est, S. Patrem dicere; etiam hodiernis peccatis hominum convenire illam definitionem peccati a se datam, sed tamen per eminentiam, ut loquimur, eam convenire Adae peccato. Interim vel ad ipsam concupiscentiam, et originale peccatum parvulorum, ut vere peccatum dici (etsi non morale) possit, in L. I. Retract. C. XV. expresse requirit, ut ex morali et summe libero peccato Adae, seu effectus, proficiatur. *Sic enim (n. 4. ait) ostenditur, sine voluntate nullum esse peccatum, sive in opere sive in origine.* Agit autem ibi expresse de voluntate peccandi, a qua liberum est abstinere, qua definierat peccatum in Lib. II. de duab. animab. C. XI. Quod denique Augustinus nomine peccati aequae compellet id, quod solum spontaneum (seu materiale), non item voluntarium ac liberum est, quin etiam probe illud ab isto distinguat, gemina eius loca sequen-

sequentia apertissime evincunt. Nam primo in L. III. de Lib. arbit. C. XIX. n. 54. sic habet: *Illud, quod ignorans quisque non recte facit, et quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata; quia de peccato illo liberae voluntatis originem ducunt.* Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur, sed etiam illud, quod huius membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua graeca, alia latina: sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie peccatum vocatur; libera enim voluntate et ab sciente committitur; sed etiam illud, quod iam de huius supplicio consequatur necesse est. Deinde in Lib. I. Retract. C. XV. n. 3. ostensurus, peccatum sine voluntate esse non posse, sic habet: *Et qui nesciens peccavit, non incongruenter nolens peccasse dici potest, quamvis et ipse, quod nesciens fecit, volens tamen fecit; ita nec ipse esse potuit sine voluntate peccatum (materiale scilicet; item per verbum volens non nisi proprie id dicit S. Doctor, quod nos spontaneum vocamus).* Quia voluit ergo, fecit; etsi non, quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse, quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati: quod tamen factum peccatum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamen facit, utique volens peccat: quoniam qui potest resistere, non cogitur cedere. Sane apertissime hic Augustinus peccatum non voluntarium et voluntarium, id est, materiale et formale, spontaneum mere et vere liberum distinguit. Ex his patet responsio ad 5., scilicet solam necessitatem moralem peccandi peccato proprio formali non excusare a peccato secundum Augustinum; quia vinci semper potest ope gratiae, quam orando semper possumus a Deo Optimo impetrare; continue enim subdit num. 106. citato ex L. I. Op. imperf.: *Sed ut non obsit ista necessitas, donat ille, cui dicitur: De necessitatibus meis erue me; donat autem duobus modis, et praeteritam dimittendo iniquitatem, et opitulando, ne intremus in tentationem.* Atque ista fere toties repetit et inculcat Augustinus, quoties de necessitate morali ad peccandum proprio formali peccato loquitur. Ex adverso quod ignorantia et



concupiscentia invincibilis et involuntaria excusetur a culpa, nec sit formale peccatum, S. Doctor apertissime dicit in loco, paullo ante ex L.III. de Lib. arbit. citato: siquidem cit. Cap. XIX. n. 53. refutans conquerentes de miseris ignorantiae et concupiscentiae, ex Adae peccato contractis, sic ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus (id est, non voluntarie) ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras; neque illud, quod vulnerata membra non colligis (id est, concupiscentiae motus primos non impedias), sed quod volentem sanare contemnis: ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini oblatum est (puto, ablatum legendum esse) scire utiliter quaerere, quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quaerenti et confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat. Tumque continue sequitur, quod supra ex n. 54. eiusdem capituli est allegatum: Nam illud, quod ignorans quisque non recte facit &c. &c.*

\*\*\* Si isthic quoque Iansenius moveat illum ultimum arietem suum, quem in celebri dicto illo Augustini reponit in Cap. V. Epist. ad Galat.: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est*; nota, iam supra sensum huius dicti genuinum a nobis ipsis fuisse assertum 513. VI. Quem vero eidem Iansenius affingit, evidenter pugnat cum dictis aliis Augustini, 552. 553. relatis. Ceterum si Iansenius S. Augustinum non animo, in Calvini errorem iam inclinante, sed cum modesta erga Ecclesiae certas definitiones submissione legisset; potius quaedam obscure a S. Doctore in re tam subtili pronuntiata ad sensum Ecclesiae explicando accommodare maluisset, quam ex tam obscuris indiciis eiusdem Ecclesiae effatis aperte contrarium errorem S. Doctore affingere, ut sibi in istius auctoritate obtentum aliquem conquireret.





## SECTIO III.

DE PRIMIS PRINCIPIIS, CRITERIIS, ET  
FONTIBVS SCIENTIAE REGVLARVM TO-  
TIVS ETHICAE CHRISTIANAE.

**E**thicae Universalis officium non est, particula-  
res morum regulas tradere; sed id solum  
proprium ipsius est, ut generalia, eaque prima et  
adaequata principia constabiliat, ex quibus, ceu  
fontibus communibus, omnes particulares morum  
regulae derivandae sint. Porro cum ex dictis  
Sect. praec. Artic. III. §. III. constet, triplicis ge-  
neris regulas morum reipsa existere, quarum  
primae merum *consilium*, alterae *legem*, tertiae  
*iur*, constituent; cumque horum trium generum  
natura ita inter se differat, ut, sicuti nec com-  
munes rationes sufficientes, ita nec communia  
principia habere possint: idcirco *peculiaria princi-  
pia generalia pro consiliis*, alia *pro legibus*,  
alia *pro iuribus* seu actionibus mere licitis,  
id est, nec aliquo consilio suasis, nec lege prae-  
ceptis, statuenda sunt. Porro non solum prin-  
cipia ipsa, seu generales regulae, sed etiam *fontes*,  
et *criteria*, designanda sunt in Ethica Gene-  
rali; ex quibus certa ac vera cognitio quarum-  
cunque seu generalium, seu particularium, regu-  
larum moralium cognitio hauriri, et a spuria,  
falsa, atque incerta, discerni queat. Denique cum  
non mere Philosophicam, sed *Christianam Ethicam*  
conscribere nobis sit propositum; non solum  
*fontes et criteria naturalium consiliorum, legum, atque  
iurium,*

*iurium*, sed etiam *positivorum* nobis indigitandi saltem generatim erunt, si Ethicam completam, nec mancā in praecipuo quodam officio suo, proferre in publicum velimus. Atque in his tota ratio argumenti, huiusque partitionis, atque ordinis consistit, quod in praesente Sectione pertrahabitur.

## CAPVT I.

DE PRINCIPIIS SEV REGVLIS MORVM PRIMIS  
ET MAXIME GENERALIBVS.

555.

**M**ateria quarumvis regularum moralium sunt actiones humanae liberae. Ex his illae, quas sine defectu saltem aliquo rectitudinis moralis committere, vel omittere, non possumus, quatenus idcirco substant obligationi perfectae, vel imperfectae, *officia hominis* vocantur (335.); ex quibus *officia perfecta* seu *indebita* nos quidem appellamus, quae non ad substantiam finis ultimi, seu vitae alterius beatae, necessaria sunt, sed ad perfectionem et maiorem solummodo istius gradum; ac quae proinde non legis saltem naturalis, sed consilii solummodo, materia sunt, seu ad quae per se imperfecte solum obligamur: contra *officia imperfecta et debita* vocamus, quae, ceu praecise ad finis ultimi et beatae vitae substantiam consequendam necessaria, certa lege naturali praecipuntur, seu ad quae perfecte obligamur. Id quod officio debito seu imperfecto opponitur, *illicitum* et *inhonestum*: quod nulli officio debito opponitur, sed nec officio alicui conforme est, *licitum praecise nec inhonestum* dicimus: *honestum* denique  
voca-

vocamus, quod officio debito; *decorum*, quod etiam indebito conforme est.

\* *A catholicis officia perfecta* vulgo ea vocare solent, ad quae lege aliqua seu praeepto quis cogi potest; *imperfecta* autem, ad quae lege adigi non potest. At enim nos, non mere philosophicam, sed Christianam Ethicam scribentes, itre ab ista loquendi ratione idcirco recedere nos putamus: quia officia, quae non legis sunt, sed meri consilii, reipsa ad Christianam perfectionem spectant; ac praeterea saepe, quae, spectata sola ratione, solum consilii naturalis sunt, Christiana positiva lege praecipuntur. Nec obest, quod imperfecta ista, sic a nobis dicta, sine illis perfectis officiis, non autem illa sine istis imperfectis, ad finem ultimum sufficient: siquidem ex hoc illud sequitur solummodo, imperfecta magis esse necessaria, sed non perfectiora.

- 556.

*I. Ius solum opponitur officio debito et imperfecto, non autem per se opponitur universe officio perfecto (324. & praec.), sed cum eo saepe componitur.*

*II. Ius tamen latius patet, quam officium perfectum, imo aliqua iura officiis perfectis opponuntur; ea nimirum, quae sine positiva quidem malitia, attamen cum defectu omnis bonitatis Theologicae coniunguntur (2.), et circa licita praecise versantur (praec.).*

*III. Triplicis ergo generis universe dantur regulae, aliae de officiis perfectis, aliae de imperfectis, aliae de iuribus.*

*IV. Regulae de iuribus consequuntur ex regulis de officiis imperfectis. Actiones enim, quae nec praecipuntur, nec prohibentur, eo ipso liberi sunt iuris (324. 378. not.).*

*V. Eae-*

V. *Eaedem proprie non sunt regulae morum: quia non docent positivam bonitatem, sed solum negativam rectitudinem theologicam actionum (3. 324.).*

## 557.

*Principium sciendi est cognitio quaelibet evidens, a cuius existentia, ceu ratione sufficiente, a a priori dependet scientia, seu actus scientiae. Principium alicuius certae disciplinae proprium, ex. gr. Ethicae Christianae specialis (4.), est cognitio evidens, et propria eidem disciplinae, quae sit principium, a quo aliarum veritatum, ad eandem disciplinam pertinentium, evidens cognitio, a priori dependet. Primum principium in certo genere vel specie disciplinae est cognitio evidens, eidem disciplinae sic propria, ut eius existentia non dependeat ab alio principio sciendi, ad eandem spectante disciplinam, et simul ab ipsa, tanquam a priori, dependeat cognitio aliarum veritatum, ad eandem disciplinam pertinentium. Principium primum, generale et adaequatum alicuius certae disciplinae est tale principium primum eidem proprium, a quo dependeant omnes evidentes cognitiones quarumcunque aliarum veritatum, ad eandem disciplinam pertinentium.*

\* Inquisitio in prima principia generalia, propria cuiusque disciplinae, in modum scientiae pertractari solitae, id utilitatis habet, ut et limites, cuilibet scientiae proprii, praefigantur, et ordo in eandem inducatur, vi cuius omnes veritates, ad eam proprie pertinentes, recta serie atque evidente consecutione ex uno aliquo primo et omnibus communi principio deducantur.

558.

*I. Itaque primum, generale et adaequatum principium proprium Ethicae Philosophicae est evidens quaedam regula morum prima, id est, ex nulla alia morum regula a priori demonstranda, eaque tam generalis et adaequata, ut ex ea omnes aliae regulae morum a priori demonstrari possint et debeant.*

*II. Ethices officium quoque est, offerre generale et evidens principium, ex quo regulae de officiis perfectis et imperfectis inter se universe discerni possint, ac debeant.* Ethicae enim proprium est, regulas de tota malitia actionum aequae ac bonitate, eaque theologica inprimis, distincte proponere. Atqui alia est malitia consequens ad legem DEI, alia consequens ad consilium seu imperfectam obligationem, id est, alia in actionibus, quae perfectis, sed indebitis, alia in fisis, quae imperfectis sed debitis officiis adversantur. Ergo &c. &c.

559.

*Principium primum, generale et adaequatum totius Ethices Philosophicae est hoc: DEUS totus tibi eximie prae rebus omnibus creatis, et ex tota virtute tuae voluntatis placeat, et nihil ex his tibi, nisi ob similitudinem cum DEO, usquam placeat.* Est enim hoc principium per se evidens; pertinet, ceu regula morum, ad Ethicam Philosophicam; est principium primum, nec ex alia morum regula prioris, sed unice ex notione DEI et finis ultimi formalis et obiectivi demonstrabile; versatur circa affectum primitivum dirigendum, qui omnes alios affectus imperat (67. VII. 69.); est in ipsa natura appetitus fundatum, qui non potest amare amore complacentiae, nisi bonum; et hoc ipso dirigit omnes

omnes alios actus morales, bonos et malos, illos imperando, istos proscribendo; ac proinde simul est principium generale et adaequatum.

560.

*Idem principium Christiana Ethica adoptat, ceu acceptum ex ore Christi Domini, divini morum Magistri, Matth. XXII. 38. Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo: hoc est primum et maximum mandatum. Nec enim in DEUM ipsum alio primitivo et ceteris omnibus imperante affectu, quam amore complacentiae, ferri possumus (82. 69.).*

\* *Heineccius triplicem amorem DEI, sui, et proximi pro principio constituit: sed sui et proximi omnis re-ctus amor ex perfecto DEI amore consequitur, ceu ab affectu imperante; siquidem et me et proximum si perfecto amore amare volo, propter similitudinem cum DEO et me et illum amare, et DEI similitudinem utri-que velle in beatitudine, debeo.*

\*\* III. Christianus L. B. Wolfius hoc constituit principium: *Perfice te ipsum per omnes actiones liberas, quam maxime potes.* Idem quoad substantiam adoptavit Fridericus Maier Berolinensis in Phil. Pract. Univers. §. 110. *Opposuerit alii huic principio, quod illius vir-tute omnes morum regulae revocentur ad amorem boni proprii. Cui in cit. opere §. 105. Clariss. D. Maier re-spondet, obiectionem hanc evanescere constituto ge-nuino perfectionis conceptu, quae consistat in consensu omnium hominis facultatum et actionum in determi-nando fine reali; qui finis realis possit esse realitas seu homini agenti moraliter, seu alteri homini intrinse-ca: porro utrovis casu, quo vel proprium vel alie-num bonum homo promoveat sua actione, acturum perfecte, et in primo casu illum perficere se ipsum, ut finem; in altero casu perficere alios, ceu finem; se ipsum vero, ceu medium. At enim hic occasio rursus se offert, apertissime animadvertendi Philosophiae mor-alis*

ralis illius, quae ab omni prospectu in futuram vitam sese abstinet, gravem defectum. Peto enim, dicat mihi aliquis: Quo pacto morti se offerens certissimae et atrocissimae pro salute publica, perficiat se ipsum: aut quibus demum motivis sufficientibus, ex praedicto principio repetitis, sapienter moveri possit, ut hoc faciat; nisi etiam post fata spem aliquam altioris perfectionis inde consequendae a Deo demum propositam habeat? Maius bonum civitatis praefert, inquis, suo privato, et hoc sapienter. At quo pacto hoc respectu ipsius bonum esse potest, ac proin appetibile, si ipse id prosequendo crepet, et pars esse civitatis cesset? An gloria movebit? Gloria posthuma quam rationem boni eius respectu habere potest, qui porro non est? An utilis, an delectabilis, cuius fruitio impossibilis? Verum illud insuper in id genus Principio Ethices mihi displicet, quod non satis completa distinctione primam morum regulam enuntiat sic, ut practice mox applicari ad mores possit. Quisque enim porro quaeret continuo: Quo pacto semper perficiam me ipsum in omni actione? ad quid respicere debeo? Unde pet id non satis determinatur actus primitivus voluntatis, nec obiectum istius. Ex adverso regula prima, ab ipso Christo Domino reipsa proposita, mox docet, quorsum in omni actione, seu circa me ipsum praecise, seu circa alium hominem, ceu obiectum, versante, respicere, quid mihi, quid alteri velle, ad quam normam me comparare in omnibus debeam, si quam perfectissime agere velim. Praeterea vim simul motivi praestantissimi vereque theologiae bonitatis idem principium continuo omnibus actionibus applicat; ordinat primitivum affectum, et cum isto omnes imperatos. Denique principium hoc, seu regula prima et universalis, ex ipso fine omnium actionum moralium distincte expresso repetitur; ac proin cum finis determinet omnes alias regulas actionum, circa media versantium (Ontol. 304.), principium illud et primum per se et universale est.



561.

*Vi propositi principii primi totius Ethices, quo regitur affectus primitivus, omnes actus, ab hoc primitivo imperati, reducuntur ad hanc regulam: Fac ea semper, quae faciendo fias DEO tam similis, quam possibile est; sive quod item Christus Dominus hortatus est Matth. V. 48.: Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. Amor enim complacentiae de DEO, ceu affectus perfecte praedominans, imperare non potest, nisi amorem complacentiae de eo, quod DEO simile est, eoque maiorem, quo quid DEO similis est; nec nisi odium displicentiae de eo, quod dissimile, aut minus simile est, eoque maius, quo maior dissimilitudo. Atque ad duos istos ceteri affectus omnes voluntatis, iucundi et molesti, simplices et compositi, omnes reducuntur. Ergo &c. &c. (58. seqq.).*

562.

*Ex his tertium principium magis practicum, seu proximius applicabile, consequitur: Ne quaeras aliam felicitatem in hac vita, quam cognoscere quam perfectissime DEUM, illumque amare, et imitari, eandemque felicitatem promovere in quovis alio homine, quam potes maxime, continue allabora. Evidens enim est, hoc velle DEUM vi perfectionum suarum, sapientiae, sanctitatis et bonitatis. Ergo si summe tibi placet DEVS, hoc illius amor praedominans imperare debet.*

563.

*Legis Naturae nomine intelligo scientiam omnium legum naturalium, seu evidentem cognitionem*

tionem omnium actionum moralium, lege naturali vel praeceptorum, vel prohibitarum. Unde *legis totius naturae primum ac generale principium est lex quaedam naturae evidenter cognita, ex qua omnes leges naturae singillatim demonstrari possint, quin ipsa ex ullo alio principio, ad legem naturae pertinente, a priori demonstratur* (557.).

564.

*Lex prima naturae, seu principium primum ac generale totius legis naturae est hoc: Sic semper in te DEI amor et honor habitu saltem perduret ac praedominetur, ut nunquam illum directe, vel indirecte contemnas* (201. 202.), id est, *ut nunquam scienti ac volenti aut ipse displiceat; aut placeat, quod eius perfectioni contrarie adversatur.* Est enim lex ista per se naturalis et evidens, ac proin pertinet ad legis naturae scientiam; eadem iam (373.) est demonstrata, ceu lex praecipiens medium omnium maxime necessarium ac generale ad finem ultimum; quatenus est positiva et praecipit amorem DEI habitualement cum dicta efficacia; quin ex alia lege naturali a priori inferretur: denique virtute continet omnes alias leges naturales. Etenim hae omnes vel sunt praeceptivae, et iubent actiones bonas necessarias ad finem ultimum, ceu versantes circa media necessaria ad conservandum amorem DEI in hac vita, et consequendam eius visionem et amorem beatificum in futura: vel sunt prohibentes actiones malas, id est, pugnantibus cum divinis perfectionibus, atque DEI aliquem, seu levem seu gravem, contemptum, directum vel indirectum, importantes. Atqui lex illa prima univ[er]se istas omnes virtute continet; quatenus praecipit amorem DEI, sic imperio suo praedominantem cuius alteri amori et odio, ut ne

cum DEI contemptu quis quid amet, vel odio habeat, id est, agat, vel omittat. Ergo per 557.

565.

Ratio sufficiens huius legis, ac proin et omnium aliarum legum naturalium, continetur tum in natura istius amoris DEI habitualis isto gradu perfecti, ceu necessarii absolute ad promerendam alterius vitae beatitatem per modum praemii et ad impedienda demerita moralia aeternae infelicitatis ac poenae (373.); tum in natura humana, quae non nisi sufficiente hoc medio morali et motivo legis satis moraliter promoveri ad exercitium ac studium illius amoris potest (195. 198. 199. 206.); tum denique in ipsa natura et perfectionibus divini Legislatoris, nimirum in Sapientia, Sanctitate, bonitate, ac iustitia DEI (196. 199. 207. 208.). Unde

*I. Ad universam Legem naturae cognoscendam, ceu principia sciendi, a priori supponuntur evidentes conceptus de natura DEI, de natura libertatis humanae, et de natura seu bonitate necessaria ac malitia fundamentali theologica ipsarum quarumvis actionum humanarum moralium in specie et individuo.*

*II. Praesupponit ergo scientia Legis naturae, 1.) Theologiam Naturalem; quae exponit naturam DEI, et format distinctos conceptus de divinis perfectionibus; 2.) Psychologiam; quae demonstrat naturam voluntatis et libertatis humanae, naturam affectuum praeventientium rationem, ex quibus moralis illa ad malum necessitas oritur, aptitudinem denique motivorum sufficientium ad restituendam libertatem moralem in agendo bono, et vitando malo morali; 3.) Ethicam philosophicam genui-*

*genuinam*, quae docet bonitatem necessariam et malitiam theologicam fundamentalem omnium actionum moralium in specie et individuo : ceu quae regulas omnes morum complectitur, quibus Lex naturae non nisi perfectam obligationem superaddit; cum lex univérse non sit, nisi regula morum obligans.

*III. Itaque nec sine sufficiente satisque certa DEI notitia, nec sine certa credulitate de humana libertate saltem physica, nec sine certa saltem notitia regularum Ethices, id est, non sine notitia bonitatis necessariae et malitiae theologicae actionis cuiusque, lex ulla naturae satis cognosci potest.* Non cognita enim existentia rationis sufficientis, nec rationati existentia cognosci potest.

566.

*Iuris Naturalis* nomine intelligo scientiam omnium iurium naturalium, seu actionum et ommissionum humanarum licitarum (555.), nulli saltem legi naturae substantium (378.).

\* Novi utique *Ius Naturae* tum a veteribus cum Ill. Wolfio pro complexu Iurium et legum naturalium, tum a recentioribus cum D. Friderico Meier pro sola scientia iurium et obligationum externarum accipi. Verum *Ethica*, quae consilia, leges et iura naturalia ex aequo complectitur, iure suo voces istas in significato suo proprio accipit: atque etiam iura externa et obligationes externas, uti iura et obligationes internas et in foro DEI, considerat; quae praecise externa dicuntur, quia vel ad agendum aliquid externe et adversus alium hominem, vel ad aliquid ab eo patiendum dantur. Vnde, ut suo loco ostendam, tam consilia, quam leges, et iura naturalia, ex aequo partes sunt *Ethices Philosophicae*, ac proinde etiam *Christianae* (II. II.). Qui iura et obligationes externas ab *Ethica* separant, instituto illi *Ethices* insti-

P p 3

tere,

tere, quod (15. in adnot.) merito a me reprehensum est.

567.

*Principium primum ac generale iuris naturalis est hoc: Si actio neque necessaria est ad finem ultimum, seu conservandum habitualem DEI amorem praeceptum (564), neque cum isto ratione suae malitiae formalis theologicae pugnans; liberum tibi ius naturale est eam committendi, vel omittendi.*

568.

*I. Ad actiones, Lege naturae praeceptas, non datur ius, sed solum potestas moralis, obligationi cuique per connexa (324.). Ius enim importat potestatem moralem ad opposita, quae obligationi est incompossibilis.*

\* III. Wolfius, cum in Phil. Pract. Univ. P. I. §. 158. et seqq. docet, *legem naturae dare nobis ius ad actiones committendas et omittendas, ad quas committendas et omittendas obligat, ius a potestate mera morali non distinxit; a qua tamen certo distingui debet. Quis enim dicat, se habere ius solvendi debitum? An tutor ius habet disponendi de bonis pupilli in istius utilitatem? An solum moralem potestatem, obligatione obstrictam ad unum ex oppositis?*

*II. Nemo potest simpliciter habere ius naturale absolutum ad actionem, lege naturali prohibitam: quia ius est potestas moralis ad utrumque ex oppositis volendum salva rectitudine morali, saltem negativa: atqui actio, lege naturali prohibita, est positive mala; ac proin salva rectitudine simpliciter fieri nequit.*

*III. Ius ergo naturale absolutum tantum competere potest ad actiones et omissiones, quae vel consilii solum sunt, vel quae sunt theologice indifferentes (378. not.).*

\* Cete-

\* Ceterum ex Corollario secundo non sequitur, ad actionem prohibitam omittendam quemlibet a quolibet cogi posse; suoque loco ostendetur, etiam respectu talis actionis competere posse *ius externum* veritale, id est, ius non permittendi, ut alius, cui nulla est moralis potestas in illius libertatem naturalem, ipsum iussu, aut vi aliqua, cogat ad eam omittendam; quia aliud est ius ad agendum male, aliud ius prohibendi actionem alienam potestatis moralis expertem circa rem, id est, circa libertatem suam, cuius, adversus vim saltem defendendae, plenum ius in statu originario homo quilibet habet.

569.

Repugnantia *regularium moralium* circa eandem actionem *collisio* earundem vocatur; quae fit, cum ex una ratione actio repraesentatur ut bona, ex alia ut mala. Quoniam porro omnes reales actiones et omissiones individuae sunt, id est, existentes a parte rei, ac proinde omnimodis determinatae; idcirco non potest dari actio vel ommissio, quae nec sit bona theologice, nec mala theologice, positiva, vel negativa solum malitia; aut simul simpliciter bona et mala (294. I.); item nulla potest dari actio, quae nec sit melior alia aequae possibili, neque non sit melior. Cum ergo regulae morum sint iudicia repraesentantia bonitatem et malitiam, et quidem regulae Ethices Christianae sint iudicia repraesentantia bonitatem et malitiam theologica, istamque vel positivam, vel mere negativam, minorem, vel maiorem: idcirco *repugnat, dari veram collisionem inter regulas morales veras, item inter veras leges naturae, aut inter veras leges et consilia naturalia; 2.) ac proinde omnis apprens collisio regularum moralium, item naturalium legum inter se, aut cum consilio naturali, oritur ex regulis falsis moralibus: quia nimirum ex*

Pp 4

regula

regula falso repraesentante bonitatem, vel malitiam fundamentalem, ceu ex principio a priori falso (565. I.), falsa obligatio naturalis, imperfecta, vel perfecta, id est, falsum consilium, vel falsa lex, infertur (337. 339.).

570.

*Vt regulae morum verae formentur, quibus de bonitate, malitia, et necessitate actionis alicuius iudicatur, opus est imprimis distincta maxime et completa notione individuae actionis: quia bonitas eius omnis ac necessitas ad finem ultimum ex determinationibus universis realibus, et malitia ex universis defectibus, quibus bono puro contrarie opponitur (293. 295.), denique resultat, iis nimirum, per quas universe in individuo determinatur.*

571.

*Regulae morales verae de actionibus genericis non semper, salva veritate, applicantur actionibus eiusdem generis individuis: quia circumstantiae individuan-tes speciem malam inducere possunt (294. III.).*

572.

*Apparens collisio regularum moralium, fundamentum obligationes perfectas, legi praeceptivae proprias, circa eandem individuum actionem oritur, si in eisdem individuis circumstantiis praesens sit possibilitas iuxta ac necessitas duarum actionum bonarum impossibilem. Duae enim regulae, enuntiantes quaelibet, suam actionem bonam esse tunc necessariam, atque idcirco ponendam, repugnant inter se, si utraque actio una eademque esse non possunt, seu si sint impossibiles. Sic e. g. in casu naufragii, cum eadem tabula a duobus simul arripitur, quae tamen uni solum servando sufficere potest;*  
duplex

duplex occurrit regula, una dictans, necessariam esse occupationem tabulae ad servandam vitam propriam; altera suggerens, necessariam esse eam dilectionem proximi, qua illi non eripiantur media ad conservandam vitam.

573.

*In hypothesi Propositionis loc. praec. id, quod magis necessarium ex duobus bonis, praesferre alteri lege naturali tenemur; quod vero solummodo melius est, non tamen magis necessarium, solum praesferendi consilium est.* Quodsi enim sit illud magis necessarium, praesentia necessitatis alterius minoris illam maiorem tollere non potest; bene tamen maior necessitas minorem in casu individuo removeere potest; *quod primum.* Quodsi tamen melius solum est, sed par necessitas melioris atque minus boni; nihil adest, quod in individuo magis legem praecipientem respectu unius, quam alterius determinet: quippe cuius ratio determinans est sola necessitas bonae actionis; *quod alterum.* Quoniam tamen necessitas utriusque per hypothesin par est, ac proin nulla ratio determinans potior pro una, quam pro altera lege, solum maior bonitas, ceu ratio determinans propria consilii, superest; *quod erat tertium.*

\* Sic in exemplo praec., si agatur de Principe vel Duce summe reipublicae necessario ad salutem publicam, e. g. in navali proelio, et de gregario milite; sine dubio lege hic tenetur ad tabulam Duci, vel tali Principi relinquendam. At si lis agatur inter duos aequales, quorum neutrius vita magis necessaria est, melius erit, ex caritate unum relinquere alteri tabulam; quia sic duplex bonitas inest huic actui, nempe conservatio vitae alienae aequae utilis, et consecratio suae pro ista conservanda, cum speciali difficultate iuncta, ac proinde istud erit consilii.



574.

*Collisio apparens regularum moralium, quarum una fundat legem prohibentem, altera praecipientem, circa eandem in specie actionem, oritur ex eo, quod circumstantia aliqua individua in conceptu actionis, seu conditio, attendatur ab una, et non attendatur ab altera regula; ratione cuius praesentis, vel absentis, actio de cetero eadem specifica fit ex bona mala, vel ex mala bona. Sic comestio panum propositionis, divino cultui consecratorum, mala fuisset extra casum extremae necessitatis; bona erat in ista hypothese, et Davidi permissa, imo praecepta.*

575.

*Omnis error, et dubium, de moralitate actionum, ac proinde etiam de naturali lege, consilio, vel iure, oritur ex incompleta vel confusa notione actionis individuae. Patet ex 570. 565. III.: siquidem non nisi ex distincta et completa notione actionis individuae (571.), tum de eius bonitate vel malitia theologica, vel physica, tum de necessitate, vel indifferentia, iudicari, nec, sine certo et vero iudicio de ista, vera et certa cognitio legis, consilii, vel iuris naturalis, de ea existentis, formari potest (565. III. 567. III.).*

## C A P U T II.

DE CRITERIO MORALITATIS ACTIONVM NATVRALLI,  
ET DE FONTIBVS PROPRIIS ETHICAE  
CHRISTIANAE.

576.

*Evidens est, dari verum discrimen morale inter actiones humanas. Moralitas enim non est, nisi bonitas, vel malitia, actionum humanarum libera*  
(288.

(288. IV.): atqui evidens est, inesse aliis humanis actionibus bonitatem, aliis malitiam fundamentalem, physicam et theologicam, obiectivam et formalem (304. 306. 308.), nosque libere actiones tam bonas, quam malas in praesente statu committere (539. 540.): ergo etc. etc.

\* Evidens ergo est insania, renitente vel ipso naturae sensu, humanis actionibus discrimen hoc moralitatis abiudicare, vel id in dubium vocare.

\*\* At enim alia quaestio nostra aetate subtilissima ceteroquin ingenia quaedam mire fatigavit: quam videlicet mentis facultatem veluti iudicem constituere oporteat in bona malaque humanarum actionum moralitate infallibili criterio discernenda. Impegere ad hunc scopulum inprimis Angeli quidam cum Davide Humio (*Essais de Morale. Addition I. Sur le sentiment moral.*); qui, cum celebri Lockio praeunte sensum communem naturae vulgo pro asylo ignorantiae habere soleant, et nihilominus advertant, demonstrativae rationis viam pro vulgo hominum minime aptam esse ad regularum moralium rectam notitiam adipiscendam, *Sensum Moralem* quemdam, gustumque naturalem virtutis et vitii, universe iudicem omnis moralis discriminis adstruxere: de cuius tamen natura mirum quam absurde summi etiam ceteroquin viri scripsere. D. Robinet, auctor celebris operis (*de la Nature*) sensum istum moralem quamdam esse speciem sensus externi existimat; cuius organum sensorium subtilitate sua oculos nostros in nostro corpore adhuc effugiat, sed fortassis adhuc detegi investigatione possit. D. Humius quoque scribit sub finem citatae additionis: *Oportet esse sensum aliquem, aliquem tactum, seu gustum interiorem, vel quocumque nomine illum appellare libeat, qui bonum ac malum morale discernat.* D. Federus in sua *Philos. Pract. Univerf.* item ceu dubiam quaestionem versare videtur, an sensatione quadam incerti generis, an rationis iudicio, discrimen moralium actionum definiendum sit; etsi ipse ad partem rationis sententia sua accedat. Sed enimvero hinc rursus defectus

defectus et absurdum illius instituti Ethices se prodit, quod actiones humanas per se nec ad DEVM eiusque perfectiones, nec ad fruitionem DEI beatificam in sequente vita consequendam, ceu ad finem ultimum, referre, sed in ratione virtutis et vitii mere physica acquiescere solet; ac proinde dogmata fundamentalia morum a tota sphaera Ethices excludit. Quamquam illi saltem, qui nescio quem sextum sensum huiusque gustum pro moralitatis ultimo criterio constituerunt, aperte genuinis ac distinctis boni utilis et delectabilis, veri inprimis et apparentis, notionibus destituti fuisse videntur. At enim perfacile est, plenissima demonstratione quaestionem, de qua sermo est, in meridiana luce collocare.

577.

Quoniam nulla actio humana, seu intellectus seu voluntatis, in praesentis vitae statu per eas, quas vulgo habemus, naturae (atque etiam gratiae, si Christiane loqui libeat) vires nobis possibilis, rationem boni formalis puri, ac proinde finis ultimi, veraeque beatitatis habere potest (42. 102 242. 100.); idcirco quaevis actionis bonitas obiectiva (43.) in ratione boni delectabilis talis non est, ut in ea, ceu in fine ultimo, mens humana constanter acquiescere possit (99. 100.). Quodsi ergo actiones humanae liberae vera bonitate morali obiectiva pollent (576.); omnis haec non nisi rationem boni vere utilis, atque medii ad finem alium, ultimum habere potest; siquidem inter bonum obiectivum delectabile et utile non datur bonum medium (43.). *Itaque omnis vera bonitas obiectiva humanarum actionum in ratione boni utilis et respectivi consistit, seu in ratione medii ad alium finem, eumque ultimum, id est, ad puri boni fruitionem consequendam (loc. citt. 44. I. 67. V. 66.): ac proinde vicissim omnis vera malitia obiectiva earundem in ratione mali no-*

xii

*scii consistit, quod scilicet fini ultimo, id est, boni puri possessioni, contrarie adversatur.*

\* Ecce hic demonstratam simul magisque adhuc completam notionem veri boni in specie talis, quod actionibus humanis inest; eius nimirum, quod *finale* non est, sed rationem *medii*, seu utilis, solummodo habet. Definitio tamen, 293. data, bonitatem actionum illarum veram in genere explicat, abstrahendo a finali et medii bonitate, seu absoluta et respectiva.

578.

*Vt discrimen verae bonitatis et malitiae obiectivae actionum humanarum liberarum, seu moralitatis earundem, certo iudicio discernatur; primo discerni certo iudicio debet, bonum absolutum finale ultimum seu purum hominis, in quo sit universe constitutum; deinde quam rationem medii utilis actiones humanae liberae ad promovendum bonum illud finale ultimum habeant, et quam cum eo repugnantiam. Omnis enim vera boni et mali ratio, humanis actionibus insita, in utilitatis seu aptitudinis ad boni puri fructum promovendam, aut in repugnantia cum eadem, consistit (praec.): ergo ut certo iudicio discerni illa bonitas et malitia possit (id est, relatio nexus cum eodem, vel contrarietatis); relationis termini distincte cognosci, tumque ad se invicem reflexione comparari debent, an actio rationem sufficientem existentiae finis illius, id est, bonitatem respectivam, seu rationem medii utilis, an vero rationem impediendi noxii, habeat. Ergo etc. etc.*

579.

*Sensu nullo externo, seu corporeo organo mediante, moralitas bona vel mala humanarum actionum discerni potest. Haec enim in relatione illarum, ceu*

ceu medii, vel obstaculi, respectu boni puri, tanquam finis, consistit, ac ipsius boni puri certum discerniculum supponit (377. 378.). Atqui nec purum bonum sensus organo immediate cognosci potest; quippe quod in ratione boni obiectiva solus DEVS est, nec oculo, nec alio organo corporeo sensibilis, atque visio DEI beatifica in ratione boni formali, quae rursus non nisi a sensu intimo reflexe videri ac sentiri potest; in quocunque intuitu, abstracto, vel immediato, eam reponas: nec actiones ipsae humanae bonae et malae sensu persentisci possunt; quippe quae, immediate saltem liberae, non sunt, nisi actiones immanentes mentis ipsius, volitiones et cognitiones, et quarum bonitas et malitia nequaquam a solo effectu externo, sed a bona vel mala intentione, directa, vel indirecta, determinatur. Ergo nec relatio praedicta actionum humanarum, seu bonitas ipsa vel malitia, ullo pacto cadere sub sensum corporeum potest; siquidem omnis relationis conceptus praecise ex conceptu distincto relativorum terminorum, et insitae huic utrique rationis fundandi, exoritur (Ontol. 125. 126. 127.).

580.

*Moralitas actionum humanarum non nisi a ratione, seu ex confusis DEI, et creaturarum atque ipsarum actionum humanarum notionibus cum certitudine, sensui communi naturae propria, seu ex notionibus iisdem distinctis cum vera demonstratione, discerni potest.* Cum enim DEUM in hac vita immediate nunquam intueamur, sed DEI ipsius notio ex ideis creaturarum denique abstrahatur; vel in notione DEI et notionibus rerum creaturarum, ipsarumque actionum humanarum, solummodo confusis sistimus: et tum, saltem magis generalium et facilio-  
rum

rum regularum moralium notitias, tam de ipso fine ultimo, quam de mediis quibusdam, ad illum consequendum maxime et absolute necessariis, ex solo usu rationis adhuc confuse cogitantis, id est, ope sensus naturae communis, acquirimus cum certitudine per se sufficiente (282. 285. 287. Logic.): vel usu ipso Logices perfectiore & ope earum scientiarum, quas supra (565.) ad Ethicae scientiam praesupponi diximus, iam acquisitis distinctis DEI, rerum creatarum, humanae mentis praesertim, et eius actionum notionibus, harum relationes ad DEI, puri illius boni fruitionem, ac nostrae cum DEO similitudinis per alias actiones progressum, per alias regressum, id est, bonitatem, vel malitiam earum theologicam, evidenti ratiocinio ac vera demonstratione colligimus. Ergo etc. etc.

581.

*Relatio, quae bonitatem vel malitiam theologicam materialem cuiusque actionis humanae in specie praecise determinat, in eiusdem consensu, vel dissensu (hocque mere negativo, vel positivo) cum divinis perfectionibus consistit, quae ad ipsa DEI essentialia attributa pertinent.* Cum enim nullum bonum creatum possibile sit, nisi participatione divinae bonitatis alicuius, seu perfectionis DEO essentialis (166.); si actiones humanae in specie tales de divinis perfectionibus similitudine aliqua sic participant, ut puro bono hominis, ceu bono finali, contrarie non adversentur; simpliciter bonae theologicae erunt: si dissensu positivo adversentur, erunt simpliciter malae theologicae: et quo magis consentient, eo erunt meliores; quo minus, eo minus bonae per defectum; quo magis dissentient, eo peiores. Ergo ect. etc.

• Qui

\* Qui relationem istam a DEI voluntate repetunt, de consequente et completa, non de antecedente et obiectiva fundamentali moralitate, recte id faciunt.

582.

*Bonitas et malitia materialis theologica actionum in specie cum toto suo gradu, quem tenet, immutabilis est, et ratione absolute demonstrari potest.* Pendet enim praecise a principiis et notionibus immutabilibus, et terminorum immutabilium relatione item immutabili; nempe a notione specifica actionis humanae, et perfectionum DEO essentialium, illiusque ad istas relatione similitudinis, et dissimilitudinis, vel contrarietatis. Ergo etc. etc.

483.

*Quod dictum de actionibus humanis in specie (581. et praec.), etiam de actionibus eisdem in individuo valet ratione bonitatis, vel malitiae materialis theologicae, quae eis inest per se; non item ratione eius, quae eisdem per accidens, videlicet ratione consecuturi ex eorum occasione varii usus, vel abusus libertatis proprii vel alieni, in praesente rerum creatarum statu reipsa et cum effectu responsura est.* Primum patet ex eo, quod termini relativi etiam hic sint per hypothesin individuum semel determinatam pariter immutabiles. Alterum ex eo manifestum est, quod vel experientia teste (167. seqq.), ex actionibus simpliciter bonis reipsa saepe nascantur maxima mala abusu libertatis, et vicissim ex malis maxima bona; item ex omissione mere negative mala actionis melioris possit, velut ex occasione data, consequi abusus libertatis positive malus.

584.

*Bonitas et malitia obiectiva actionis in individuo, mere per accidens talis, nec praevideri vulgo ab homine,*

*mine; nec ratione demonstrari potest; sed a solo DEO per scientiam futurorum contingentium praescitur.* Pendet enim ab usu vario libertatis, quem tum ipse agens deinceps de sua actione individua eiusque naturalibus effectibus, tum alii de eadem facturi sunt, ad quos aliqui illius effectus pertinent.

585.

Cum nullus praescire possit ulla naturali certa ratione, quid reipsa utilitatis theologiae in ordine ad finem ultimum tum sibi, tum aliis, ratione futuri usus libertatis ex quavis individua actione, etiam per se bona, extitutum sit (praec.); DEVS autem et id sciat infallibili praescientia, et simul, ceu infinite benevolus, pro sua parte velit tum singulis, tum universis hominibus optima, id est, utilissima ad finem ultimum: idcirco *sola DEI voluntas consequens; seu per universam scientiam tum necessariam, tum contingentem determinata, qua scilicet vult DEVS aliquid boni actu a nobis fieri, aut etiam qua permittit nobis aliquid unde unde mali accidere, quocunque signo secure nobis indicata, pro norma actionum nostrarum in individuo ita servire poterit, ut voluntatis nostrae liberae actiones omnes, eidem ex integro conformatae, universe et omnimodis optimae relate ad finem ultimum evadant.* Cum enim DEI voluntas optima sit relate ad finem ultimum creationis; voluntas nostra optimae similitudine non potest non item esse optima relate ad eundem finem.

\* D. David Hume (dans l'addition I. à les Recherches sur les Principes de la Morale) concedit *meritum morale actionis humanae fundari in utilitate actionis ad bonum aliquem finem, ac iudicium de utilitate ista, ceu relatione medii ad finem, ad rationem pertinere* (in vers. Gallie. edit. Londin. 1764. pag. 170.); sed credit  
Stattler *Eth. christ. univers.* Qq simul



simul, ad hoc requiri *criterium* aliud de vera bonitate ipsius finis, ad quem utilis sit talis actio: quod ultimum *criterium* putat non posse aliud esse, quam *sensum naturalem iucundum ex bono totius humanitatis, et sensum molestum ex istius malis*; ita, ut ratio doceat diversas actionis sequelas, et humanitas (seu, ut puto, illum dicere velle, naturalis inclinatio) nos incitet ad eam, quae sit utilis et benefica. Inde pag. 175. definit *virtutem* esse quamvis actionem aut affectionem animae, quae, secundum omnes suas proprias circumstantias spectata, excitet sensationem iucundam et approbationem in iis, qui illius testes sunt. *Vitium* ait esse contrarium virtutis. Id etiam pag. 181. docet exemplis. *Quaere, inquit, ex homine, cur exercat corpus; sanitatis causa, respondebit. Si quaeras porro, cur desideret sanitatem; reponet propediem: quia morbus est status molestus. Si ultra urgeas eum quaestionibus, et interrogas, cur fugiat dolorem, seu molestiam; porro respondere nil poterit: haec enim ratio definitiva est, nec unquam actiones ulterius referre solemus. Fieri poterit, ut secundae tuae quaestioni, cur optet sanitatem, respondeat: Quia necessaria est exercendae arti meae. Si petas, quid ipsius hoc intersit; dicet: Istud mea interest; quia volo arte mea peculium lucrari. Pete porro: Cur autem hoc? Quia pecunia est commune illud medium omnium voluptatum; reponet. Ultra aliquid quaerere grande absurdum foret; quia non potest procedi in infinitum, nec semper unius desiderii aliud desiderium sine fine ratio est; sed necesse est, esse quasdam res, quas propter se ipsas amemus, et ob conformitatem, quam immediate cum sensationibus et affectionibus humanis habent. Post haec p. 183. assignat discrimen rationis et gustus istius seu sensus moralis. Ratio, inquit, suppetit nobis cognitionem veri et falsi; gustus dat sensum eius, quod pulcrum et quod deforme est, virtutis nempe et vitii. Illa nobis monstrat obiecta talia, qualia sunt, et hoc independenter a voluntate Entis Supremi: isti, cum pro basi habeat conformationem internam et organisationem animalium, non potest assignari aliud principium, quam voluntas suprema, quae cuique enti naturam illi propriam dedit, et fixit diversas classes et diversos ordines rerum existentium. Ego in dictis magnam noctem confusarum notionum, paucis, nec*

nec nisi obscuris grandium veritatum radiis interpolatam, adpercipio. Incipiamus a postremo dictis. *Verissimum* est 1.), cur res sensibiles, saltem naturales, ex. gr. lux, sonus, odor, cibus, aura lenis etc., ea voluptate sensationis mentem nostram afficiant, quam ex earum in organa sensuum externa impressionibus sentimus, a conformatione organorum nostrorum materialium esse, quam DEVS sine dubio voluntate sua tali ordine constituit. At idem *falsissimum* est de operibus artis, ex. gr. pictoriae, cum earum pulcritudinem non mera confusa sensatione externa iucunda (qualis est mera auditio musicae harmonicae), sed distincto iudicio, regulis artis distincte cognitis conformato, adpercipimus. Hoc enim in casu evidens est, relationem illam seu similitudinis picturae cum natura obiecti absentis, seu conformitatem cum regulis artis, nequaquam vi organisationis oculorum, nec quia sic voluit praecise Ens Supremum, sed quia talis reipsa est, intellectione vera, non mera sensatione externa, adpercipi et observari. Evidens ergo iam vel ex his exemplis est, non sola sensatione externa bonum iucundum, seu delectabile, percipi; multo minus sola sensatione externa verum a falso bono delectabili discerni; sed postremum solius rationis iudicio fieri posse. 2.) *Verissimum* est, finem ultimum, cuius causa quid aliud, ceu ad illum utile, appetimus, vel ceti illi noxium fugimus, semper esse vel bonum immediate per se delectabile, vel per se molestum, et primitivum affectum semper esse amorem complacentiae, vel odium displicentiae circa bonum finale, vel finale malum; qui et imperet amorem, vel odium, mediorum, aut impedimentorum talis finis (67. II. III. V. seqq.). *Verissimum* item est, sensum communem hominum, actionem humanam alicuius finis ultimi causa in certis circumstantiis factam approbantium, vel reprobantium, non inepte pro certo criterio virtutis et vitii, item verae bonitatis et malitiae talis finis ultimi, assumi. Sed *falsissimum est primo*, de bonitate et malitia talis finis aliter, quam ex solo sensu communi hominum secure iudicare rationem ipsam non posse: *falsissimum secundo*, quod sensus communis hominum, de fine tali, ac de toto merito vel demerito actionis

definiens, fit communis quaedam iucunda sensatio externa, id est, ex impressione in organa corporis exorta. *Primum* ex iis evidens est, quae de bono delectabili, puro et non puro, inde a 89. diximus: ubi ostendimus ipso facto, *demonstratione vera rationis* ostendi posse, tum quodnam unicum purum fit bonum illud, quod recte pro fine ultimo omnium actionum humanarum constituatur; tum quod omnis vera utilitas actionum humanarum, ratione cuius meritum illis morale verum et theologicum tribuatur, in aptitudine (ceu mediorum) ad illum praecise finem ultimum promovendum, qui bonum delectabile, formale, et obiectivum, purum est, unice consistat; tum quod omnis item ratio oppositi demeriti a pugna earum (ceu impedimentorum) cum eo fine repetenda sit. *Alterum* inde manifestum est; quod totum id, quod evidente demonstratione tum de fine illo ultimo ac puro bono, tum de utilitate actionum humanarum ad eundem ratiocinando distincte ostensum est, haud aliunde, quam ex confusis iisdem notionibus de *puro bono, de DEO, de humanarum actionum*, quibus creaturis varie utimur, ad illud promovendum *varia aptitudine*, meditatione et reflexione evolvimus; quae omnibus hominibus ratione utentibus vulgo iam communes sunt, et sub *sensus communis naturae* nomine veniunt; qui a ratione, adhuc confusis notionibus cogitante, non differt (Logic. 285.): nisi enim ea omnia, quae inde meditatione evolvimus, iam contenta in istis fuissent, quo pacto, quae, ea inde veluti proferre in lucem distinctioris intuitus sine fictione potuissimus? Communis ergo hominum consensus de aliqua virtute vel vitio non est communis aliqua homogenea, iucunda, vel molesta sensatio, ab organis corporeis sortita originem suam, sed est sensus communis naturae, id est, communis omnibus rationis consentiens intuitus, puri boni finalis rationem, et actionis ad illud utilitatem, etiam ex confusis utriusque notionibus, vel maxime abstractis a sensibus, saltem in casibus facilioribus iam adpercipiens: etsi nondum valens ad eandem cum evidentia demonstrandam; donec longa et subtili reflexione, et analysi omnium notionum adhuc compositarum, evolutis omnibus notis, et partialibus ratio-

nibus

nibus sufficientibus a se invicem discretis, nascatur distinctus et completus intuitus omnium rationum sufficientium veritatis, id est, evidentia, tum de finis vera ac pura iucunditate, tum de medii ad eundem utilitate. Ceterum omnis error Humii inde exortus est, quod actiones humanas non ad verum suum finem ultimum, id est, ad DEI, puri unius boni, fruitionem referre, ceu ad unicam universalem verae earum utilitatis normam, voluerit; deceptus sine dubio falsa illa Ethices idea, vi cuius passim multi in toto disciplinae istius instituto Atheis ex aequo deservire, nec solum a vita futura, sed etiam a DEO abstrahere, propositum habuere.

•• Vni obiectioni adhuc respondere oportet, quam non solum D. Hume loc. cit. n. 1. et 4. urget, sed alii quoque difficultate non carere adverterunt; quae illud Ethices principium impetitur: *ex similitudine cum DEO divinisque perfectionibus de quavis re et actione iudicandum esse, an placere et ipsa, an rectius displicere (in actu secundo libero) debeat* (559. 561.). Gratitude, *inquiunt*, unde theologice bona, et ingratitude unde mala esse ex id genus principio intelligitur, cum DEVS, uti beneficii accipiendi, sic gratitudinis incapax sit iuxta atque ingritudinis; de quibus tamen omnes conveniunt, illam in virtute, hanc in vitio ponendam esse? *Respondeo: gratitudinem esse amorem complacentiae efficacem de beneficentia praeterita eius, quem nobis bene fecisse meminimus. Iam ex hac notione, cuius omnes notae sunt essentiales, facile ostendo, expensa illa ad normam divinarum perfectionum, gratitudinem nobis placere, ingritudinem vere displicere debere, ac proin illam in virtute, hanc in vero vitio ponendam esse. DEVS infinite benevolus est, magis tamen in effectu erga eos, qui bonis actionibus moralibus sibi similes evadere in praesente vita student. Quam ergo mihi DEI bonitas placet, tam mihi aliena quaevis beneficentia quaecunque in quoscunque exhibita sic placere deberet, ut ego quoque mihi erga tales universe benevolentiam imperarem singularem. Porro DEI benevolentia in me ipsum experta amore complacentiae efficaciore mihi placere debet*

debet prae ea, quam scio aliis creaturis rationalibus exhibitam: quia ex sensu proprio eius praesentiae vivaciorem illius intuitum ex opposito contrarii, id est, ex sensu intimo propriae miseriae meae habeo, qui intuitus per se movet potentius ad affectum complacentiae efficaciter imperantem DEI laudes et quascunque actiones, DEO benefactori acceptas, prae sensu et notitia, quam de beneficiis divinis, in alios exhibitis, habemus. Ergo si DEVS mihi beneficus tanto efficacius placet prae DEO in alios benefico; etiam homo mihi beneficus, DEO in ea parte similis, in qua DEVS mihi praecipue placet, praecipuo quodam modo prae aliis hominibus, quos aliis a me benefecisse item scio, praecipuo quodam modo efficaci amore complacentiae mihi placere deberet. Quodsi non fit hoc; indicium est, quod nec DEVS ex eo loco mihi satis placeat, quo et ipse sibi maxime placet, et quo mihi sensibilius prae ceteris placere deberet. Ceterum beneficii mutui actualis subtractio erga benefactorem solum effectus est deficientis gratitudinis, ceu deficientis causae. Porro ex hac explicatione intelliges aequae facile, quo pacto etiam non cogitando de DEO, tamen omnes universe ab ingratitude, ceu a turpi vitio, abhorreant; quia scilicet est voluntaria omisso benevolentiae talis, cuius maxime vivacia quis motiva habere noscitur: ex quo colligimus, id genus hominem universe parum aliorum miseris et fortuna affici; cum ne tum quidem ea moveatur, cum vivacissime ad hoc impellitur: quo simul pacto utique DEO summe dissimilis esse noscitur.

586.

I. Ex dictis in thesi praec. patet, *ad commune summum bonum totius humani generis tum huius, tum futurae vitae, summe optabile esse, imo necessarium, ut DEVS circa multas actiones in specie et individuo nobis voluntatem suam optimam revelet, quid videlicet pro omniscientia sua ipse velit, ceu optimum, a nobis tum universis, tum aliquando etiam in particulari fieri: atque hoc est fundamentum omnis legis positivae circa mores versantis* (399.).

II. Quin

II. *Quin imo, cum sensus communis naturae non nisi ad generalia facilioraque morum principia, non item ad complicatiores morum regulas se extendat, experientia teste; demonstrationis autem nec copia ante hanc aetatem, nec hodieum in plerisque capacitas suppetat: divina quoque revelatio et magisterium altius eo quoque nomine ad maius commune bonum maxime erat necessarium, ut eius ope de naturalibus quoque morum regulis circa actiones diversas, etiam in specie tales, auctoritate divina facilius edoceremur.*

\* Atque isthic iam Ethices Christianae praerogativa summaque excellentia se clara in luce ostendat. Non sola demonstrativa ratione, etiam in sophismata interdum deslectente, non obscuro sensu naturae, sed divino ipsius Christi Magisterio, et S. Spiritus regentis continuo Ecclesiam suam, regimur in certa quavis notitia regularum, secundum quas conformare ad optimum finem mores nostros debeamus.

587.

*Est itaque fons proprius Christianae Ethicae, quae talis, divina Christi Domini institutio, SS. Scripturis consignata, et ore tenus a Doctores in Ecclesia continua inde ab Apostolis successione sic propagata, ut, quo minus isti seu in tradenda Christi doctrina, sive in explicanda divina illius scriptura, errare, aut quemquam decipere possint, obset infallibile criterium veritatis; quod suppetit in Ecclesiae, a S. Spiritu in hoc directae, atque ideo falli nesciae, authentica, solenni, et publica declaratione.*

\* Liceat hic mihi quaerere ex quovis homine non Catholico: Quaeso; cur ergo Lutero potius, vel Calvino credam, quam cuivis Theologo Catholico; si quaestio est, utrum illa regula morum de fide in Christum salvante omnes sine alio quovis medio salutis, de operibus bonis ceteris ad salutem non neces-

Qq 4

fariis

fariis etc., in SS. Scripturis extet revera, nec ne: utrum matrimonium Christianum consummatum sit dissolubile ulla re alia, quam morte alterutrius coniugis etc. etc.; quae sunt quaestiones morum, cum bono etiam Status Politici maxime connexae. Scio, neminem non catholicum mihi ad hoc probabile quid respondere posse. At catholicus in promptu habet responsum, videlicet, nulli privato homini in hoc credendum esse, nec tuto credi posse; sed declarationi Ecclesiae, a Spiritu Sancto directae, ut credamus, etiam nos obligari; atque unice quidem obligari posse, ut illi credamus. Iam vero an non opus est denique tali criterio, et infallibili, et omnium usibus facile accommodato? Aut num aliud simile in promptu alibi est uspiam; quo et docti regantur, ne aberrant in suis demonstrationibus, et indocti sine doli periculo in omni necessitate apte ad ipsorum captum instruantur? *Potuit* certe *dare* id genus criterium Christus Dominus, bonus Pastor, ovibus suis universis; *voluit*, quia necessaria istis providere pro infinita sua benevolentia non omisit; *dedit* actu, quia promisit; quia obligavit omnes, ut Ecclesiam audirent: nusquam autem obligavit, ut hunc hominem privatum prae alio audirent.

\*\* Vide insuper in der allgemeinen kathol. christl. Sittenlehre für die obersten Schulen &c. im ersten Theile, sechsten Unterrichte, haec ipsa criteria moralitatis actionum humanarum singillatim contra Kantium ex his ipsis principiis vindicata.



CAPUT III.

AN POSSIT DARI IN ALIQUO HOMINE RATIONIS  
SUFFICIENTE VSV POLLENTE INVINCIBILIS IGNO-  
RANTIA REGULARVM MORALIVM; ET AN ETIAM  
ALICVIUS LEGIS DIVINAE ACTV IPSUM OBLIGAN-  
TIS, SEV NATVRALIS, SEV POSITIVAE.

588.

**Q**uoniam per 483. ignorantia invincibilis non est, nisi talis defectus certae notitiae alicuius veritatis, qui oritur a defectu seu facultatis cognoscendi, seu facultatis appetendi notitiam talis veritatis: hinc quaestio 1.) *hic est, an homini, actionem aliquam individuum actu libere committenti, deesse possit seu facultas certo cognoscendi malitiam theologiam eius actionis, id est, regulam moralem, qua illa enuntiatur (3.), seu facultas eam notitiam certam appetendi.* 2.) *Quaeritur, an etiam homini, actu lege divina obligato ad aliquam actionem committendam, vel omittendam, deesse possit seu facultas eam legem certo cognoscendi, seu facultas illius certam notitiam appetendi.*

589.

*Evidens est, posse hominem invincibili ignorantia ignorare aliquam circumstantiam individuam, propter quam actio in specie non mala, reipsa sit materialiter mala; atque adeo etiam in eo casu potest invincibili ignorantia materialis malitiae actionis individuae laborare.* Sic ex. gr. Genes. XXIX. Iacob ignoravit, Rachaeli uxori suae, actu sibi desponsatae, a Labano clam suppositam fuisse in cubiliam nondum sibi nuptam. Deerat enim Iacobo facultas appetendi notitiam istius facti, eo quod

Q q 5

nulla



nulla oborta ei suspicio id genus fraudis fuerat; ac proinde hoc ipso deerat facultas proxima veritatem certo cognoscendi.

590.

*Evidens est, non posse hominem, usu rationis recto pollentem, invincibili ignorantia diu ignorare, uti prima principia naturalis religionis, de existentia videlicet DEI, ceu entis infinite perfecti, omnia creantis et summa sapientia et bonitate gubernantis, ita nec primas maximeque generales regulas morum, ex. gr. DEO honorem summum habendum esse, ab eo bona quaevis esse speranda, benevole esse agendum cum omni homine, nulli male faciendum etc.* Sensus enim communis naturae ex confusis etiam boni, et mali theologici notionibus regulas istas facillime animadvertit; et DEUS, pro sua suavi Providentia, prima ista summeque necessaria media salutis omnibus suppeditat, hoc ipso, quod per viam moralis meriti adultos homines, rationis usu a se eo fine instructos, ad beatitudinis praemium pervenire serio velit; id quod sine ulla regularum moralium notitia possibile non esse, per se evidens est.

591.

*Vires naturalis acuminis non sufficiunt vulgo in quovis homine ad certam notitiam omnium regularum moralium de bonitate, malitia, vel indifferentia theologica cuiusvis actionis humanae lib-rae in specie et individuo, sibi comparandam.* Neque enim demonstrationis via ad scientiam tam completam huc usque vel acutissimus quispiam ex universis hominibus pervenit; aut nominetur aliquis, si potest: nec eadem via aequis passibus cum doctissimis quibusque incedere vulgus hominum absolute ca-  
pax

pax est: nec *sensus naturae* communis omnibus ultra prima facillimaque principia proficit, aut proficere potest, ex solis confusis notionibus *tum* perfectionum divinarum, ad quas referre actiones oportet, ut moralitas earum theologica cognoscatur, *tum* ipsarum actionum, quarum ad illas relatio morum regulis enuntianda est: nec *gusu* solo aut *sensatione externa* ad hanc notitiam perveniri potest (579.): nec denique alia facultas, aut criterium naturale ad hoc suppetit. Ergo &c. &c.

\* Controversiae de moralitate variarum actionum, quae summa collifere ingenia, evidentis experimenti loco pro contestanda thesi ista servire possunt. S. Thomas et S. Bonaventura pluribus in morum regulis statuendis sibi contradixere; puta: an malum sit, a ludice occidi reum publice convictum, sed cuius illi comperta clam innocentia est: an post commissum peccatum liceat ad tempus poenitentiam differre &c. &c. De matrimonio inter fratrem et sororem, de praescriptione iure naturae transferente dominium, de variis usurae speciebus, summi Viri in opposita utrinque acie stant. Taceo exempla lapsuum nimis quam frequentia in doctissimis cetera Viris, quae tot censuras Romanas provocarunt. Iam si doctis acumen non suffecit; quid de rudibus statuendum?

592.

*DEUS* etiam summe benevolus erga creaturas racionales, ac serio volens salutem omnium, non tamen idcirco vi sua um perfectionum ulla tenetur necessitate, ut velit (voluntate seu antecedente, seu consequente ad universam suam scientiam de futuris contingentibus conditionatis) omnibus hominibus, ratione utentibus, in omni occasione eliciendi actus alicuius liberi semper procurare certam notitiam regulae genuinae moralis de bonitate vel malitia theologica talis actus. *DEUS* enim vi summae suae benevolentiae non teneur ulla

ulla necessitate, ut alia conferat hominibus quibuscunque media, seu ex parte intellectus, seu ex parte voluntatis, nisi quae et quanta aut absolute ad finem ultimum, id est, beatitudinem respectu singulorum sunt necessaria, aut quae singillatim praevidentur reipsa fore profutura sive ad augendum beandorum numerum, sive ad augendum ipsum gradum totius boni communis electorum. Atqui DEUS per scientiam possibilium, qua regitur voluntas antecedens, praevidet, notitiam omnium regularum moralium pro quovis casu non esse medium necessarium ad cuiuscunque hominis salutem; siquidem ad hoc sufficit bene agere moraliter tunc, quoties quis eam notitiam habuerit; tum vero per eandem scientiam iam praevidit, fieri posse, ut non omnis notitia regularum profit ad hunc finem, sed aliqua ob abusum libertatis hominum potius fieri per accidens possit occasio ad maiorem perniciem: per scientiam vero, qua praevidet actus liberos conditionate futuros in quavis singulari hypothese collatae reipsa notitiae cuiusque regulae moralis, praevidit actu, non profuturam *tunc saltem*, quoties, praelucente etiam actu ea certa notitia regularum moralium de bonitate necessaria, vel malitia positiva theologica actionum praevidit, non solum quemlibet hominem in particulari ea abusum ad contemptum DEI practicum (qui sine illa notitia possibilis non foret), atque inde ex nimis saepe frequentatis actibus talium abusum contracturum multo maiorem pravum habitum, quo potentior multo evasura esset necessitas moralis ad malum, ita, ut per istam deinceps abstrahendus foret a bonis actibus, quos sine isto pravorum habituum incremento eliciturus praevidebatur; sed nec inde in salutem aliorum aliud redundaturum

daturum esse, nisi ut, exaucta ultra omnem modum unius malitia theologica, alii quoque eius tum pravis exemplis, tum infectationibus, in salutis periculum cum certa iactura summi communis boni essent adducendi. Ergo, sive spectetur scientia determinans antecedentem, sive determinans consequentem voluntatem DEI, DEUS vi suae benevolentiae infinitae nullo pacto tenetur aliqua necessitate largiendi omnibus in omni occasione certam notitiam de regulis moralibus &c. &c.

\* *Neque dicas*, DEUM, negando istam notitiam saepenumero, non satis consulere felicitati generis humani in praesente vita. Nam *respondeo*: Omnia bona et mala physica istius vitae decernuntur, vel permittuntur a DEO cum subordinatione ad maius bonum vitae futurae: eadem ergo sapientia et bonitate, qua permittit alia mala physica, ceu media per accidens futura, et a se praevisa, maioris boni in vita futura, etiam ignorantiam multarum regularum moralium, ceu item futurum medium per accidens talis maioris boni, permittit. Defectus itaque, sed mere physicus, non moralis, hominis est talis ignorantia; sed permixtus a DEO non ex defectu aliquo seu potentiae, seu sapientiae, seu bonitatis, sed ex summe amabili arcana dispositione, seu permissione, infinitae bonitatis. Ceterum in hoc ipso principio rationem divinae Sapientiae latere existimo totius obscuritatis etiam ipsarum divinarum Scripturarum; quam dispergi Ecclesiae suae apertioribus oraculis non nisi successivis illis intervallis praeordinavit, queis id genus notitiam maiori electorum saluti atque gloriae deservituram praeviderat.

593.

*Neque ex SS. Scripturis, neque ex oraculis Ecclesiae, neque ex alia quavis humana institutione omnium regularum moralium certa notitia a quovis homine obtineri potest.* Ut enim nil dicam de obscuritate *SS. Scripturarum*; quid proderunt illis, qui

qui nec viderunt eas unquam, neque, si viderent, defectu institutionis legere quidem eas possent? Aut quis dixerit, omnes morum regulas in SS. Scripturis contineri? De *Ecclesiae oraculis* idem paene valeat: constat enim, non nisi per secula pedetentim edita esse, nec omnes morum regulas illis explicatas adhuc fuisse; et ne singulis quidem Theologis omnia singillatim saepe satis esse perspecta. *De humana institutione* quid dicam? Quotusquisque est, qui tam plenam institutionem unquam, ne dicam, acceperit, sed vel potuerit ab homine excipere? Itaque nec ex SS. Scripturis &c. &c.

## 594.

*I. Igitur non solum possibilis est, sed necessitate physica, spectatis naturae viribus, datur, et quidem (quod ex demonstratione 592. patet) ex amabili divinae providentiae permissione datur, multarum regularum moralium, etiam per se demonstrabilium, id est, ad Ethicam mere philosophicam pertinentium, sed a primis principiis non nisi concatenatis ratiociniis intermediis inferendarum, invincibilis ignorantia.*

*II. Lex DEI naturalis, praecipiens actiones bonas, aut prohibens malas, quarum bonitatem, aut istius necessitatem, aut quarum malitiam fundamentalem theologiam homo tunc, cum eas actiones omittit, vel committit, sic ignorat, ut ne quidem de ea dubitet, et hoc invincibili modo ignorantiae, ea, inquam lex naturalis, nec dari, nec ratione naturali cognosci potest. Non enim potest dari, nisi data, nec potest cognosci ratione naturali, nisi cognita eius ratione sufficiente. Atqui ratio sufficiens partialis existentiae omnis legis naturalis est actionis bonitas necessaria, vel malitia positiva theologica, non mere materia-*

terialis, sed *formalis* (358. 379. IV.), qualis in dicta hypothese nullo pacto datur, nec dari potest (305.): principium vero sciendi seu cognoscendi legem DEI, seu gravem, seu levem, non est, nisi cognitio certa eius bonitatis vel malitiae materialis theologicae (416. IV. V. 565. I. III.). Ergo &c. &c.

*III. Itaque nec DEUS actu praecipit omnes actiones bonas, quarum ommissio, nec prohibet actu omnes actiones malas, quarum commissio, est solum materialiter theologice mala; sed illas solummodo actiones praecipit, quarum bonitatis ac necessitatis, et illas solummodo prohibet, quarum malitiae theologicae positivae, sufficientem notitiam homo actu habet, dum illas omittit actu, et istas committit: id est; DEUS lege naturali prohibet omnes et solas actiones et omissiones liberas formaliter theologice malas.*

*IV. Itaque non datur ignorantia invincibilis ullius legis naturalis, imo nec positivae legis ullius divinae, actu existentis, in eo, respectu cuius existit. Vel enim habet sufficientem notitiam bonitatis vel malitiae fundamentalis actionis, tali lege naturali praecipienda, aut prohibenda, vel non habet? Si habet, ratione naturali etiam certo dabitur et cognoscetur ab eo lex divina naturalis (357. 358.). Si non habet; quaero porro: An saltem libere potest acquirere, vel non? Si potest; ignorantia est vincibilis: si non potest; nec dabitur respectu eius lex naturalis (Cor. II.); nec proin ignorari poterit: quod primum. Idem valet de lege positiva, quam si quis ignoret invincibili ignorantia; ex dictis de promulgatione legis, ac lege subiectiva (344. 346.), evidens est, respectu talis non existere legem etiam positivam divinam: quod est alterum.*

\* Qui

\* Qui *existentiam legis* divinae, vel cuiuscunque legis alterius, aut obligationis, respectu alicuius individui singillatim, coniungi posse existimant cum invincibili ignorantia istius, distincta profecto legis notione carent, ac legem in abstracto, aut in scriptis, aut ubique demum existere extra mentem eius hominis posse supponunt, quem obligat. At enim *lex subiectiva* non est, nisi certa notitia subditi de actuali efficaci voluntate Superioris, qua iste velit aliquid a se fieri sub interminatione poenarum respective gravium, nisi obtemperetur (344. I. 341.); quem effectum nisi habeat *lex obiectiva*, reipsa non existit. Quod ergo de obligatione in actu primo et secundo olim assertum est, cum notionibus distinctis componi non potest; nec sane, cuius solum actus primus existit, isque necessario incompletus (secus enim actus secundus abesse non posset), id reipsa existere adhuc simpliciter non potest. Vide sis has notiones legis et obligationis, cum ignorantia impossibiles, iam expressas a Celebris Gersonne in Lib. de *Vita spirituali animae*. Edit. Paris. 1606. Lect. 2. col. 176.

\*\* Ex huc usque dictis facile ipse intelliges, evanescere ultro plerasque *obiectiones*, quae contra thesin ignorantiae invincibilis legum divinarum vulgo fiebant. Nam 1.) vere (ut divina Scriptura eam tam saepe compellat in in Psalmo praesertim CXVIII.) *lux, lucerna, lumen* est omnis lex DEI actu existens, quod abscondi non potest ab eo, quem obligat, nec deest cuiquam, quantum necessaria est ad eius salutem, vel ad maius commune bonum. 2.) Quodsi cui deest lex ista, in procinctu ad actionem materialiter malam existenti; deest, quia infirmitati eius et lapsui praeviso cavet DEUS misericors; cum sine communis boni praeiudicio, et salva tamen quoad substantiam libertate eius privatae salutis, id facere potest; imo non raro maius bonum commune a DEO Optimo Maximo id expetit: quo casu per accidens melior est ignorantia, quam scientia; sicut per accidens melius est, esse quaedam mala in praesente vitae statu, quam nulla. 3.) Tam parum DEUS *absolute* promissit, etiam orantibus, quod eos velit liberare ab omni ignorantia regularum quarundam moralium per  
auxi-

auxilium gratiae suae (id est, earum quoque, quae ad prima principia et media salutis necessaria non pertinent), quam parum promittit *absolute*, quod ad instantiam precum nostrarum nos velit liberare ab aliis malis physicis, quae praevidet, fore per accidens causas maioris humanae salutis: sed solum promittit sub conditione, se nos recte orantes liberaturum ab omnibus malis physicis, ac proinde et ab ignorantibus, quae majori nostro privato, et communi bono aeterno, obstitura praevideat. Atque ista est cogitatio illa, quae consolari debet et potest praesertim eos, qui sub potestate et obedientia vivunt eorum, qui prudentia aut doctrina minus instructi videntur. Secus si esset; profecto omnes SS. Patres et Doctores neglectae debitae orationis et vincibilis ignorantiae accusare oporteret; quorum ego nullum novi, qui non aliquando in aliqua, seu fidei, seu morum, regula aut errans, aut ignorans fuerit. 4.) Neque tamen ex hoc sequitur, ignorantiam naturalem (594.) regularum moralium aut non esse malum, physicum scilicet, aut in praesente statu non recte dici a S. Augustino *peccatum*; quatenus nempe (sicuti concupiscentia) etiam in iam renatis est residuus quidam peccati Protoparentum nostrorum negativus effectus, atque simul natura sua nobis est *per se* occasio multorum peccatorum theologice talium; in quantum ob difficultatem eam vicendi saepissime etiam libere in ea persistimus tunc, quando ob cognitam probe necessitatem notitiae certarum regularum moralium facultate istam appetendi non caremus, nec destituimur facultate physica eam, seu diligentiore deliberatione et examine proprio, seu doctiorum, aut Ecclesiae Pastorum consultatione, cognoscendi; id est, quando vinci ignorantia illa et posset, et deberet (483.). Quo sensu tamen ignorantiam naturalem (id est, eam, quae nobis modo, naturali necessitate initio inest antecedenter ad hoc, ut vel vincatur a nobis actu, aut vinci posse consideretur) S. Augustinus *peccatum* dixerit, quodve per se solam non constituere peccatum theologicum, aut in poenam imputandum existimarit; nisi tunc, cum libere negligimus eam vincere, cum vincere eam deberemus, seu cum lege nos obligari ad eam vincendam non ignoramus; ab-



unde patet ex dictis supra 503. nott. 535. n. 3. 554. not. 2. ad 4. et ad 5. Falsum porro est, quod S. Augustinus in L. I. Retract. C. 13. et 14. revocarit ea, quae de ignorantia invincibili dixerat L. III. de Lib. Arbit. C. 19. Dicit quidem in cit. Capp. Retract., peccatum, quod fit solum voluntate facti, non voluntate peccati, a nesciente, esse peccatum; sed non intelligit, nisi materiale. Ceterum, sicut absurde quis negaret, mala physica huius vitae idcirco per se mala non esse, vel non dari obligationem ad ea tum a nobis, tum ab aliis removenda; quia DEUS amabili providentia ad maius bonum nostrum ea permittit, et saepe nobis omnem facultatem subtrahit ea removendi: ita aequè absurdum foret, ob similem rationem negare, ignorantiam quamcunque per se malam esse, aut peccati primi effectum poenalem esse posse; item erroneae morum doctrinae auctores arcendos esse etc. 5.) Nec obstat, quod veteres Theologi valde commuiter, post editum sub Eugenio III. Pontifice Decretum Gratiani, ex huius Dist. I. docuerint, ignorantiam iuris naturae non excusare a peccato, eo quod invincibilis ea nunquam sit. Alii enim cum Guilelmo Parisiensi in Tract. de Legibus istud inferebant ex male applicato illo principio: *Faciendi, quod est in se, DEUS non denegat gratiam*; ex quo sequeretur, sanctos omnes illos Doctores peccasse, et hodie dum peccare omnes, qui docendo, vel in praxi, errant circa Ius Naturae; imo vi consequentiae eiusdem, tam liberaliter semel ad totum Ius Naturae extensae, aequè inferri posset, nullam posse esse invincibilem ignorantiam ullius etiam legis positivae; siquidem haec aequè morum regula est, et a DEO observari praecipitur, atque lex naturae. Alii cum SS. Thoma, Bonaventura, Alberto M., non nisi prima ad principia morum Ius Naturae universum contraxere: qua notione semel assumpta, rectissime dixere, ius naturae invincibiliter ignorari non posse. Hoc ita esse revera, leges in Dissert. P. Daniel S. I. de ignorantiae peccatis. §. VII. & seqq. Ceterum *invincibilem omnem ignorantiam a peccato excusare, communissime omnes veteres Theologi tenuere*, fatente vel ipso Iansenio Lib. II. de Statu naturae corruptae Cap. II.; qui tamen a veteribus omnibus recedit, tum fatendo, dari ignorantiam invincibilem

lem iuris etiam naturae, tum nihilominus asserendo, eam non excusare a peccato, in poenam aeternam imputando, quia est effectus originalis peccati. Vide illum loc. cit. et seqq. Capitibus usque ad VII. 6.) Denique illi, qui incuria salutis, inveteratis consuetudinibus, et pravis affectibus diu productis, laborant, non tam facile credendi sunt invincibili ignorantia regularum moralium de malitia suarum actionum laborare; sed potius ad eas seu inconsiderantias, seu praecipitantias, istiusmodi ignorantia pertinet, quarum a prava libera voluntate originem 447. not. 465. III. 466. explicavi.

595.

*Circa regulas morum etiam error positivus possibilis est, qui nec vinci, nec prudenter vitari possit (494.); id est, potest quis invincibili errore pro certo credere, actionem, quae revera materialiter mala est, esse theologice bonam et necessariam ad finem ultimum; et eam, quae revera est materialiter bona, esse theologice malam.* Quodsi enim homo rudis in plurimis regulis morum ignorantia invincibili laborare per proprias vires rationis possit; prudentiae consilium ei dictat, ut ab aliis melius doctis circa eas instrui se patiat, suumque assensum eorum institutioni tamdiu praebeat; quamdiu prudens fraudulentæ deceptionis suspicio non suppetit. Fieri ergo poterit, ut a falso doctore citra suspicionem inducatur in errorem, quem proin nec vincere, nec prudenter vitare poterit. *Adde,* ipsos doctos, si vel unius exceptionis a generali regula invincibili ignorantia laborent, necessitate certa ruere in errorem, uti improvisum penitus, ita invincibilem; quamprimum generalem morum regulam ad casum illum particularem applicabunt, in quo exceptio illa (ex. gr. ob individuantem circumstantiam vulgo non apprehensam)

R r 2

fam)

sam) locum habet: item cum actionis alicuius notione satis completa et sufficienter determinata destituuntur.

\* Sic profecto tunc, cum duo sibi directe circa eandem regulam contradixere, alteruter eorum non ignorare solum, sed errare potuit invincibili errore, ex. gr. in quaestione, an liceat publice convictum innocentem occidere iudici, qui eius innocentiam compertam habet; siquidem negativa sententia vera sit, uti hodie communius docetur.

596.

*Quoties quis seu errore, seu ex vero, pro certo habet, actionem aliquam vel esse ita bonam, ut sit necessaria ad finem ultimum, vel theologice positive malam; toties reipsa datur vera lex DEI praecipiens in priore, et prohibens actionem in posteriore hypothesis. Nam in id genus hypothesis actio sine contemptu DEI practico omitti in priore, et committi in posteriore casu absolute non potest. Ergo talis omisio et commissio actionis, in individuo spectata, id est, sub determinatione illi intrinseca contemptus DEI, natura sua pugnat cum fine ultimo, atque etiam materialiter theologice mala est; ac proinde lege DEI proscribi, ceq̄ revera formaliter et materialiter theologice mala, debet (357. 358.)*

\* De lege prohibente extat in tali casu authentica declaratio, facta per Apostolum ad Rom. XIV., ubi ait, nullos nunc in lege nova esse cibos immundos, nisi respectu eius, qui ex errore iudicat, aliquem cibum esse immundum; de quo versu ult. pronuntiat: *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est.*

597.

*I. Itaque obiectum universe et ratio sufficiens obiectiva omnis legis divinae naturalis praecipientis est  
omnis*

*omnis et sola formalis necessaria bonitas theologica; respectu vero omnis legis divinae naturalis prohibentis omnis et sola formalis malitia theologica liberae actionis humanae (594. III. praec.).*

*II. Etsi possit dari lex et obligatio humana falsa, nulla tamen potest dari falsa lex et obligatio divina (337. 338.): quia sine sufficiente ac certa notitia bonitatis necessariae et malitiae theologicae obiectivae obligatio et lex divina nec cognoscitur, nec datur: cum istius autem certa opinione semper lex DEI vera coexistit (praec.). Ex adverso ex eo, quod ego falso putem, legislatorem humanum lege quid praecipere, non sequitur, legem etiam humanam actu dari; cum legislatoris humani providentia ad inspicienda mentis subditorum intima non pertingat, nec de his iudicet, sicuti tamen iudicat DEVS.*

\* *Oppones, tali modo DEVM saepe praeceptorum actionem intrinsece malam, eiusque ipsum futurum auctorem, e. g. mendacii, quod quis falso putat ex caritate erga alium hominem necessario esse dicendum. Resp. negando sequelam. Ea in hypothese actio complete determinata simpliciter bona est, quia nullo pacto contraria est, sed potius ita consentiens cum fine ultimo, ut omitti sine disensione ab isto non posset. Nec obstat, e. g. mendacium in specie esse intrinsece simpliciter malum: differt enim tota specie mendacium, cum certa opinione bonitatis theologicae necessariae prolatum, a mendacio formaliter malo; nec est ulla actio creata, cui non aliquid insit mali, quin tamen id obstat, quo minus simpliciter bonae esse quam plurimae possint (293. not. ). Sic homicidium innocentis specie differt ab occisione iniusti vitae nostrae aggressoris; illud malum, haec etiam bona esse potest, etsi non nisi quibusdam determinationibus, ex diversis motivis ortis, differant. Atqui etiam mendacium formale a mendacio, quod ex erronea opinione necessitatis et bonitatis eius theologicae profertur,*

similibus determinationibus inter se differunt intrinsece. DEVS itaque esse potest, et actu auctor est non mendacii formalis, et formaliter mali, sed actus, ab isto specie diversi, et formaliter ac in sua speciei tota etiam materialiter boni; quem sive adhuc mendacium dicas, sive non, nihil inde indecentiae in DEVM redundabit: sicut nec ex eo, quod DEVS lege praecipiat Principibus, ut occidi iubeant reos gravium criminum; etsi homicidium in suo genere malum sit.

*III. Unde actio, quae, separata ab errore, theologice materialiter mala est, ex hypothesi erroris invincibilis, quo creditur esse bona, reipsa, uti formaliter bona est, et ex toto bona est; quatenus est voluntaria: sic et rationem totam meriti theologici moralis in se continet, si modo bonitas eius theologica existimata directe intendatur.* Continet enim DEI practicam honorationem, et refertur actu ad finem ultimum, et voluntariam eatenus cum divinis perfectionibus similitudinem reipsa habet. Ergo per 318. I. etc. etc.

**\*\* Neque dicas, 1.)** malum oriri et dici in actionibus liberis ex quolibet defectu; bonum non nisi ex integra, ut aiunt, causa. *Nam* hoc axioma non potest ex vero intelligi, nisi de tota et complete determinata actione in ratione voluntariae. Atqui talis actio, ut sic determinata, id est, ut substans tali cognitioni et talibus motivis, et quoad voluntaria est, simpliciter bona est; etsi non omni malo mere materiali, nec voluntario careat (293. not.). **2.)** *Nec obstat,* quod regula morum, seu speculativum dictamen de bonitate obiectiva, sit falsum; *quia* verum tamen est, et supernaturale esse potest dictamen practicum, proponens consilium, vel legem DEI, de ponenda actione (407. VII.). **3.)** *Si quaeras,* an saltem talis actio non sit peccatum materiale; *respondeo,* esse tale, quia hoc non est nisi actio, quae, si vero dictamine primo cognoscatur, a DEO lege prohibetur. **4.)** *Quodsi* illud offendat aliquem, quod sic lex divina ad existendum, vel non existendum, determinari videatur

a no-

a nostris erroribus et ignorantibus; nota, universe illam logice a circumstantiis, et saepissime etiam a moraliter malis actibus, pendere. Sic plurima DEVS praecipit non nisi ex hypothesi iam existentis alicuius peccati theologicis libere commissi, uti actus poenitentiae, restitutionis damni iniuste dati etc. 5.) Nec tamen propterea erronea nostra prima dictamina DEO sunt regulae ferendae legis; sed DEI sapientia vero consilio dictans DEO, actionem, in ea hypothesi ab homine omittendam vel committendam, non posse non esse intrinsece formaliter malam, DEI legem physice determinat: sicuti etiam actio talis ipsa non ob conformitatem cum primo dictamine falso, sed ob consensum cum secundo dictamine, uti legem DEI, sic regulam divinae legi obiectivae intrinsecam, seu ipsum divinae sapientiae consilium repraesentante, materialiter et formaliter bona est: quam quidem divinae sapientiae regulam vero iudicio cognoscit, etsi ignoret, illam praecise ex hypothesi erronei sui dictaminis primi existere.

\*\*\* Ex huc usque dictis ultro colliges, rursus per se illam divisionem legis divinae in antecedentem et consequentem. Dicebant vero, Terillo Duce, Probabilistae vulgo, legem antecedentem esse eam, qua DEVS praecipit, aut prohibet actiones, prout illae, veluti abstractae a nostris dictaminibus primis, ab eo cognoscuntur esse bonae, vel malae: legem consequentem vero esse, qua DEVS easdem actiones, iam spectatas in individuo sub novis determinationibus praecedentis erronei dictaminis primi de earum bonitate vel malitia theologica, praecipit, vel prohibet; prout eas sub hac nova individua determinatione praevidet esse bonas, aut malas. Iam vero, sive dicas, legem antecedentem cum aliis esse solum conditionatam, id est, latam sub conditione, si homo vero dictamine primo cognoscat moralitatem obiectivam seu materiale actionis; sive cum aliis dicas, esse solum simplicem velleitatem, quae, ob praescientiam nostrae ignorantiae, vel erroris, continuo intervenientem, omnino inefficax est: neuter ex his duobus conceptibus congruit cum genuino conceptu verae legis divinae obiectivae. Nam impi-

*mis infinita DEI sapientia et scientia, DEO simul intime praesens, ac praelucens, obstat; quo minus DEUS quid solum aut conditionate decernat, aut actiones mere in abstracto lege praecipiat, aut prohibeat: quorum enim otiosae id genus leges spectarent, quae circa actiones versarentur, quae nusquam existerent: sed potius DEUS iubet, et vetat, non nisi actiones, sub individuis circumstantiis omnimode determinatas, atque ita perfecta scientia plene a se praevisas; ac proinde omnes verae DEI leges sunt consequentes, nulla antecedens. Deinde omnis lex DEI obiectiva est voluntas DEI actualis efficax; qua vult actionem fieri, poenis intentatis executionem urgere, atque idcirco hoc ipsum homini significare (340.): unde etiam semper ei, tanquam attributum et necessarius effectus, respondet sui promulgatio, et lex subiectiva, in subditi intellectu ad existendum determinata (344. 345. 346.). Interim tota lis ex minus recto usu vocis exorta est; quin ad substantiam pertineret. Quam enim Probabilistae dicebant legem consequentem ex eo, quod actiones, quae praecise ob determinationes, ex nostris circa earum moralitatem obiectivam erroribus eis advenientes, bonae vel malae essent, praeciperet, vel vetaret; hanc omnes admittere debent, quidquid circa Probabilismum sentiant; atque insuper, si rite loqui velint, et distinctis de lege DEI notionibus inaedificare, tenere debent, omnes DEI leges esse mere consequentes, id est, non latas a DEO, nisi voluntate efficaci, nec nisi praelucente completa scientia, et completa notione praecipienda aut vetanda in individuo actionis. Iuxta omnes enim saltem tunc DEUS vera et efficaci lege prohibet actionem, etiam materialiter in specie sua bonam, illi, qui erroneo iudicio certo credit esse malam. Atqui de lege consequente, quod eam Probabilistae adstruerent, rigidioribus Doctoribus pugna cum istis erat, acrior profecto, quam rei momentum exigeret: quippe qua tota penitus omisa, neutra pars vel lucratur quidpiam, vel amittit.*

598.

I. Ex his porro inferes: *Lex DEI naturalis eatenus est universalis et immutabilis, quatenus in omni homine et semper prohibet actiones formaliter theologice malas, et praecipit formaliter theologice bonas simul ac necessarias ad finem ultimum (praec. I.).*

II. *Omnis lex DEI est absoluta, nulla hypothetica per se ipsam; etsi hypothetica dici recte possit obiective seu respectu obiecti praecepti, vel vetiti. Voluntas enim DEI praecipiens, aut vetans semper absolute efficax est respectu actionis omnimodis determinatae: inde tamen hoc ipso, nisi omnia ea in hypothese determinata actio concipiatur, ea ad obiectum legis DEI non pertinebit.*

\* *Quaeres, an eadem actio possit esse bona et mala simpliciter. Resp. Si sit actio composita ex pluribus, potest; secus non potest (294. I.). Vel enim actio primitiva et imperans spectatur, vel imperata, e. g. in oratione simul imperata a vana gloria, et ab intentione colendi DEVM; vel in oratione, distractionibus voluntariis mixta? Si primitiva, nempe intentio duplex; haec partibus disparatis constat, ac proinde una bona, altera mala esse potest, sine prioris vitio: porro imperata, qua talis, uti non propriam libertatem, cum mediate solum libera, ita nec propriam bonitatem moralem, ab imperantis moralitate diversam, habet. Quodsi ponas orationem, voluntariis distractionibus mixtam, sed de cetero a sola intentione cultus DEI imperatam; attentio et distractio erunt disparatae actiones, illa ab intentione orandi, haec ab alio affectu, curiositate nimirum, imperabitur: ergo illa bona, haec mala erit.*





## SECTIO IV.

### DE CVRA NECESSARIA BONAE CONSCIENTIAE.

---

#### CAPVT I.

##### DE SECVRITATE NECESSARIA AD CONSCIEN- TIAM BONAM.

599.

**C**onscientia in genere est ille intuitus mentis, quo relationes identitatis et discriminis rerum adpercipit. In *Ethica* vero conscientia velut *antonomastice* dicitur intuitus seu iudicium de bona vel mala moralitate propriae nostrae actionis vel omissionis. Vocatur *antecedens*, vel *consequens*, prout iudicat vel de facienda primum, vel de iam facta actione. *Bona* dicitur; cum iudicat, actionem vel omissionem, esse bonam, vel saltem non positive malam: *mala*; cum iudicat, esse positive malam: item *theologice bona* et *mala*; cum iudicat de *theologica*, *philosophice*, cum *praecise* de *physica* moralitate iudicat.

600.

*Conscientia* alia est *theoretica* (vulgo *speculativa*, *remota*, *dictamen remotum conscientiae* (407. VII.); quae est iudicium de bonitate, vel malitia fundamentali, seu materiali, actionis, vel omissionis nostrae: alia *practica* (vulgo *proxima*, *dictamen proximum seu ultimum conscientiae* (loc. cit.); quae

quae est iudicium de conformitate, difformitate, aut indifferentia actionis vel omissionis, respectu legis, vel consilii divini. Utraque vel est *incompleta*; si de actione in genere, vel specie tantum, sed nondum ut in praesens facienda in individuo, vel facta est, iudicat: vel *completa*; si de actione in individuo iudicat, ut ea in praesens omnimodis determinata est.

601.

Quoniam *omnis conscientia* est iudicium sensus intimi, iudicantis de relatione actionis propriae ad perfectiones DEI etc.; idcirco *capax est variarum affectionum, operationibus mentis per se intrinsece compossibilem, nempe vel evidentiae, vel certitudinis, vel probabilitatis, formidinis et dubii.*

602.

Est autem evidētia distinctus intuitus omnium rationum sufficientium formalium, seu intrinsecarum, veritatis obiectivae et logicae. *Vnde, cum conscientia completa sit iudicium seu intuitus similitudinis vel dissimilitudinis actionis nostrae cum perfectionibus divinis, et lege vel consilio DEI, ut conscientia remota et proxima completa simul evidens sit, ex evidente criterio constare debet, nos habere completam notionem de actione nostra, in individuo prorsus spectata, item de divinis perfectionibus, de rationibus sufficientibus legis aut consilii divini naturalis, atque simul evidentem intuitum mutuae conformitatis. Ad similitudinem enim discernendam cum evidētia, termini relationis complete perspecti esse debent, et ad dignoscendam existentiam legis rationes sufficientes istius distincte nosci opus est. 2) Ut vero saltem evidens sit conscientia proxima completa, etsi remota non sit*  
evi-

*evidens; ex evidente criterio aliquo, id est, ex sensu intimo, mihi distincte constare debet, me, omni sufficiente diligentia et deliberatione adhibita, nullam cognoscere in actione difformitatem seu cum perfectionibus divinis, seu cum aliqua lege DEI, vel etiam consilio divino; vel etiam positive certum esse, actionem non esse prohibitam aliqua lege etc.* Hoc enim evidenter cognito, evidens est, in actione non posse inesse voluntariam malitiam, peccato theologico, aut imperfectioni positivae theologicae propriam (411. IV. 408.); ac proinde actionem esse saltem non formaliter, positive, vel negative malam.

3.) *Vnde si conscientia theoretica non evidens, sed solum simpliciter unde certa sit, ope reflexae cognitionis evidentis de certitudine illius oriri potest evidenter de conscientia ultima completa.*

## 603.

Cum rationes intrinsecae sufficientes veritatis obiectivae et logicae operationum mentis nostrae non omnes distincte cognoscuntur, adhuc vel eadem ipsae rationes sufficientes intrinsecae confuse ope sensus communis naturae, vel certe rationes sufficientes extrinsecae, ex. gr. ex auctoritate, cognosci ita poterunt, ut nec aliquis alicuius momenti in illis sufficientiae defectus adperciatur, nec aliqua ratio, mentis aestimatione gravis, in oppositum occurrat; qui mentis de aliqua re iudicantis status seu affectio *certitudo* appellatur. *Incertitudo* ex adperceptione notabilis defectus sufficientium rationum seu criteriorum veritatis, vel gravis rationis, veritati oppositae, unius vel plurium, constat. Est autem alia *certitudo vera seu absoluta*, quae revera est intuitus saltem confusus rationum vere sufficientium, seu intrinsecarum, seu extrin-

trinsecarum, veritatis; qualis est ex. gr. in iudiciis, sensu communi naturae, ex testimonio sensuum proprio, vel ex sufficiente auctoritate ortis. Alia est certitudo apparens seu mere respectiva, quae est certitudo apparens seu mere respectiva, quae non vere sufficientium, sed reipsa insufficientium solummodo rationum veritatis intuitu constat; quarum tamen insufficientia, vel gravis defectus reipsa ob acumen nimis obtusum non adpercipitur.

604.

*I. Conscientia theoretica, completa, vel incompleta, certa esse potest vel ex sensu communi naturae et actionis confusa notione, et notionibus item confusis perfectionum DEI et rationum sufficientium legum divinarum; vel ex auctoritate DEI revelantis, Ecclesiae declarantis, vel hominis instituentis.*

*II. Vnde certitudo conscientiae theoreticae aliquando potest esse mere apparens ac respectiva, seu conscientia ipsa vera sit, seu falsa: si nimirum nitatur reipsa insufficiente auctoritate, aut non certe quoad existentiam cognita; ut si rudis ex Parocho audiat, vel immediate ipsam regulam morum sua tantum auctoritate privata firmante, vel testante de revelatione divina, seu declaratione Ecclesiae, circa eam facta.*

*III. Ex conscientia theoretica directe certa (seu absolute, seu relative) conscientia practica completa iudicans solum de naturali lege et consilio divino, ratiocinio naturali vel solum certo isto sequente inferri potest: Actio, in praesens facienda, vel facta, non est mala (vel, est bona, est melior etc.): atqui actionem non malam Deus lege naturali non prohibet: ergo haec actio, in praesens facienda vel facta,*

facta, non est prohibita lege naturali; *vel isto etiam evidenter concludente*: Certus sum (sensu meo intimo scilicet testante), actionem istam non esse malam: atqui actionem, de qua certus sum, quod non sit mala, evidens est non prohiberi a DEO lege naturali: ergo evidens mihi est, hanc actionem non prohiberi lege naturali a DEO. 2.) *Vnde qui reflexa cognitione evidente certitudinis conscientiae suae theoreticae, id est, sensatione reflexa bonitatis formalis fundamentalis (306. 308.) caret, nec evidente conscientia practica pollebit.* Differt enim utrumque ratiocinium, modo propositum, praecipue in eo, quod in primo praemissae tantum de obiectiva, in altero autem de ipsa formali bonitate enuntient.

*IV. Conscientia practica completa aequae, ac theoretica (hic I.) evidentiā carere, et mere certa esse potest, tam respectivae, quam absolute.* Qui enim non nisi ex sensu communi naturae cognoscet DEI perfectiones et rationes sufficientes legum divinarum naturalium; praevia quacunque conscientia theoretica etiam evidente, non evidenter, sed solummodo cum certitudine enuntiabit minorem primi ratiocinii, in Cor. praec. propositi, ac proinde nec conclusio evidens, sed certa solummodo erit absolute. Quodsi tam theoreticam, quam practicam conscientiam institutione praecise a mediocriter docto Magistro rudis aliquis consequatur, nulla nova reflexione facta; utramque non nisi respectivae certam habebit.

605.

Criteria veritatis realis conscientiae utriusque, seu iutrinseca seu extrinseca, nunc integra, nunc tantum aliqua ex parte, cognosci possunt.

Sic

Sic e. g. cum agitur de actione bona, DEI lege praecepta dignoscenda; fieri potest, ut ob notio- nis incompletae obscuritatem, quam de ipsa ac- tione habemus, evidente quidem, vel saltem certo iudicio, discernamus eius theologicam bonita- tem, sed tamen non discernamus, an etiam sit necessaria ad finem ultimum: quo casu proinde rationem aliquam seu criterium legis praecipien- tis cognoscimus, sed non integrum; quippe quod non est, nisi bonitas necessaria. Pariter si agitur de actione, ceu mala ac DEI lege prohibita, dig- noscenda; fieri potest, ut ob confusam notionem actionis individuae, et defectum completae ad- perceptionis omnium circumstantiarum et deter- minantium, ei in peculiari casu accedentium, etsi noverimus, eam in specie esse bonam, vel ma- lam, tamen non possumus discernere ex ratione sufficiente, an etiam in individuo sit talis; item an sit graviter, an solum leviter mala. Quodsi ex criteriis extrinsecis, nempe ex auctoritate, conscientia utraque formanda est; iterum fieri potest, ut auctoritas vel sit consentiens, vel dis- sentiens; ex. gr. ut alii ex doctis asserant, actio- nem esse, alii non esse praeceptam, vel prohibi- tam. *Dantur ergo rationes sufficientes et insuffi- cientes, seu criteria sufficientia et insufficientia, ad certitudinem utriusque conscientiae, theoreticae, et practicae completae.*

606.

Intuitus rationum, seu criteriorum, solum in- sufficientium alicuius veritatis realis, *probabilitas veritatis absoluta*, et iudicii ipsius *veritas absolute probabilis*, vel etiam ipsum *iudicium absolute probabile* appellatur. *Probabilitas intrinseca* erit, si *intrinseca*; *extrinseca probabilitas*, si extrinseca in-  
suffi-

sufficiencia criteria veritatis cognoscantur: quae postrema etiam *probabilitas fidei* recte ad prioris distinctionem vocari potest.

607.

*I. Propositio affirmativa improbabilis est, si de nulla ratione etiam insufficiente, vel solum partiali, constat certo, ob quam idea praedicati conveniat subiecto.*

*II. Propositio negativa improbabilis est, si de nulla ratione etiam insufficiente constat, ob quam idea praedicati repugnet subiecto.*

*III. Ex eo, quod propositio affirmativa utcumque probabilis sit, nondum sequitur, negativam contradictoriam esse falsam, aut illam hoc ipso veram: et vicissim. Et si enim rationes insufficientes suppetant aliquae pro veritate affirmativae, si vel una desit, quod, salva quacumque probabilitate, possibile est, vera erit negativa, et affirmativa falsa: et vicissim erit, si tantum ratio insufficientis adsit pro veritate negativae.*

*IV. Utraque ex propositionibus contradictoriis simul probabilis esse potest. Stante enim eo, quod suppetant rationes insufficientes, fundantes probabilitatem quamcunque propositionis affirmativae, negativa adhuc vera esse re ipsa potest, ac proinde rationes sufficientes revera pro istius veritate suppetere; et vicissim (Cor. praec.): ergo sicuti veritati unius non opponitur, nisi existentia rationum sufficientium pro una, ita nec cognitio rationum insufficientium pro una opponitur cognitioni simultaneae rationum insufficientium, pro altera.*

*V. Non potest eadem propositio eidem homini simul esse probabilis, et improbabilis.*

*VI. Quod*

VI. Quod certum alicui est, eius oppositum eidem probabile esse non potest. Quo casu istud vulgo etiam dicunt positive improbabile.

VII. Certitudo respectiva, de qua 603., solum probabilitas reipsa est, quae tamen respectu sui subiecti apparentiam certitudinis absolutae habet.

608.

Quamdiu de veritate aliqua nobis per rationes tantum insufficientes et criteria incompleta constat, *experimur*, tametsi ob distinctum intuitum rationis alicuius insufficientis evidens nobis sit hoc iudicium modale: *Probabile est, hoc ita esse*; tamen nos in assensu, huic iudicio absoluto: *Revera sic est*; praestando, ita esse liberos, ut non nisi propriae liberae voluntatis imperio ad assensum istius absolutum determinemur: alias vero, erroris, seu falsi iudicii committendi, proclivitate seu periculo in tali casu perspecto, omne iudicium assensus aequae ac dissensus libere suspendamus. Iam vero assensus absolutus, seu iudicium de veritate aliqua absolutum, ob solas rationes eius insufficientes libere conceptum, *opinio*; animadversio insufficientiae rationis ac proinde periculi (seu possibilitatis intrinsecae et extrinsecae 467.), errorem committendi, quatenus est reflexus intuitus intellectus, ab aliquibus *formido intellectualis* improprie vocatur; *formido* simpliciter rectius appellatur, quatenus coniunctam habet fugam voluntatis, assensum iudicii imperare detrectantis, eo intuitu ceu motivo excitatam. Quodsi iam ex fugae istius seu formidinis efficaci imperio suspensio voluntaria omnis iudicii absoluti, seu assensus, seu dissensus, actu consequatur; is mentis circa iam veritatem obiectivam status *dubium* vocatur.



609.

*Tenuis probabilitas* dicitur, cum rationes insufficientes, quae pro una ex contradictoriis propositionibus suppetere cognoscuntur, intellectus attenda comparatione ad eas rationes, quae dari pro opposita item cognoscuntur, nullam iudicantur habere magnitudinis rationem: *solida et comparativa probabilitas* est, cum magnam aliquam rationem habere rationes partiales, pro unâ contradictoria suppetentes, videntur etiam in composito ad eas, quae suppetunt eodem tempore pro altera.

\* Ratio sufficiens instar totius, uti partes, sic aliquam magnitudinem habet, quae non nisi intellectu sentiri atque aestimari potest ex adperceptione virium, quas singulae eius partes exerunt in movendo intellectu. Porro singularum rationum insufficientium pro una aliqua ex propositionibus contradictoriis suppetentium, vis absoluta etiam manet in composito ad rationes insufficientes, quae eodem tempore suppetunt pro altera, si istae illis nec per se contradicant, nec contrariae sint, sed diversis constant conceptibus, inter se non oppositis.

610.

*Formido* iuxta ac *dubium prudens* dicitur; si ratio insufficientis, suppetens pro adversa sententia; hanc reddat solide et comparative probabilem: *dubium* vero ac *formido imprudens*, dicitur; cum illa istam non nisi tenuiter probabilem reddit.

611.

I. *Ut absolute dubitare possimus, sufficit, et requiritur, ut oppositum non sit prorsus evidens, id est, ex completo intuitu totius rationis sufficientis clare perspectum (602.).*

II. *Ad*

II. Ad idem sufficit tenuis probabilitas oppositi.

III. Ut autem prudenter formidem, aut dubitem; opus est, et sufficit oppositi solida et comparativa probabilitas.

IV. Tenuis probabilitas certitudinem ex integro non tollit: quia in confusa solum cognitione objectiones quaedam obesse non possunt, quae solvere nequeamus ex defectu distinctae intellectionis; quin tamen illae ullo pacto criteria propria certitudinis, puta, sensum communem naturae, auctoritatem sufficientem &c., infringant.

V. Opinio est assensus, cum formidine saltem intellectuali, id est, cum praesente intuitu periculi erroris, coniunctus.

VI. Opinio seu assensus absolutus de veritate absoluta eius, quod non nisi probabile, nec ullo pacto certum esse, evidenter cognosco, quantacunque sit probabilitas, prudens non est, nisi voluntati, eundem assensum absolutum imperanti, suppetat motivum maioris boni, ex eo assensu secuturi, quam sit malum erroris, cuius periculo se absolute assentiendo exponit, et cuius praevisionis ab assensu absterret. Secus enim semper errandi periculo sine ratione sufficiente se exponit.

\* Enimvero hoc nomine commendant omnes Theologi prudentiam omnium beatorum Angelorum, quod ea cautela se immunes conservent ab omni errore, videlicet, de mere probabilibus non nisi probabilitatem asserendo iudiciis modalibus, non absolutam veritatem. Neque dicas, prudenter agere et sentire illum, qui agit, vel asserit quid ex gravi motivo: atqui veram probabilitatem semper esse grave motivum. Nam resp. Ut quis se erroris periculo exponat, non potest ullum esse sat grave seu sufficiens motivum, nisi praevisionis boni maioris. Unde probabilitas est quidem sufficiens

motivum ad iudicium modale, sed non ad absolutum de veritate.

\*\* Ceterum tamen duo motiva extrinseca veritati opinionum probabilium communiter approbant omnes, quod scio, Catholici Theologi, videlicet motivum caritatis, et motivum obedientiae; ob quae bene de alio homine absolute sentiam, aut absolute bonum iudicem, quod Superior iubet, etsi solum sit probabile, talem hominem esse bonum, et esse bonum, quod iste iubet: quia nimirum meritum caritatis et perfectae obedientiae (quae, vacillante intellectu, etiam in voluntate languet) multum praestat malo talis erroris.

## 612.

*Propositionum contradictoriarum*, quae ambae simul probabiles sunt (607. IV.), ea dicitur *probabilior*, cuius plures seu maiores rationes insufficientes perspectae sunt; ea vero *minus probabilis*, cuius pauciores vel minus graves: *aeque probabiles propositiones contradictoriae* ergo erunt, si tot et tam graves suppetant rationes insufficientes pro una, atque pro altera. *Probabilissima* est, cui non nisi tenuiter probabilis propositio opponitur. *Unice probabilis* denique *propositio* dicitur, pro qua aliquae rationes insufficientes suppetunt; nullae autem pro ei opposita.

\* *Dubia* solum *probabilitas* vel nulla est, vel ad summum tenuis.

## 613.

I. *Quod uni probabile, vel probabilius, vel aequè probabile est, alteri improbabile, aut minus probabile videri potest, imo aliquando etiam evidenter vel certo, perspectum esse: quia unus plures, alius pauciores rationes insufficientes, alius etiam sufficientes, distincte, vel confuse, detegere potest.*

II. *Etiam*

*II. Etiam cum quid probabilius est, oppositum idcirco non hoc ipso falsum est: ac proinde solide simul probabile videri potest (607. IV.).* Si enim oppositum adhuc verum esse potest; necesse est, ut per eas omnes rationes insufficientes, ob quas, actu a me perspectas, prima mihi probabilior est, non evertantur omnes rationes pro opposita: ergo illae, quae non evertuntur, adhuc perspicui a me, ceu nondum eversae, poterunt, etiam comparatae ad eas, ob quas mihi illa probabilior videtur. Atqui sic etiam in compositu probabilioris altera opposita propositio mihi vere et solide probabilis videbitur. Ergo &c. &c.

\* Mirum, quod rem, per se ex ipsis notionibus probabilioris et probabilis propositionis tam evidentem, et in exemplis obviam, vocare in dubium quis potuerit. Nunquid enim in rebus, seu physicis, seu moralibus, seu theologicis, Doctores sententias suas in rebus, quas fatentur incertas, vulgo ut probabiliores tradere consueverunt? Ita sane: nemo enim absolute docendo id tradit, cuius oppositum aequè probabile habet; sed cum suam hanc esse sententiam profitetur, hoc ipso istud sibi probabilius videri profitetur. Iam vero quis tam suae studiosus sententiae vulgo est, ut in rebus incertis oppositum suae sententiae neget comparative adhuc vere probabile esse, ac proinde adversarios suos omnes pronuntiet moveri non nisi tenuibus comparate ad sua argumentis? Profecto, qui moderate sentiunt de se ipsis, tantum sibi non blandiuntur. Nunquid, qui ex Catholicis ceu probabilius tenent, Sacramenti Matrimonii ministros esse contrahentes, negare solent hodie, simul solide et comparative probabilem esse sententiam, quae tenet, Sacerdotem Ministrum esse? An, qui tenent, testamenta, aut praescriptionem, valere iure naturae; negabunt, vere ac solide simul probabile esse, ea non valere solo iure naturae? An S. Bonaventura, probabilius esse docens, non licere iudici occidere innocentem publice convictum, perspecta sibi privatim eius innocentia, tenuit improbabilem,

bilem, vel solum tenuiter probabilem sibi esse oppositam S. Thomae sententiam. Denique nemo, cum suam S. Scripturae textus alicuius interpretationem iudicat probabiliozem, hoc ipso negat, aliam, ei oppositam, posse esse solide probabilem.

614.

*III. Cum propositiones oppositae vel aequae probabiles; vel una probabilior, altera minus, solide tamen, probabilis est; absolute quidem assentiri, cui libuerit, absoluto iudicio poterimus ex voluntatis imperio: 2.) spectatis tamen, rationibus solis immediatis veritatis, neutri absoluto iudicio assentiri, sed modali solummodo (608.), prudentis est; 3.) nisi imperium voluntatis, absolutum assensum imperans, extraneo quodam sufficiente motivo honestetur; quod, si pro minus probabili suppetat contra probabilius, prudenter minus probabili prae probabilioze quis assentiri poterit. 4.) Erit autem sufficiens tale motivum praevisio boni maioris, ratione cuius praesens errandi periculum, seu minus malum, prudenter contemnatur. Primum experientia sat constat; qua scimus centies pertinaciter credi ea, quae vera esse praecise optamus: etsi opposita multo esse probabiliora certum sit. Cetera ex 611. VI. confectanea sunt.*

\* *Dices: An ergo imprudentiae accusantur, qui, quae probabiliora sibi videbantur, omni tempore, ut sensa sua, docuere? Resp. Neutiquam: quia non ut absolute vera, sed solum ut probabiliora tradidisse censendi sunt. Quodsi quis, quod solum probabilius esse noverit, ut absolute verum vel ipse sine alia ratione sufficiente extranea iudicaret, vel ab aliis iudicari vellet, sane imprudentur faceret; quia prudens actio esse non potest, quae caret ratione seu motivo sufficiente.*

615. Se-

615.

*Securitatem conscientiae* appello gradum probabilitatis vel certitudinis necessariae in utraque conscientia, theoretica, et practica, ad hoc, ut actio, vel omissio, sit reipsa bona, aut saltem non positive mala.

\* Unde duplex est quaestio; *primo* quae securitas requiratur, et sufficiat in conscientia practica, *secundo* quae in theoretica, ut actiones humanae univ[er]se sint a peccato theologico immunes. Priorem praesente, posteriorem sequente Capite resolvemus; sed brevius, quam vulgo solent alii, qui maius, quam reipsa est, momentum in istis libris ponunt.

616.

*Dubium conscientiae practicum* appellatur suspensio conscientiae practicae, ob incertitudinem, an actio sit, aut non sit positive contraria legi divinae 603. & 608.). *Dubium mere theoreticum conscientiae* est similis incerta suspensio de malitia theologica fundamentalis actionis, vel omissionis.

617.

*In omni dubio practico cognoscitur actu periculum agendi contra legem DEI obiectivam.* Est enim dubium practicum suspensio iudicii absoluti (seu incertitudo 603. et praec.) de existentia, vel non existentia legis DEI obiectivae, orta ex formidine intellectuali, seu intuitu periculi errandi, si iudicet, legem non existere (608. 467.).

\* *Neque dicas:* fieri non posse, ut quis possit dubitare de existentia legis, si lex non sit, nisi certa cognitio voluntatis obligantis in legislatore. *Nam* dubitans practice non dubitat de lege subiectiva, sed obiectiva.

618.

Qui agit in dubio practico, quin prius sibi quacunque alia via, vel reflexione conquirat securius dictamen conscientiae practicae de licentia actionis; is actu contemnit legem DEI, et agit ex incuria seu actuali, seu saltem habituali. Conscius enim praesentis periculi, ut agendo advesetur legi DEI, si alia sine cura et diligentia sibi comparandi dictamen practicae conscientiae de licentia mox agat; vel si, postquam inquirendo eam formare non potuit, tamen agat: is aut voluntarie ac sciens omittit omnem efficacem fugam periculi impediendi actione mala suum finem ultimum, et transgrediendi legem DEI, aut cognito etiam, quod illud effugere non possit, eidem volens se exponit, et agere decernit, etsi actio sit contra legem DEI. Ergo incuriam admittit, seu habitualement, seu actualem (463.), et contemptum legis divinae, praefereudo agere contra illam, si forte existat, quam ommittere actionem.

619.

Qui agit in dubio practico, peccat contra legem certam actu cognitam, nempe generalem illam, quam pro principio primo legis naturae (564.) asseruimus, et quae ab eo, qui dubii practici semel est capax, ignorari invincibiliter non potest.

\* Si dicas: 1) Ergo non peccabit in dubio practico. Resp. dist. Non peccabit in dubio conscientiae practicae completae, concedo; non in dubio conscientiae practicae incompletae, nego. Dubium de lege specifica non solvitur; solvitur vero, imo nunquam existit dubium de actione individua, id est, committenda in circumstantia dubii practici. Si dicas, 2.) sine tali dictamine reflexo super dubio practico explicari posse, quo pacto is peccatum admittat, qui in dubio practico agit. Resp. dist. Expli-

Explicari potest, quod actio sit fundamentaliter mala, et quod importet contemptum legis divinae in abstracto, *concedo*; quod a parte rei sit contraria legi alicui divinae actu existenti, et coniuncta cum debita cognitione certa istius contrarietatis, *nego*. Qui vult, actu contingere peccata dubii practici sine cognitione legis specialis, prohibentis agere in dubio practico; duo absurda admittit: *primo* fieri posse, ut nec habituali virtute in talem actum influat certa notitia primi principii legis naturae (564.): deinde peccare aliquem posse sine lege DEI actu existente obiective et subiective, quo tale peccatum prohibeatur; id quod fieret in casu, quo actio reipsa non esset mala, de qua dubitatur. Profecto enim solum dubium de existentia legis rationem legis non habet, neque eam movendi efficaciam se solo habet, ut necessitatem moralem imponat omittendi actionem, super qua versatur. Apostolus XIV. Rom. ult quidem promulgat istam legem, quae prohibet agere in dubio practico, dicens: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*; sed non dicit, eam ignorari penitus posse, etiam tunc, cum quis actu in dubio practico agit: nec SS. Patres, aut interpretes, aliud hic affirmari tenent, quam semper peccari, cum quid agitur contra dictamen conscientiae, negantis esse licitum.

620.

*I. Qui practice dubitat, agendo in eo dubio peccat graviter, si dubium sit de gravi lege; leviter, si tantum de levi.*

*II. Peccat in ea specie, sub qua malitiam actionis apprehendit: quia sub ea ratione DEUM practice contemnit.*

*III. Qui practice dubitat de utroque opposito, nec potest dubium utrumvis vincere adhibita in praesens omni, quam potest, diligentia, non peccat, quid fecerit, ob defectum libertatis. 3.) Si tamen unum minus malum prae altero videatur; obligatur eligere, quod minus malum apparet vi primi principii legis*



*naturae (64.), nisi perplexitate reflexio ad hanc legem impediatur: quo casu iterum libertas deerit.*

*IV. Quoties quis practice dubitat, seu quoties suspicio oritur, an non actio sit mala, opus est dictamine positivo conscientiae practicae completae, eam esse licitam. Obligamur enim in tali casu eam saltem negative per voluntatem efficacem referre ad DEVM (375. 314.), id est, sic eam determinare, ut non fiat impedimentum finis ultimi per contrarietatem cum DEI aliqua seu lege, seu perfectione. Atqui, supposito semel quocunque dubio practico hoc fieri non potest, nisi prius unde unde dictamen conscientiae practicae completae positivum praemittatur, actionem esse licitam (618.).*

\* Videndum modo, quanta securitas huius conscientiae practicae completae requiratur.

## 621.

*Extra casum dubii conscientiae cuiuscunque, seu theoretici seu practici (616.), absolute, et facile quidem, formari potest dictamen positivum evidens conscientiae practicae completae de licentia actionis ope reflexionis supra bonitatem formalem actionis, vel omissionis, sensatione intima facile discernendam; prout in ratiocinio secundo 604. III. iam ostensum est. 2.) Nulla tamen est evidendae eiusmodi necessitas, sed, ut non peccemus, sufficit dictamen eiusmodi moraliter etiam solum respectively certum (603.). Evidens enim est, in tali casu non cognosci, ne quidem dubio prudente (610.), ullam actionis contrarietatem cum lege DEI. Ergo possibile non est, per eam committi peccatum (410. 411. IV.).*

\* *Adde: Sicut ad hoc, ut obligemur, non requiritur evidendae de lege obiectiva, vel subiectiva, actu*  
exi-

existente, sed sufficit certitudo de lege obiectiva obligante seu absolute talis, seu respectiva; ita etiam sufficit similis certitudo de lege permittente, seu quod DEVS non obliget, ut licite agamus.

**\*\* Neque dicas**, cum certitudine morali sola quacunque posse coniungi formidinem absolutam, id est, apprehensionem periculi peccandi, huiusque fugam: atqui non licet agere cum praevisione periculi peccandi per eam ipsam actionem: ergo non sufficit certitudo moralis ultimi dictaminis. Nam *respondeo*, posse quidem coniungi formidinem imprudentem: sed hoc ipso, quod hanc deponere ipsa iubeat prudentia, ceu improbabili apprehensione periculi nixam, non potest illa licentiae actionis obstare. *Quodsi dicas*, stante certitudine verum fore hoc dictamen: *Possibile est, actionem esse malam; resp.* ex hoc non sequitur, prudenter talem posse formidare: quia sola rei possibilitas istius existentiam nondum reddit probabilem.

622.

*Ad securitatem conscientiae non sufficit dictamen ultimum conscientiae practicae solum probabile, vel probabilius, cognitum qua tale; sed requiritur istius certitudo moralis, saltem respectiva.* Ratio est: quia dictamen probabile, vel probabilius, se solo non est sufficiens motivum voluntati, ut prudenter non formidet omnino, seu ut imperet intellectui assensum iudicii, quo iudicaret non esse periculum propinquum; eo quod nimirum, stante sola prohibilitate etiam maiore, verum reipsa et habitu praesens maneat hoc iudicium: *Solide probabile est, actionem esse prohibitam; seu quod idem est: Propinquum est periculum, ne agendo hoc agam contra legem DEI obiectivam.* Verbo: dictamen probabilius coniunctam habet certam cognitionem de periculo peccandi per eam ipsam actionem. Atqui cum cognitione certa propinqui periculi violandi per eam ipsam actionem legem  
DEI,

DEI, quin alia via quis sibi securius dictamen conscientiae practicae conquirat; est actu contemnere legem DEI (618.), verumque peccatum (619.). Ergo non sufficit dictamen conscientiae practicae mere probabile, vel probabilius, cognitum qua tale; ac proinde requiritur istius certitudo saltem respectiva.

\* *Neque dicas*, 1.) dubium practicum posse tolli per assensum absolutum, probabiliori parti de licentia actionis actu praestitum: ergo falsum esse, quod agatur in dubio practico. 2.) Periculum peccandi solum esse probabile, non certum. 3.) Non obligari nos lege naturae ad vitandum quodvis periculum peccandi; secus non liceret eligere vitae statum, ex. gr. militis, cauponis etc. etc., per se vulgo coniunctum cum multis peccandi periculis. 4.) Imo saepe licitum esse, se exponere propinquo periculo peccandi per actionem actu committendam. 5.) Qui in negotiis temporalibus agit, quod probabilius utile futurum est, prudenter agit, insuperhabito probabili periculo damni: ergo, et qui in rebus moralibus sequitur sententiam probabilioris, agit prudenter. *Respondeo ad 1.* Nisi ille assensus absolutus, qui pro dictamine ultimo practico completo assignatur, nitatur alio principio, seu motivo, quam sola maiore probabilitate; nec prudens est (614. n. 2.), quia caret motivo sufficiente; nec tollit certam cognitionem de periculo, ne actio in individuo sit mala, et legi DEI contraria: ergo sine contemptu legis DEI practico, ac proin sine peccato esse eidem soli innixa actio non potest (618. 619.). Profecto talis absoluto suo iudicio sic reipsa tendit: *Esse certo cognoscam, probabile esse, me peccaturum agendo; tamen quia probabilius est, me non peccaturum, credo ego absolute, me non peccaturum; et sic ago.* Quis non videt, talem absoluto suo assensu mere arbitrario non tollere praesens periculum peccandi, ac proin in illud. certo adhuc cognitum ut praesens, temere ruerre praecipitem? *Ad 2.* Vti probabilitas, ut solida sit, certa esse debet; ita et periculum propinquum certo cognoscitur, si modo in hypothesis conveniamus; de qua

qua loquimur; videlicet non modo tenuiter, sed solide probabile esse, actionem esse malam et *Dei* legi contrariam; etsi probabilius sit, non esse (612. not.). Quodsi enim certum esset, actionem esse malam etc., non iam merum periculum certum existeret peccandi, sed ipsum peccatum. *Ad 3.* Licet se exponere periculo peccandi ex directa intentione magni alicuius boni, sed non nisi sub hypothese, quod superfit propinqua seu certo probabilis spes, per media sufficientia, quae affutura praevidentur, peccati commissionem actualem reipsa devitandi (472. III.): non item, si absit omnis certo probabilis spes, me non consensurum peccato, id est, non positurum actionem malam, de qua periculum est, ut eam committam (ibid. V.). Atque ita est de periculo, de quo agitur in electione praedictorum statuum; quos si nemini eligere ob coniuncta cum illis indeterminata peccandi pericula liceret; male reipublicae consultum foret: ac suppetant simul semper sufficientia media; ob quae spes sit, ea superatum iri sine commissione actuali peccati. Ex quo porro gemino principio formatur certum dictamen, quod licita sit praesens actualis electio talis status (cit. V.), id est, quod nullum periculum sit peccandi per actionem istam. Ex adverso, quamdiu de actione in praesens committenda aliud non suppetit, quam maior probabilitas de eius licentia, vel etiam iudicium absolutum, iunctum saltem formidini intellectuali et probabilitati de contrario; nec dictamen certum habetur de ipsa licentia actionis praesentis, sed praesens in ea cognoscitur inesse, quia actu permittitur peccati periculum; nec sola maior probabilitas est medium ullo pacto sufficiens ad impediendum, ne, actione illa reipsa posita, peccatum actu existat; sicuti per hoc, quod probabilius sit, sub arboreto non latere hominem, nullo pacto satis impeditur, ne explosio sclopi homini noceat. *Ad 4. distinguo:* Licet se exponere (sub dictis modo conditionibus) periculo praesenti, coniungendi actioni praesenti actionem aliam peccato obnoxiam; uti ex. gr. Chirurgus licent variis cum periculo praesente simul ex eorum occasione admittendi pravas delectationes; *concedo:* licet se exponere periculo peccandi per ipsam actionem praesentem

tem, quin certus quis sit, actionem in individuo non esse formaliter malam immediate secundum se; *nego.*  
*Ad 5.* Disparitas inde est, quod in actionibus politicis spes sit maior lucri, quam damni temporalis, si sequamur ea, quae probabilius fore utilia videntur; ac proinde voluntas agat ex sufficientè motivo relate ad finem, quem actiones politicae unice intendunt. Ex adverso, cum actio solum probabilius esse licita, id est, non adversa fini ultimo moralium actionum, cognoscitur, stante tamen simul metu probabili, ne eidem fini positive noceat; non spes maior profectus circa eundem finem cum metu minore detrimenti, sed solum spes maior nullius futuri detrimenti cum metu minore, vere tamen probabili, reipsa futurae alicuius noxae, colliditur. Atqui sola probabilior spes nullius detrimenti, metui vere probabili detrimenti alicuius positivi coniuncta, ne quidem in politicis rebus a culpa excusaret eum, qui in tali casu periculo nocendi reipublicae se exponeret. Ergo a fortiori non excusat in rebus moralibus sola maior probabilitas de licentia actionis, composita cum certo periculo contrarietatis eiusdem cum lege DEI; quantacunque etiam spes commodi temporalis simul ad eam accedat, quod cum bono et malo morali nullam habere proportionem potest.

\*\* De cetero minime negamus utique per hoc, in casu maioris probabilitatis de licentia facile acquiri dictamen certum de eadem; quo dato, sine dubio non peccatur. At illud pernegamus, stante sola probabilitate, actionem individuum, sub ea hypothesis et circumstantia positam, carere peccato.

623.

*Itaque nulla sufficit ad securitatem bonae conscientiae probabilitas, sed necessaria est moralis certitudo saltem respectiva conscientiae practicae saltem completae (praec. 615-600.).*

CAPVT



## CAPUT II.

AN CONSCIENTIAE BONAE SECVRITAS NECESSARIA  
ALIQUANDO COMPONI POSSIT CVM DVBJO  
CONSCIENTIAE THEORETICAE ET  
PRACTICAE INCOMPLETAE.

624.

*Dubium bonae conscientiae theoreticae (616. 599.)*  
*varium esse potest.* Nam 1.) potest esse proba-  
bilissimum, actionem non esse theologice ma-  
lam, et solum tenuiter probabile, quod sit mala;  
et hoc voco *dubium tenue*. 2.) Potest esse proba-  
bilius, actionem non esse theologice malam, et  
solum minus, solide tamen probabile, quod sit  
mala; et hoc voco *dubium minus probabile*. 3.)  
Potest utrumque esse aequè probabile; et tunc  
appello *dubium aequale*, seu *aequè probabile*. 4.)  
Denique potest esse probabilius, actionem esse  
malam, vere tamen et solide simul probabile,  
eandem non esse malam; et istud voco *dubium pro-  
babilius bonae conscientiae theoreticae*.

625.

*Exc dubio quovis bonae conscientiae theoreticae per se*  
*nascitur dubium analogum conscientiae practicae, utrum*  
*actio (vel omissio) sit lege divina naturali permessa,*  
*an prohibita.* Lex enim naturalis, gravis, aut le-  
vis, an existat, nec ne, non nisi ex malitia fun-  
damentali theologica, ceu ex sua ratione suffi-  
ciente, cognosci potest (356. 416. IV.): ergo si  
ista dubia est, magis aut minus; eodem gradu  
dubia erit lex illa. Atqui conscientia practica  
versatur circa existentiam legis (616.). Ergo  
ex dubio quovis etc. etc.

626. Du-

626.

*Dubium conscientiae practicae circa legem DEI positivam per se immediate, et non ex dubio conscientiae theoreticae praevio, oriri potest iisdem diversis gradibus, quos pro isto 624. possibiles enumeravimus. Potest enim lex DEI positiva, prohibens actiones, per se non theologice materialiter malas, aut praecipiens alias, lege naturae non praeceptas, immediate in se esse uti certa, sic dubia, probabilis, probabilior. etc. etc.*

627.

*Probabilitas malitiae obiectivae actionis (vel omissionis) iuxta atque legis naturalis obiectivae DEI nondum est lex subiectiva, constituens obligationem formalem passivam in eo, qui conscientiam theoreticam et practica[m] dubiam secundum enumeratos quoscunque gradus 624. 625. habet (343. 344. II.). Lex subiectiva enim non potest esse, nisi intuitus et cognitio rationum sufficientium formalium legis obiectivae (343. 341.); quae ipsae cognosci et dari non possunt, nisi ex cognita et data ratione sufficiente obiectivae malitiae actionis vel omissionis (565. I. III.): atqui omnis probabilitas non est, nisi intuitus rationum insufficientium (606.); ac proinde per hypothese[m] nec malitiae actionis, nec legis obiectivae ratio sufficiens ullo pacto dari cognoscitur; ergo legem subiectivam conficere probabilitates illae non possunt; cum nihil a parte rei existat, nisi existente ratione eius sufficiente completa, tam causali, quam formali.*

\* Ex hac ipsa demonstratione patet, recte pro lege subiectiva certam notitiam legis obiectivae, cui notam essentialem, supra 343. 341. a nobis esse requisitam. Dixi: *ex hac demonstratione.* Evidens enim est

est, prudens dubium, seu suspensionem prudentem omnis absoluti iudicii de existentia legis obiectivae pro lege subiectiva, aut sufficiente promulgatione legis obiectivae (344. 345.) haberi non posse: ergo nec ipsa probabilitas quaecunque, cui contraria alia probabilitas solida respondet ex opposito; quippe quae fundamentum prudentis dubii et suspensionis omnis iudicii absoluti de legis existentia sibi coniunctum habet. Porro prudenter suspendi omne absolutum iudicium de malitia actionis aequae ac de existentia legis, quam vocant directam, evidens est ex dictis 611. not. I.

628.

*In quocunque casu dubi ex 624. expressis quis per hypothesin existat, ne actionem committendo, super qua dubium versatur, peccet agendo in dubio practico (625. 618. 619.), lege divina obligatur, pro ratione probabilitatis dubii, et pro momento ipsius actionis, proportionalem diligentiam, quantam circumstantiae praesentes admittunt, adhibere in inquirenda certa veritate; item 2.) bonae voluntatis promptitudinem sinceram et constantem habere, actionem quantocunque suo temporali incommodo omittendi, si, debita facta inquisitione, certam eius malitiam, DEique legem ei contrariam, detexerit. Absque primo enim, si, insuperhabito dubio, mox actionem suscipiat, evidenter agit in dubio practico cum omni eo contemptu divinae legis et incuria, per quae constitui peccatum agentis in dubio practico 618. 619. ostensum est. Absque altero caret illa habituali efficaci intentione directa finis ultimi creationis, quam lege naturali omnibus omni tempore praeceptam esse 373. demonstravi.*



*Etiam si, adhibita debita omni diligentia, dubium theoreticae conscientiae de malitia theologica actionis, atque adeo et dubium conscientiae practicae de lege, actionem in specie sua prohibente, vinci non possit; nondum tamen continuo per haec sola licebit eam actionem ponere; 2.) sed reflectendo super actione in individuo, seu in hac nova dubii invincibilis circumstantia ponenda, inquirere oportet, an DEVS lege naturali prohibeat actionem (seu in se obiective bonam, seu malam) in hypothese individua, qua quis dubio invincibili dubitat, dubio saltem aequae probabili vel probabiliore (624.), vel etiam solummodo minus probabili, an sit theologice mala, et prohibenda a DEO. Sine id genus enim novo examine, et sine novo dictamine ultimo conscientiae completae, quod dictet, actionem saltem in individua hac circumstantia dubii certo non prohiberi a DEO, si quis ad eam continuo se resolvat, aequa et indifferente mentis intentione eam committit, ut probabiliter malam et prohibitam, atque ut probabiliter non malam ac non prohibitam. Atqui etiam sic DEI lex certa contemnitur; quae nimirum vetat agere in dubio practico (618. 619.); nec lege naturali praecepta sufficiens efficacia intentionis habitualis finis ultimi conservatur (373.). Ergo actio sic commissa theologica malitia carere, et non prohibita DEI lege esse, non potest.*

\* Haec ergo quaestio hic decidenda esset, ut generalis morum regula et lex naturae, ad omnes casus dubii vere probabilis, circa quascunque leges et morum regulas in specie tales orituri, se extendens, constabiliretur. Verum obiicit se mihi, ab omni fervore in litibus literariis summe abhorrenti, cui necessitas tran-

tranquillae et nullo affectu praeventae mentis in meditata rite omni veritate tam intime perspecta est; obicit se mihi, inquam, in ista quaestione enucleanda fervor inexplicabilis in opposita utrinque acie stantium. Quapropter hac ipsa ex causa curatius respexi me, perpendi omnia, revolvi argumenta singula, an forte rebus, ad distinctiores, quae hodie suppetunt, notiones expensis, lux certior affulgeret. Rogavi, ut decet in rebus arduis, non semel a DEO lumen summe mihi necessarium. Optavi saepe in ista re exaudire Matris Ecclesiae vocem, omnibus apud me argumentis semper valentiorum: at flet illa, in tanto clamore filiorum. Sed et hoc mirari desino; cum memini, et Scripturas divinas, et SS. Patres, de omni hac quaestione, distincte aut ex proposito tractanda, altum filere. Silere, inquam: quae enim ex illis petuntur in utramque partem argumenta, omnia profecto nimis longe petita, nimis ambigua, ac saepe nec praesentis quaestioni aptata sunt. Si auctoritatem contra se mutuo pugnantium Theologorum, veterum et hodiernorum, ad regulas Logicae et auctoritatis criteria propria expendo: non video, quid ea per se unam virum habere possit ad doctum hominem quemcunque, ac praecipue secundum distinctas notiones ratiocinari assuetum, in partem alterutram perducendum; siquidem ea seorsum a rationibus intrinsicis spectetur, quae pars utraque ad se defendendum utitur. Quod quidem valere mihi semper videtur; quoties scholas integras diversi instituti per secula certa veluti lege sibi mutuo in eodem capite adversari observo. Illud ergo consultissimum mihi denique visum, ut a delicatis quaestionibus plane abstinerem, illamque solummodo versarer, atque contra immodicum Iansenianorum rigorem recentioribus planeque distinctis principiis et notionibus prorsus demonstrarem thesin ac morum regulam, videlicet *nulla nos DEI lege naturali prohiberi, quo minus in hypothese saltem probabilioris opinionis de theologiae relictitudine actionis committere istam licite possimus*: quippe in qua una maius quoddam in re morali momentum est. Omissis vero aliis argumentis extrinsecis, quaestionem istam ad distinctas notiones Ethicae huc usque traditas expendam, ut potero, brevissime;

time; certus, pluribus si id facerem, nec hilo magis vel uni me persuasurum. En tibi regulas, certissimas aequae, ac paucissimas; ad quas examen omne exigam.

630.

*Regulae examinis in quaestione praesente. I. Quoniam DEUS pro sapientia, bonitate et iustitia sua infinita ad actiones (vel omissiones) humanas, lege naturali, praesertim gravi, id est, sub poenarum aeternarum interminatione, vetandas, non alia ex sufficiente ratione movetur, nec moveri potest, nisi ex intrinseca fundamentali malitia theologica formali ipsarum actionum (357. 358.), aut simul ex necessitate absoluta tum ipsarum actionum, tum istius modii, seu legis eiusmodi, ad summum commune bonum serio promovendum (349. III.): idcirco neque doctor quisque Ethices et Legis naturalis, DEUM vi primi Ethices principii imitaturus (559), alia ex sufficiente ratione intrinseca moveri debet ad asserendam vel alios docendam, legem naturalem, praesertim graviter obligantem ad actionem aliquam committendam, vel omittendam; nisi ex perspecta satis vel gravi malitia formali theologica, vel gravi necessitate talis actionis, saltem in individuo spectatae, ad commune bonum.*

*III. Unde in praesente quaestione tota inquisitio verti in eo debet, ut intelligatur, an actio, vel omisio actionis cuiuscunque, de qua dubium conscientiae existit, in hypothesei eiusdem dubii facta, quacunque voluntatis intentione ponatur, fundamentali malitia theologica, formali, eaque gravi, per se absolute ac necessario inficiatur.*

*III. Ut istud modo dictum intelligatur, tum actionis, vel omissionis, in istiusmodi hypothesei ponendae, notio  
quam*

*quam maxime distincta praeformanda, tum deinde ad notionem genericam item distinctam contemptus DEI practici expendenda est, cuius notas si illa contineat, formaliter mala, si non contineat, immunis a malitia formali theologica iudicanda est, ac proinde a lege DEI naturali vetante exempta.*

\* Nescio, utrum, cui non solum ratione peculiaris vitae instituti, sed vel solius generalis caritatis instigante imperio, salus aeterna hominum cordi a primis annis est, evidentiā primae ex hisce tribus regulae suspecta esse possit. Illud scio, minime omnium eam suspectam esse posse illi, qui rite senserit moliminis illius arduitatem, quo ostendere debemus, DEUM naturali necessitate adigi ad actiones graviter malas, sub poenis alterius vitae aeternis vetandas. Mirabitur talis quisque profecto mecum facilitatem tam multorum, qua concipiunt, ob ignorantiam solam hominum, eamque invincibilem, quae DEI misericordiam potius provocare debet, DEUM multiplicare leges id genus gravissimas, quae plurimas illis actiones, de se maxime innoxias, prohibeat absolute, ea praecise ex causa, quod, pro imbecillitate naturali intellectus, docti ipsimet saepe dubitent, *dubio licet minus probabili* (624.), an non malae sint; et vicissim, quod vere in se malas vetet lege solum tam dubia, cuius nulla ad movendum animum sufficiens energia est, quaeve ex parte una neque necessitati felicitatis publicae, sufficientis infra mediū, satisfaciatur, et tamen in omnes immorigeros eundem omnem tristem effectum consequentis aeternae poenae exerat, qui certis legibus ac certo cognitis proprius est. Sed age, rem ipsam secundum praefixas modo regulas exequamur.

631.

*Notio generalis actionis, in hypothesis conscientiae dubie minus probabilis ponendae (id est; cum opinio favens libertati probabilior est), sequens est. Si ex ratio-*

T t 3

tio-

tionibus sufficientibus cognoscerem, actionem hanc repugnare perfectioni alicui ac legi divinae, prorsus omittere eam vellem ex honore ac reverentia erga DEUM atque eius legem: sed quia nullam sufficientem rationem utriusque adesse cognosco, neque ob solum dubium invincibile, idque minus probabile a DEO me lege naturali obligari ad eam omittendam iudico; idcirco, quatenus mihi probabilius bona (seu non mala), examinatis omnibus, videtur, eatenus committere eam decerno; quia mihi ex. gr. utilis est. Enimvero talem animi dispositionem tum habitualementi universe, vi generalis legis (373.) demonstratae in omni homine perpetuam requirimus, tum vero in praesente hypothese etiam actu ipso renovatam ob praesens periculum secus agendi in dubio practico, et peccandi (628. n. 2.).

## 632.

*Si dictamen illud reflexum, quod actio, secundum notionem istam generalem determinata, pro partiali determinatione involvit, quod scilicet DEUS lege naturali non obliget ad omittendam actionem tali in dubio invincibili minusque probabili de malitia eius materiali, si, inquam, dictamen hoc imprudens et temerarium non est: de cetero tota actio, dicto modo determinata, evidenter omnis contemptus Dei practici expertus est.* Habituali enim et actuali praesente certo voluntatis proposito per eam ipsam actionem individualementi sic agens DEUM honorat, referendo actionem suam saltem negative ad DEUM (314.); quantum id universe vi legis primae generalis naturae praecipitur (564.). Ergo, si ab illo dictamine omnis ratio formalis malitiae abest, de cetero impossibile est, ut per eam actionem quis DEUM practice contemnat (201. 202.).

• Evi-

\* Evidens ex hoc solo principio est, in iis omnibus indoctis hominibus, qui ob ruditatem propriam in quovis dubio conscientiae auctoritate suorum Doctorum spiritualium stare, et in certitudine respectiva dictaminis ultimi aquiescere coguntur (603.), omne periculum formalis peccati in usu doctrinae mitioris, de qua agimus, abesse; quin ex eis plurimos, qui in dubiis conscientiae a rigidioris doctore directi, et pro eius sententia de obligatione admoniti, nihilominus non omitterent actionem, a peccatis formalibus praeservari. Verum est, in casu, quo actio materialiter vere mala est, minus temporali felicitati a mitiori doctrina consuli: quippe cui materialis actio repugnare potest vel relate ad ipsam agentem personam, vel relate ad aliam; sed quantum denique hoc detrimentum est comparate ad luerum animae, quod ex impeditis suavi hac Dei providentiae permissione peccatis formalibus redundat. Nunquid Deus vulgo mala mere physica maioris boni moralis et aeternae salutis causa permittere solet? Probenz ex adverso iusto rigidioris sententiae patroni, ex sua doctrina maius aeternae salutis bonum, nec potius plura istius pericula redundare. Ecce fundamentum primae regulae (630.) satis manifestum! At enim cavere opus est, ne ultra limites hoc principium extendamus: cui periculo infra 635. prospicietur.

633.

*Si actio secundum notionem (631.) determinata, etiam malitia mere obiectiva et materiali secundum se laboret; haec tamen agenti nec directe, nec indirecte voluntaria est; si modo dictamen reflexum, de quo loc. praec., imprudens et temerarium non sit. Non directe; quia volitione positiva eligitur actio praecise, ut apparet probabilius bona, seu non mala (631. 310. 311. I.): nec indirecte; quia serium et efficax propositum voluntatis ipsa actio individua involvit non agendi, ac proinde non permittendi ma-*

T t 4

litiam

litiam talem, si ea actioni subesse certo praevideretur (310. 311. V.).

\* *Neque dicas*: Qui agit frante dubio de malitia materiali, quin hoc dubium immediate quoad se antea tollatur, hoc ipso permittit malitiam materialem: ergo haec saltem indirecte voluntaria ipsi est. *Nam respondeo*: Nisi quaestionem de nomine moveas contra usum receptum loquendi; falsum est, quid ab aliquo revera et absolute permitti, quod ideo non impedit, quia probabiliter alioquin non futurum esse existimat. Alia quaestio est de permissione probabilis periculi, ne actio sit materialiter mala, quam tamen permissionem ipsam per se ita malam esse, ut lege DEI prohibeatur, negamus, et contrarium mox probabimus.

## 634.

*Constitutus in dubio solido conscientiae vere ignorat malitiam materialem actionis, secundum se spectatae, et legem DEI, eam per se immediate prohibentem.* Is enim facti alicuius qualitatem et existentiam revera ignorat, qui, spectatis immediatis rationibus veritatis, quas cognoscit actu, absoluto iudicio neutram prudenter affirmare potest (481. not.). Atqui, his solis rationibus spectatis, qui in vere probabili dubio quocumque conscientiae haeret, quod vincere non potest, absoluto iudicio prudenter affirmare non potest: *Actio haec mala est, existitque lex DEI, eam immediate secundum se spectatam prohibens*; sed solummodo iudicio modalis certo dicere potest: *Minus probabile est, esse malam, existere legem etc.* (610. VI. 614.). Ergo &c. &c.

## 635.

*Sincera reverentia et honoratio erga DEI perfectiones et erga legislatricis dominium DEI, exigit a nobis in omni quaestione dubia conscientiae, tum ut in*  
inqui-

*inquirenda consensione et dissensione actionum nostrarum cum divinis perfectionibus et legibus sat diligentes simus; tum ne simus nimis faciles, aut temerarii in statuenda maiore probabilitate innocentiae materialis dubiae actionis. Tam enim negligentia in inquirendo, quam temeritas in resolvendo tali dubio, adversatur generali legi, qua obligamur, actiones praesertim dubias, et cum aliquo periculo pugnae cum DEI perfectionibus et legibus coniunctas, efficaci habituali et actuali voluntatis proposito saltem negative referre ad DEUM, id est, efficaciter curare, ut ne reipsa adversae DEO actiones a nobis committantur (373.).*

\* Hanc industriam et cautelam mitioris sententiae patroni illi, qui non licentiae studio, sed prudenti cautela, ne conscientis ac saluti animorum laqueos construerent, ad propugnandam illam fuere permoti, continuo singulari curae habuerunt; quam primum observarunt, abuti quosdam doctrina sua in laxis nimis sententiis de quacunque probabilitate licentiae quarumvis actionum adoptandis. Solidam idcirco probabilitatem constanter exposcebant, ac talem, quam ii quoque vulgo confiterentur, qui oppositam sententiam, ut probabilior, suis in scriptis publice in lucem editis agnoscebant. Verum mirabantur iidem vicissim liberalitatem aliorum, qui prompti adeo essent, ut *probabiliores* sententias illas libertati faventes pronuntient, quas benigniores cetera in praesente quaestione doctores vix audent aequae probabiles, ac subinde etiam vix solide et comparative minus probabiles, enuntiare. Magis adhuc mirabantur strepitum accusationis, qua laxitatis ipsi ab adversariis arguebantur; cum tamen isti alio remedio tam scite norint aequae licitam praxin earundem actionum sibi cum Probabilistis procurare. Cum igitur licentiam actionum solummodo in casu probabilioris opinionis, libertati contra legem faventis, propugnare animus nobis est; profecto in tali vere probabiliore opinione examinanda aequae rectus nobis ani-



mus esse debet, quam erat olim Probabilistis in solida probabilitate, a mere tenui discernenda.

636.

*Nulla existit lex naturalis universe graviter, seu sub aeternis poenis, prohibens omnes actiones, quarum materialis malitia vere minus solum probabilis est. Nihil enim, vel maxime in naturalibus divinis legibus, usquam existit sine ratione sufficiente propria earum legum. Atqui in hypothese, de qua nobis sermo est, evidenter non datur ratio sufficiens propria et communis omni legi naturali. Etenim ratio haec sufficiens, et requisita ad omnem eiusmodi legem naturae prohibentem, seu fundamentum necessitatis istius (356. 358.), est omnis et sola malitia theologica formalis, seu ratio demeriti moralis theologici, quae vi essentiae suae formalis contemptum DEI practicum importat (205. IV. not.), eaque fundamentalis et antecedens ipsam DEI legem, id est, actioni individuae aliunde iam et independenter a DEI lege intrinseca (308. 303. 304.); nequaquam vero haec ratio sufficiens ullius legis naturalis in sola materiali malitia actionis, vel omissionis, etiam reipsa huic insita, consistit, si ea omnis formalis malitiae sit expers. Actiones enim et omissiones humanae universe non nisi ratione solius malitiae formalis theologicae praedictae contrarie opponuntur fini creationis ultimo, vitae tum praesentis proprio, tum futurae; quorum ille est meritum morale theologicum, seu honoratio DEI practica, saltem in gradu, a prima et generali lege naturae praecepto (166. 173. 204. l. 564.); iste vero est beatitudo, per modum praemii non nisi per merita theologica praedicta a nobis in hac vita promerenda (165. l. II. 173.): nequaquam vero eidem utrique fini opponun-*

ponuntur ratione solius malitiae materialis, si haec ab omni formali malitia et demerito morali immunis sit. *Primum* ex eo evidens est, tum quod, non nisi stante malitia formali, moralitas theologica, demeritum morale theologicum, et contemptus DEI practicus locum habeant (309. I. II. IV. 318. II. IV. V. 204. II. III.), quae merito morali theologico, & honorationi DEI practicae, contrarie adversantur (201. 202.); tum quod actiones humanae non nisi ratione demeriti morali theologici et contemptus DEI, qui ipsis a DEO aliunde obiective spectatis et independenter a lege DEI inesse cognoscitur, sic opponantur beatitudini vitae alterius, instar praemii consequendae, ut et mereantur istius iacturam ac simul poenas positivas aeternas, et DEUS, boni communis ratione habita, consilio sapientiae, ipsaque bonitate et iustitia sua necessitetur ad eas aeternas poenas, lege naturali hominibus interminandas, id est, ad expediendum medium istud morale, necessarium, et unice sufficiens ad impedienda illa demerita moralia, et promovendam communem salutem (205. I. II. IV. 198. 206. 207. 208.). *Alterum* inde in comperto est, quod malitia materialis sola, sine adiuncta formali theologica, per se non nisi praesentis vitae felicitati et hominis rectitudini mere physicae obstet (1. 125.). Iam vero, tamen DEUS pro sua infinita benevolentia omnes nos etiam in hac vita felices esse velit; hoc tamen non nisi eatenus efficaci voluntate vult, quatenus haec felicitas meritis moralibus et beatitudini alterius vitae, per haec obtinendae, non ob stare ab eo praevidetur: quin potius ex adverso, si meritis nostris moralibus et beatitudini augendae profuturam praevidet infelicitatem temporalem et mala mere physica, ista potius permittit  
maio-

maioris nostrae aeternae salutis causa (177. VI.). Unde nec materialis istius bonitatis et malitiae actionum notitiam universe in nobis determinat; sed eatenus solum, quatenus bono communi salutis aeternae prodest, si illa iam cognita, ac proin iam formali bonitati vel malitiae coniuncta, lege naturali promoveatur, vel impediatur moraliter. Atque eo ipso fine permittit ipsam ignorantiam invincibilem regularum moralium de vera bonitate et malitia materiali obiectiva actionum nostrarum humanarum (592. 594. I.), ipsumque errorem invincibilem (595.); in cuius hypothese etiam nos lege obligat ad actiones, per se rectitudini mere physicae et felicitati temporali contrarias (596.), atque pro eis, ceu veri meriti moralis rationem habentibus, praemium reddit (597. I. III.). *Proinde evidens est, quod dixi, videlicet solam formalem theologiam malitiam actionum et omissionum humanarum, eamque fundamentalem, et antecedentem ad ipsam legem, esse rationem universe sufficientem omnis divinae legis naturalis. Atqui haec ratio sufficiens non inest actioni (vel omissioni) humanae, in dubio quocunque solido conscientiae secundum generalem notionem (631.) determinatae, saltem obiective, et antecedenter ad legem ipsam in dubio tali obligantem, et nisi in dubio practico agatur (618. 619.); etiamsi talis actio (vel omissio) reipsa sit per se materialiter mala: quia neque contemptum DEI practicum (632.), nec ullam formalem seu voluntariam malitiam, in se continet (633.). Ergo nec existit ulla lex naturalis eam prohibens &c. &c.*

\* Enimvero fateor, me non videre, quid argumento huic ad plenam demonstrationem desit. Neque vero ulla argumenta, a defensoribus rigidioris doctrinae

nae huc usque congesta, caput demonstrationis istius, a priori prorsus et ex ipso generali principio omnis legis naturae petita, ullo pacto attingunt; quemadmodum nec patroni doctrinae mitioris tam alte ex ipsis notionibus et primis principiis legis naturae repetere argumenta sua consuevere. Quapropter nova, tamque distincta, et convincente ratione inventa, licebit mihi eo securius ultimi dictaminis istius practici completi certitudini acquiescere, atque etiam de contrariis argumentis, praesertim ab auctoritate contra sententiam petitis, operosius refutandis secure abstinere.

637.

*Lex divina naturalis obiectiva, solum dubie et quidem minus probabiliter solum, se ipsam promulgans, ac simul graviter obligans, lex vere existens, salvo legis naturalis conceptu, esse non potest.* Lex enim naturalis vi sui conceptus (356. 379. IV.), est medium morale tum unice sufficiens ad impediendas actiones et omissiones humanas, communi bono ultimo finali huius et alterius vitae contrarias, tum ita necessarium in hypothesei creationis, ut DEUS ob eius absolutam necessitatem ad illud commune bonum a suis propriis perfectionibus, infinita inprimis sapientia, bonitate et iustitia, certa necessitate urgeatur ad illud applicandum. *Atqui legi obiectivae, dubie et solum minus probabiliter se promulganti, conceptus iste nulla in parte quadrat; quia neque est medium morale sufficiens praedicto fini, nec potest ea sub determinatione insufficiente a DEO exeri ex absolute perspecta illius necessitate.* *Primo enim, ut esset medium morale, praedicto fini sufficiens, deberet imponere homini veram moralem necessitatem, rite proportionatam gravitati finis, et proclivitati seu necessitati morali, hominem trahenti ad malum morale, quod illa lege, ceu medio sufficiente,*

te, moraliter impediendum esset. Atqui lex, tam dubie solum promulgata, tam parum veram ac sufficientem necessitatem moralem imponit, quam lex certo promulgata et existens, sed solum sub simili dubio intentans poenam aeternam, vel sub dubio simili de potestate physica poenam exequendi, an ea competat legislatori (328. V.). Etenim motivum omne incertum vim movendi voluntatem pro gradu suae incertitudinis amittit, et metus mali maximi, id est, reatus aeternae poenae, quod tam incertum est, an reipsa imminet committenti quamdam actionem, profecto nimis quam obtusam vim ad vincendam contrariam male agendi necessitatem moralem habet. *Deinde* si tanta in DEO virtute perfectionum suarum oriatur necessitas, ut remedium adhibere tam severum infinita eius bonitas se resolvat; nunquid hoc ipso eadem necessitas erit, ut certos non faciat de seria legislatrice sua voluntate, sine qua certitudine periculum multo magis augetur, quam spes futurae efficaciae adhibiti tam severi remedii? Ergo cum nec veram necessitatem moralem nobis tale dubium de existentia legis imponat, nec DEUS magis certos nos faciat; evidens indicium est, non esse in tali casu eam necessitatem legis divinae, quae sola DEO infinite benevolo sufficiens ratio esse possit ad constituendam legem naturalem graviter obligantem; ac proinde lex divina naturalis tam dubia vera esse lex naturalis non potest.

\* Recte enimvero Ill. Wolfius P. II. Philos. Pract. Univ. §. 244. seqq. *cognitionem* dividit in *vivam* et *mortuam*; illam vocans, quae satis est apta ac valida ad movendam toto obiecti cogniti pondere voluntatem; istam vero, quae momento valido id genus caret: tumque ad *cognitionem mortuam* refert. *omnem, quae incerta*

*certa est*, vereque dubia; eo quod nec bonum incertum satis alliciat, nec satis absterreat incertum malum. Iam vero voluntas DEI, lege naturali quid praecipiens, aut vetans, profecto siqua alia, efficax voluntas est, mediis extremis moralibus sufficientibus promovens actiones bonas, et impediens malas. Atqui non est illa profecto efficax, si non satis certa se nobis cognitione manifestat; qua sine sufficiente certitudine vigorem suum media illa moralia partem maximam amittunt, nec prope servire, nisi ad damnationem, possunt.

\* \* Adverte iam, per ea, quae 627. 632. 633. 634. demonstrata sunt, evidens esse, nec dari *legem directam*, vi cuius, ceu per ipsum dubium conscientiae promulgatae, actio tam dubia iam per se sit prohibita, nec actionem, secundum 631. ab agente determinatam, si ad legem illam directam relata expendatur, ullo pacto posse formaliter malam esse. Per ea vero, quae 636. dicta sunt, ostenditur nulla quoque existere *lex reflexa*, cuius ratio sufficiens sit necessitas, ex ipso tali dubio actuali exorta. Denique demonstratio, hoc loco (637.) posita, *utrique legi* refutandae ex aequo servit.

638.

I. *Qui in dubio conscientiae bonae probabilioris asserunt dari legem divinam, quae vetet actionem, secundum modum 631. in ea hypothese determinatam, aut ostendere debent legem, reflexe pro illa dubii actualis hypothese obligantem, et certo existentem, id est, certo promulgatam; aut asserere debent, dubium de lege obiectiva posse habere completam rationem actualis legis subiectivae (627. 636.).*

\* Si primum volunt: petimus eius probationem et simul evicimus, inania esse, quaecunque nobis exprobrant eo nomine, quod dictamen reflexum certum formari posse dicamus stante dictamine directo incerto. Nam et adversariorum dictamen certum de lege reflexa reflexum evidenter erit.

II. Si

*II. Si dubium de lege obiectiva sufficit ad essentiam legis subiectivae, nunquam licebit agere, nisi cum vel certum, vel saltem probabilissimum est dictamen conscientiae theoreticae.*

\* Utuntur porro mitioris sententiae in quaestione ista patroni celebri illo axiomate: *Melior est conditio possidentis*; atque ex eo inferunt, cum hominis libertas sit natura prior lege subiectiva (ceu subiectum), libertatem tamdiu esse in possessione sui, donec lex ista sit certa: quo argumento proinde pariter utramque legem, de qua hic agitur, directam nempe, et reflexam, refutant. At contra hoc axioma graviter superioris doctrinae sectatores in omni ista materia excipiunt, etiam cum probabilior opinio favet libertati, nec ubi causa inter libertatem hominis et legem DEI veluti disceptatur, putant, id posse habere locum; eo quod homo per essentiam sit servus DEI, et sub Dominio DEI. Operae pretium itaque est, usum illius principii, an, et qualis in praesente argumento locum habere possit, ex evidentibus principiis distinctisque notionibus ostendere. Siquidem mihi in eo ipso principio pro causa Probabiliorismi, contra Tutioristas plane evincenda, insigne momentum videtur inesse.

639.

*Ius plenum* est ius disponendi suo arbitrio tam de substantia rei, quam de omni eius usu accidentali, et fructibus eiusdem. *Ius non plenum* est ius disponendi de horum trium uno, vel altero tantum, non de omnibus.

*Ius proprium*, seu *dominium* vulgo, est ius, quod et quatenus a iure, seu libero morali alterius arbitrio (324.), quoad existentiae suae continuationem est independens. *Ius non proprium*, seu *precarium*, est, quod secundum existentiae continuationem dependet a iure libero alterius. *Dominium despoticum* est, potestas physica libera dispo-

disponendi de aliqua re, nulla habita ratione rectitudinis suae dispositionis.

640.

*Lemmata quaedam ex Theologia Naturali.* 1.) *DEVS est plenus et absolutus Dominus omnis creatae libertatis.* 2.) *Hoc plenum DEI dominium in nostram libertatem aliud non importat, quam ius disponendi tam de substantia seu de existentia ipsius facultatis nostrae physicae liberae, quam ius promovendi actus quosque istius liberos, et impediendi pro arbitrato, per media moraliter sufficientia (189.), id est, per leges et consilia, naturalia, vel positiva.* 3.) *DEVS incapax est exercendi dominium despoticum in nostram libertatem, nec exercet dominium, ex. gr. ferendo leges quascunque, nisi cum summa et infinita sapientia, bonitate, et iustitia.* Vide demonstrationes istorum in Theol. Nat. a 633. usque ad 642., item a 705. usque ad 712.

641.

*Itaque etsi ius proprium libertatis, immunis a lege divina, quoad nullam singularem actionem liberam nobis competat, nec competere possit: ius tamen precarium naturale talis libertatis, salvo DEI perfecto dominio, nobis convenit quoad omnes actiones non positive malas, quae simul nec ita bonae sunt, ut sint necessariae ad finem ultimum (639. 378.).* Reipsa enim ius, liberum ab omni lege naturali, habemus beneficio DEI, tales actiones salva rectitudine saltem negativa aut committendi, aut omittendi (378.).

642.

*Ius naturale precarium libertatis nostrae, a lege divina immunis, in omnibus actionibus li-*  
*Stattler Eth. christ. univers. Uu beris*



betis non positive malis *possessio libertatis* vocatur.

643.

*Praesumptio* est iudicium, quo in casu singulari ex ratione licet de se insufficiente aliquid pro absolute vero recte acceptatur, donec oppositum ex ratione sufficiente positive probetur. *Illud porro recte praesumitur, quod in hypothesis talis rationis, licet de se insufficientis, ut plurimum verum esse inductione constat.*

\* Dividunt quidem cum Ill. Wolfio praesumptionem in absolutam et conditionatam (Jur. Nat. Wolf. P. III. §. 1032.). At enim etiam *absolutam praesumptionem* revera conditionem involvere definitione ipsa istius fatentur: aiunt enim, eam esse, qua quid pro vero habere lex ipsa iubet, eandemque esse cum *praesumptione iuris et de iure*; qualis ex. gr. est pro sententia, quae iam in rem iudicatam transit. Iam vero etiam hic, saltem evidentia contrarii ostensa, praesumptio rei iudicatae evertitur; atque insuper praesumptio haec non legis naturae, sed civilis est, ac potius lege civili negatam iudicii et ulterioris actionis copiam importat, quam nudam praesumptionem, ex inductione sola pro veritate sententiae talis praesumentem. Recte itaque univeree praesumptionem non nisi conditionatam agnoscimus, et sub isto conceptu eam in genere ipso definimus hic, ubi non nisi ea, quae ratione sola naturali iam locum habere possunt, attendimus.

644

*Quilibet possessor rei lege naturae recte praesumitur dominus rei, a se actu possessae, nisi rationibus positivis certis probetur contrarium; et isto, non alio, sensu axioma iuris naturalis est, a iure civili semper adoptatum, quod melior sit conditio possidentis, id est, quod possessor praesumendus sit esse dominus rei, nec istius in causa civili petenda probatio, sed tamdiu*  
id

*id supponendum sit, donec actor positive contrarium certo probet:* atque hoc ideo; quia nec quisquam praesumendus vulgo est iniustus rei alienae contrectator, nec vulgo possessores rerum tales iniustos contrectatores, sed potius ut plurimum veros dominos esse, inductione constat.

\* Qui aliter explicant vim huius axiomatis, non video, quo pacto sensa sua cum distincta notione possessionis componant, quae aliud non est, quam rei detentio cum voluntate, eam habendi, ut suam. Vi huius enim notionis *possessio rei factum est, non ius.* Interim, cum vulgo veri domini non permittant res suas ab aliis possideri, factum certum possessionis praesumptionem domini in possessore fundat. Vbi nota, *possessionem libertatis (642.) potius importare negationem facti, nempe legis divinae.*

\*\* Videndum itaque modo, an dictum axioma: *Melior est conditio possidentis;* etiam circa possessionem precariam libertatis, a lege immunis, circa actiones probabilius non malas locum habere possit, et recte a mitioris sententiae in praesente quaestione patronis possit cum emphasi aliqua adhiberi.

645.

*Actionem, quam esse positive malam non nisi incertis ac minus probabilibus argumentis docti piique simul homines examine instituto probare se posse universe fatentur, recte non malam esse reipsa praesumimus.* Constat enim inductione saltem aequae generali, doctos simul piosque homines actionum vere maliarum malitiam vulgo saltem probabilioribus ex argumentis et saltem ex communi sensu naturae detegere, praesertim si de quaestione, in publicis scholis studiose iam diu ventilata, res est; constat hoc, inquam, saltem aequae generali inductione, quam est illa, qua fundatur axioma istud in materia iustitiae: *Melior est conditio possidentis;* aut qua fundatur praesumptio iustae sententiae, quan-

Uu 2

do

do haec transiit in rem iudicatam. Ergo sicut recte praesumitur possessor rei verus esse istius dominus, et sententia rei iudicatae esse vera; ita recte praesumetur talis actio non positive mala.

\* *Neque dicas*, saepe factum, ut docti quoque piique homines in re morali falsas morum regulas docerent. *Nam distingo*: Factum hoc est tunc, quando plurimi ex instituto talem regulam morum examinarunt, et cum etiam ii, qui diversae erant sententiae, facti nihilominus sunt, talem morum regulam, ab aliis assertam, vere et solide esse probabilem, et quidem in quaestione iuris naturae; *nego*: tunc, cum unus solum vel alter diceret esse probabilem, vel etiam probabilior, reliquis negantibus, esse vere probabilem; *concedo*.

646.

*Recte quoque praesumimus, DEVM in dubio conscientiae bonae probabilioris non prohibere lege aliqua actionem, vel omissionem, circa quam tale dubium versatur.* Constat enim rursus saltem aequali inductione, imo de infinita DEI benevolentia absolute universim pro certo habendum videtur, DEVM certis (non tam dubiis solummodo) legibus, ceu mediis unice sufficientibus, impedire actiones, vel omissiones humanas, vere cum bono maximo communi, vel cum substantia finis ultimi in casu individuo pugnantes ac positive malas; quanta inductione constat, quod possessores vulgo domini veri, et sententiae rei iudicatae vulgo verae sint. Ergo recte praesumitur DEVS non prohibere simpliciter vera aliqua lege actionem, vel omissionem, de qua ob tam dubiam malitiam reipsa ignoramus (635.), an absolute detur aliqua DEI lex; vel, etiamsi forte revera materialiter mala sit, permittere ignorantiam istius malitiae (loc.cit.); eo quod bonum commune  
maius

## *De conscientiae bonae securitate comparativa. 677*

maius, per accidens ex ignorantia fecuturum, potius exigat, subtracta eius malitiae notitia, eam non severa lege prohiberi (592.). *Adde*, generali inductione et ratione universali constare, DEVM non nisi certa necessitate demum permoveri ad expediendas poenas aeternas, et legem has interminantem, adversus actiones humanas positive *formaliter* malas: ergo cum nulla plane necessitas talis in aliqua actione nobis appareat ob minus probabilem solummodo illius positivam malitiam mere *materialem*; imo cum certi positive simus, nullam hoc ipso in actione, ad modum 631. indicatum commissa, intervenire malitiam *formalem*; rectissime absolute praesumimus, DEVM nulla lege severa eam, in individuo spectatam, prohibere.

647.

*I. In omni ducio minus probabili conscientiae seu de malitia fundamentalis actionis, seu de existentia legis naturalis, melior haberi debet conditio libertatis, perinde atque melior habetur conditio possidentis in controversia iuris naturae et civilis. Ideo enim et eo sensu melior utroque in iure habetur conditio possidentis, quia pro eo stat praesumptio domini, quamdiu contrarium non certo probatur: atqui par praesumptio stat pro libertate huiusque iure precario, seu possessione (642.), quamdiu actio dubia minus solum probabiliter esse mala probatur (645. 646.). Ergo etc. etc.*

648.

*II. Sicut praesumptio domini possessori, etiam exorto aliquo dubio circa veritatem domini, sed quod omni adhibita diligentia vincere non potest, secundum omnes licitum facit usum rei possessae, ac ius praebet de ea disponendi; ita praesumptio de bonitate actionis*

U u 3

et

*et istius immunitate a lege DEI prohibente (loc. citt.) licitum facit usum actionis et libertatis etiam exorto aliquo dubio minus probabili conscientiae (624.), quod post omnem adhibitam diligentiam vincere non potest: modo, uti possessor tenetur paratus esse ad rem dimittendam obtenta certitudine alieni iuris, ita et ipse virtute efficacis intentionis habitualis finis ultimi (373. 628. n. 2.) paratus sit actionem omittere, quamprimum sciverit esse malam, vel DEI lege prohiberi.*

649.

*III. Sicut in hypothesi loc. praec. non obstat dubium invincibile de materiali iniustitia actionis, qua possessor utitur re possessa instar domini, quo minus ab usu eiusmodi absit omnis iniustitia formalis, divinae perfectionis, iustitiae nimirum, contemptus, aut transgressio legis vetantis omnes actus iniustos: ita universe in dubio invincibili bonae conscientiae probabilioris non obstat dubium de malitia materiali actionis, quo minus ab ea in individuo, secundum modum 631. determinata, abesse possit omnis malitia formalis, omnis divinae perfectionis (cui illa forte materialiter opponitur re ipsa) contemptus, et omnis vera transgressio legis eam re ipsa vetantis.*

650.

*IV. Denique sicut possessor in dicta hypothesi certus est de licentia usus rei possessae; ita, stante dubio praedicto conscientiae theoreticae et practicae incompletae, certum dictamen conscientiae practicae completae haberi potest de licentia actionis in individuo et in hypothesi praesente invincibilis dubii secundum 631. determinatae.*

651.

*V. Eadem omnia huc usque dicta valent in quovis casu similis dubii invincibilis de lege positiva, prohibente*

*hibente actionem, vel omissionem, de se lege naturae non prohibitam.* Nam et in hoc dubio, si actio secundum 631. determinetur, valent suo modo omnia, quae dicta sunt 632. et seqq. usque ad 638.; uti et, quae 645. 646. diximus, facile huc applicantur, et quidem a fortiori; quia multo minor est necessitas ad commune bonum, ut leges positivae omnibus ex aequo ferantur, quam ut exigatur ab omnibus observatio eorum, quae per se ad legum naturalium materiam spectant.

• Ceterum certitudo disclaminis ultimi praedicti completi in omni hypothesi talis dubii conscientiae incompletae seu de lege naturali, seu de positiva, apertissime elucescit ex principiis, 632. usque ad 637. et 646. stabilitis.

652.

*VI. Fundamentum ergo praecipuum, cur in quocunque dubio bonae conscientiae probabilioris possessio libertatis, seu ius precarium ad actionem committendam et omittendam, de qua dubium existit, perstare censenda sit, in eo consistit; quod lex DEI obiectiva, praesertim graviter obligans, ceu factum divinae iustitiae, extremae severitatis remedium in cogenda libertate humana expedientis (644. not. I.), nulla suppetente istius sufficiente ratione (627. 636.), nullo pacto ne dicam probari, sed nec praesumi possit, atque hoc ipso recte ac pro certo supponatur perstare possessio libertatis.*

653.

*Tametsi facta non praesumantur, praesumitur tamen merito valor essentialis facti humani, seu deliberate editi, si de facto reipsa commisso certa constet, nisi contrarium positive probetur. 2.) Ut autem de facto humano, qua tali, constare possit, de voluntate actuali, tale in specie factum committendi, certo constare*

Uu 4

debet.

*debet.* Vt plurimum enim, cum humano modo agimus, id est, scientes, volentesque (287.), id vere, hoc est, valide agimus, quod agere ex proposito volumus: ergo valorem tunc recte praesumimus (643.); *quod primum.* Porro cum factum seu actio humana non sit, nisi quae voluntaria est; de eo constare non potest, nisi saltem de voluntate constet tale factum committendi (286.); *quod alterum.*

654.

*I. Si de lege obligante alioquin certo constet, et solum dubium sit, an factum, quo per se illius obligatio et existentia in casu individuo auferretur, re ipsa existat, vel extiterit; legis obligatio tenet.* Facta enim non praesumuntur (652.): ergo lex, sine facto tali certo obligans, pergit obligare, donec de facti existentia constet.

*II. Si de facto humano, qua tali, rite constet, quo et quali legis existentia determinatur; praesumendum est legem actu obligare; etsi dubitetur de valore facti (praec.).*

*III. Si constet quidem de facto, non vero item quod tale sit, quale requiritur, ut lex existat; neque de facto simpliciter rite constare, nec legem actu dari, censendum est.*

*IV. Si constet de facto, qua tali, quo et quali legis existentia tollitur, lex non obligare recte censetur, etsi valor facti sit dubius: quia tunc iste recte praesumitur (653.).*

*Si constet quidem de facto in genere, sed non, quod tale sit, quale requiritur, ut legis obligatio tollatur; lege quidem naturae adhuc obligatio legis tenet.*

• Limi-

\* *Imitant ultimum ex his corollariis patroni mitioris doctrinae in legibus positivis circa eos casus, ubi dubium versatur in eo, utrum quis iam impleverit obligationem legis, et probabilius est iam implevisse: quia praesumitur legislator in his legibus, quae absolute necessariae ad felicitatem humanam non sunt (355.), contentus esse, quod probabilius executioni a se datas esse subdito constet. Quamquam in divinis legibus positivis, quae casibus istis subiici possunt, fortassis semper per principium, loc. praec. stabilitum, obligatio tollitur; ut si quis dubitet, an legem confessionis distinctae peccatorum impleverit, eique probabilius quidem sit, non tamen certum, esse iam a se impletam: talis, si simul meminerit, se ea voluntate actuali eaque efficaci examinasse conscientiam, et confessionem peregrisse, ut satisfaceret obligationi istius legis, rite a se peractam confessionem, hoc est, eo modo, quo actu voluit et optavit, recte praesumere potest. De humanis porro legibus multo adhuc facilius praesumitur, non plus exigi a legislatoribus, quam probabiliorem ad summum executionis iam factae memoriam.*

655.

*Confundi nequaquam casus dubiae conscientiae debent cum iis casibus dubiorum, in quibus omne dubium non super aliqua regula morum, sed super theorematis, ab omni regula morum adhuc distinctis, versatur. Cum enim omnia principia, ex quibus licentiam actionis in vere probabili dubio conscientiae evicimus, ipsi dubio conscientiae, ceu hypothese natura priori, innitantur, uti ex dictis a 631. manifestum est: quaecunque aliorum dubiorum hypotheses statuuntur; principia eadem locum habere non possunt.*

656.

*I. In omni itaque dubio, quod cum morum regula aliqua nexum quemcunque habere videbitur, il-*



*lud primo attendendum; an ex illius hypothesi verum ac solidum dubium circa ipsam morum regulam nascatur (635.).*

*II. Quodsi, dubio quocunque posito, actio, in talis dubii hypothesi suscepta, adhuc maneat certo intrinsece positive mala; legis eam prohibentis obligatio manet indubitata.*

\* Male itaque quis inferat, ex. gr. eo quod probabilius sit, aliquam medicinam esse salubrem, eo ipso a Medico licite praescribi: eo quod probabilius sit mihi ius in aliqua re, continuo licite a me rem talem vindicari etc. etc. Enimvero in id genus casibus, cum maior probabilitas non in ipsa regula morum, sed in quaestione quadam, a moribus extranea, praecise haereat, nihil immediate concludere circa licentiam actionis adhuc licet, seu circa existentiam, vel non existentiam legis eam prohibentis; sed prius actio ipsa, in id genus dubio ponenda, quatenus ei (in hypothesi expressa dubii istius spectatae) malitia formalis obiectiva inest, vel non inest, examinanda est; atque formata exinde morum regula et conscientia mere theoretica de bonitate vel malitia talis actionis, tum primum dictamen conscientiae practicae completae tuto inferri poterit. Iam vero sic ubi processeris, facile advertes, praescriptionem medicinae dubiae praecerto salubri actionem esse, qua salus aegri sine necessitate certo periculo exponatur, cum tamen Medico salarium eo fine detur, ut omni vitae periculo obicem per artem suam ponat: ex quo certum fit, illam actionem pacto, iuri conductoris, ac proinde iustitiae, contrariam esse. Pariter facile intelliges; tametsi cum Probabilistis admittas, etiam licitum esse agere cum opinione aequae vel minus probabili, favente libertati, tamen in casu seu aequae, seu magis probabilis iuris, pro alio circa rem eandem litigiosam stantis, iustitiae adversari, si ob aequae probabile solum ius te alteri mox praeferas, nempe tibi uni totam vendices. Et quoniam (nisi per ipsam sententiam iudicis civilis,

civilis, praescripto singulari et expresso legis positivae, novum ius positivum alterutri parti litigantium a iudice attribuendum praescribatur; uti fit e. g. in casu intervenientium legum noxalium) *iudex*, tam civilis, quam sedens in secretiore conscientiae tribunali, alio officio non funguntur, quam ut sincerissima sententia declarent, quid etiam in ipsa quavis hypothese iuris dubii inter duos litigantes cuique iure vel lege naturali liceat, vel iuris sit prae altero: idcirco fieri nequaquam potest, ut (quod tam multi fieri posse ex utriusque partis affectibus secundum mitiorem Probabilismi doctrinam putaverunt) vel semel iudicis civilis sententia iusta a iusta sententia iudicis facti discrepet, ac dissentiat. Enimvero (seu veram, seu falsam credas omnem Probabilismi doctrinam) erravit sine dubio ille, cuius haec fuit propositio, ab Innocentio XI. Romano Pontifice damnata, inter LXV. n. II.: *Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare iuxta opinionem minus probabilem*; quia, etsi Probabilismum adoptes, tamen nec iure naturae originario quis in casu litis dubiae eo solo nomine rem litigiosam, seu ex parte, seu ex toto, sibi vindicare potest, quod ius minus, vel etiam aequae probabile in ea re se habere noverit, sed is solum circa rem totam, quae in neutrius adhuc litigantium possessione est, se iure alteri praefert, qui probabilius, prae adversa parte ius se habere certus est. Contra non minus errasse videntur mihi, qui ex illius propositionis condemnatione intulere, *universe iudicem secundum probabiliorem opinionem praecise iudicare debere*. Profecto enim neque istud ex falsitate prioris thesisi ullo pacto sequitur, neque per se veritati consentaneum est. Nam in casu, quo possessio pro eo stat, qui minus quidem, solide tamen adhuc probabile ius proprietatis habet, propositio ista vera profecto non est. Rursus in casu, quo *in foro* iudicis utrumque ius obiective aequae probabile communiter haberetur, non posset profecto iudex ei totum adiudicare, quem ipse subiectiva solum maiore probabilitate ius probabilius habere censeret. Denique in omni quaestione, in qua de licentia sola ac libertate actionis quaestio verteretur, aut de peccato, adversus legem admisso, ac de poena idcirco irroganda,

da etc. minor etiam probabilitas regulam certam fundabit, vi cuius absolvi accusatus, et actio impunis transmitti debet. Hisce vero regulis simul in deliberationem vocatis, nego, unquam iudicis publici sententiam a sententia arbitri conscientiae dissensuram, si utraque secundum rectitudinem feratur.

\*\* *Ohiicitur* itaque, 1.) commune principium esse, *in dubiis tutiora eligenda esse.* 2.) Stante dubio conscientiae quocunque, vel prudente formidine, quae certo locum habet etiam stante sententia probabiliore, non haberi posse dictamen certum conscientiae practicae, ac proinde necessario eum, qui secundum opinionem, faventem libertati, operatur, acturum in dubio practico: atqui hoc a nobismet supra improbatum esse: ergo etc. etc. *Probat maiorem* Berthius Lib. XXI. Cap. XIII. n. 14. (qui, nisi fallor, non nisi probabilissima opinione favente libertati, licentiam agendi concedit; ut ex Lib. cit. toto Cap. XVII. et ex Cap. XIII. nn. 6. et 17. colligere est) hoc modo. Vt, stante quocunque prudente dubio conscientiae theoreticae et practicae incompletae, posset formari dictamen certum conscientiae practicae completae; deberet ex parte obiecti immutari aliqua circumstantia, vel materia actionis, vel accedere novum momentum aliud alicuius ponderis, idque distinctum a sola circumstantia ipsius dubitationis, ut reflexione super tali nova circumstantia, et non praecise reflexione super ipsius mentis dubio, dictamen ultimum formetur. Atqui talis immutatio ex parte obiecti, seu materiae actionis, nulla suppetit praecise ex eo, quod de actionis fundamentali moralitate dubitemus. Ergo dictamen certum formari non potest. 3.) *Probat eadem maior* porro hoc modo. Ipsa reflexio de aequali atque etiam maiore probabilitate opinionis libertati faventis non est sufficiens momentum probans certitudinem; cum potius hanc evertat. Ergo non nisi voluntate et merito arbitrato infertur iudicium certum de honestate et licentia actionis, et excluditur dubium de actionis inhonestate. Atqui hoc sine summa imprudentia ac perversitate fieri nequit: *primo* quia id ignorantiam voluntariam et affectatam praese fert manifesto: *deinde* quia

quia is, qui non vult expendere momenta contraria, nec prudens est, nec moraliter certus de operis honestate; quis enim certus est de eo, quod norit, validis argumentis oppugnari? Num prudens miles dicendus est, qui non timet hostis a tergo venientis probabiles insidias? Num prudens mercator, qui lucrum tantummodo, non damnum pensat? 4.) *Probatur idem tertio.* Neesse est, ex duabus contradictoriis unam veram, et alteram falsam esse: ergo in earum discretionem periculum peccandi, non solum *materialiter*, sed *formaliter*, *Probatur consequentia ista.* Is enim consilio omnium peccat formaliter, qui voluntarie ac libere praeceptum transgreditur, nec habet ex parte huius voluntatis vel ignorantiam, vel impellentem necessitatem, vel motivum aliud invictum excusationis. Atqui etc. 5.) Dictamen directum et reflexum habent idem obiectum, et idem de eadem actione enuntiant: ergo non potest unum formidini prudenti, et simul alterum certitudini coniunctum esse. *Respondeo* imprimis, haec argumenta ex aequo premere omnes, qui extra casum probabilissimae opinionis, vel certitudinis de licentia actionis, tenent, aliquando saltem, nempe cum probabilior stat pro libertate opinio, licitam esse actionem; ut patet ex dictis 618. 622. 629. *Ad 1.* Si axioma universe legem naturae enuntiat, evidens est, ne probabilissima quidem opinio libertati favente, ac proin minus adhuc in opinione probabiliore de licentia, vere licitam esse posse actionem; quia uti opinio probabilior, stante vera probabilitate oppositae opinionis, dubium aut formidinem prudentem *absoluti* iudicii non tollit (614.): sic probabilissima opinio, favens libertati, minus tuta est opinione stante pro lege. *At enim concedimus* omnes, stante dubio practico, illud axioma pertinere ad *legem naturae* saltem disiunctive, sic, ut vel ope directae aut reflexae inquisitionis deponatur dubium practicum, vel actio omittatur (loc. citt.). *Concedimus quoque*, axioma illud pertinere universe ad *consilium naturale*; quatenus melius et maior Dei honoratio certo est, actionem omittere etiam cum magno suo incommodo vel molestia temporali, cum dubium directum de eius malitia mere materiali deponi absolute, qua-

quacunq̄ue inquisitione facta, non potest. *Negamus* vero, idem axioma *legem generalem naturae, actionem stante dubio directo absolute prohibentem*, exprimere; istiusque legis, ceu facti gravissimi, non nisi certa necessitate a DEO extorqueri soliti, probationem solidam ab adversariis petimus: quam cum nusquam afferant; *primo* inferimus, recte eam legem non existere praesumi saltem in hypothesi opinionis probabilioris stantis pro libertate (648. seqq.); *deinde* nec existere posse inde a 631. usque ad 638. positive probamus; ac *denique* hoc ipso ostendimus, dubium conscientiae incompletae minime impedire, quo minus in posita hypothesi cum certitudine conscientiae practicae completae securi de licentia agere possimus. *Ad 2.* ergo obiectionem omnis disputatio redigitur; in qua *negamus* enimvero *maiolem*; ad cuius *probationem* distinguimus *maiolem* hoc modo: Ut formari possit dictamen certum conscientiae practicae completae, stante dubio conscientiae incompletae, deberet aliqua circumstantia individua mutari, vel sic, ut ob eam actio certo fiat immunis etiam a materiali malitia, vel saltem sic, ut certo fiat immunis a malitia formali; *concedimus*: deberet determinate talis circumstantia mutari, ut iam certa nobis in dictamine ultimo fiat etiam ipsa immunitas actionis ab omni malitia materiali; *negamus*, simulque *distinguimus minorelem*: Sola circumstantia dubii bonae conscientiae etiam probabilioris nec immutat malitiam materialem, nec dubium de ista; *concedimus*: eadem non est occasio, ut, reflexione ad eam facta, possimus esse certi de actionis innocentia formali; *negamus*. Quaeso! si sola circumstantia dubii directi efficere potest, ut actio, secundum se materialiter innocens, fiat formaliter mala, quin aliquid mutetur ex parte obiecti; si nempe committatur in dubio practico: cur non item actio reipsa materialiter mala ex sola occasione dubii minus probabilis (624.) sine alia mutatione ex parte obiecti, eiusdem possit fieri formaliter innoxia; si modo contemptus DEI practicus, qui actioni, in dubio practico commissae, essentialis est, prudenti praesumptione non existentis in tali dubio divinae legis, et dictamine positive certo, excludatur? *Ad 3.* Evagatur a scopo tota probatio, ficti

sicuti et dicta omnia ab eodem Berthio in loc. cit. Cap. XIV. n. 20.; quae profecto aequae pro Tutoristis contra Probabilioristas, quam contra Probabilistas, probant: non enim sola reflexione, ad praesens dubium facta, mero voluntatis arbitrio formamus dictamen absolutum de licentia actionis; sed reflexio ad dubium praesens solum occasio et idea veluti excitatrix est deliberationis de existentia legis divinae naturalis. in casu dubii minus probabilis iam hoc ipso universe prohibentis actionem; quod dubium reflexum ex principiis certis resolvimus secundum dicta a 636. Hoc facto non iam affectamus ignorantiam malitiae materialis; sed scimus, eam esse simpliciter dubiam: at scimus pariter, et dubium hoc invincibile esse, et proinde in praesens ob ipsum dubium tale invincibile, etiam si re ipsa materialis quaedam malitia subest actioni, eam nobis divina lege non prohiberi. *Ad 4. Negamus consequentiam, et in huius probatione propositionem minorem:* quippe qui supra iam 633. ostendimus, malitiam materialem, quae forte etiam subest re ipsa actioni, in praesente hypothese nec directe, nec indirecte fore agenti secundum 631. voluntariam. *Probabilitatem minorem et solidam malitiae materialis non ignorat, qui in tali dubio sibi format dictamen de formali innocentia actionis:* neque praecise hoc dictamen ultimum fundat in maiore probabilitate de innocentia materiali, sed supposita malitiae materialis incertitudine et ignorantia absoluta (634.), cavet sibi ab omni contentu DEI practico, et ne in malitiam etiam solum materialem voluntate seu absoluta, seu conditionata, consentiat; simul tamen attendens, non adesse rationem sufficientem legis divinae naturalis, in casu talis dubii obligantis, concludit non dari rationatum, nec se obligari a DEO ad actionem omittendam. Vnde falsum est, quod talis unquam cognoverit DEI legem, qua actio prohibeatur (quia dubium de lege conceptum neutiquam iam est cognitio ipsius legis); sed potius, dubio de legis existentia exorto, concludit, in praesens ob ipsum minus probabile dubium de malitia materiali illam non existere. Vnde et illud probe notandum, neutiquam admitti, aut legem in tali casu ullam naturalem existere, aut ab agente absolute cognosci,

nosci, aut proinde agendo violari. Ex quo apertissime sequitur, stante et manente descripto dubio de malitia materiali actionis, dubium de lege DEI prorsus deponi, et proinde omnem malitiam formalem et rationem peccati ab ea perinde removeri, atque si dubium de malitia materiali actionis omnino non suboriretur. Imo illud praeterea asseri ex vero potest, ab eo, qui principia Probabiliorismi perspecta habet, exorto licet dubio simili de malitia materiali actionis cuiusdam, ne quidem dubium de ipsa lege naturali actu concipi, sed continuo subiungi dictamen certum (vel absolute, si sit ipse doctus, vel respective, si indoctus sit) de licentia individuae actionis. *Ad 5. Nega-  
mus antecedentis utrumque membrum.* Nam primo evidens est, quod dictamen directum enuntiet minorem probabilitatem malitiae materialis actionis abstrahendo, an ista in actione satis actu cognoscatur, et formalis seu voluntaria sit, qua talis, nec ne; contra dictamen reflexum pro obiecto habet actionem, ut iam compositam dubio de malitia materiali. *Deinde* primum dictamen praecise de actione abstracta enuntiat probabilem malitiam *materialem*; cum ex adverso reflexum dictamen de actione, ut composita cum illo dubio, enuntiet certam bonitatem *formalem*. Praeterea nunquid ratio *voluntarii* longe alia inest actioni, 631. definitae, quam inesset, si cum cognitione certa malitiae materialis poneretur? Quippeni de actione longe aliter *in ratione voluntariae* determinata certi esse possumus, quod sit formaliter bona; etsi dubium de materiali bonitate, in quo ab omni ratione voluntarii abstrahitur, maneat invincibile?

\*\*\* *Opponunt* porro 6) Scripturae divinae saepe nos monent, ut *arctam* potius sectemur *viam*, & *lata* ducere ad interitum, ut *vigilemus omni tempore orantes etc.*; *item qui credit cito, levis corde* dicitur ab Ecclesiastico XIX. 4. Atqui qui tutiora et certa dimittit, et sola probabilitate quacunque incerta, favente libertati, innititur, via lata volens ingreditur, non vigilat cautus, probabiliores opiniones, ceu legis divinae effugia, levi credulitate sectatur. 7) Qui prae certo et magis tuto eligit incertum ac minus tutum, etsi probabi-

babilius non malum videatur, saltem ab imprudentia exculari non potest. Item est prudentia carnis, reprobata a DEO et opposita prudentiae spiritus, eligere temporalia prae spiritualibus, faventes libertati incertae sententias prae tutioribus et DEI legem ingerentibus. 8.) Damnata est ab Innocentio XI. Prop. IV.: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, ductus opinione minus probabili*: atqui aequae damnari meretur ista: *Ab infidelitate excusabitur infidelis, ductus opinione probabilior*: ergo nec maior probabilitas favens libertati excusat a peccato. 9.) Medico non licet applicare pharmacum incertum, etsi probabilius profuturum, in hypothesi, quod aliud certum ac omnis expert periculi suppetat: ergo eadem regula in cura animarum servanda est; quia non minor habenda est cura in dirigenda valetudine animae, quam in curatione corporis aegrotantis: siquidem in delectu opinionis mere incertae, dum suppetit tutior agendi modus et omnis periculi expert, non minus periculum est nocendi animae, quam est damni corporis ex minus secura medicina. 10.) Si aliquando dimissis tutioribus et certis regulis conceditur licentia libertati, ob sententias probabiliores, huic contra DEI legem faventes, idque in ipsis quaestionibus, ad legem naturae spectantibus; iam via aperitur cunctis Probabilismi doctrinis. Neque enim verisimile est, inquit, lege naturae diversum quid pro diversis gradibus dubiae conscientiae esse constitutum; tum quod istos non nisi doctissimi, et hi perdifficiliter, et raro, distinguere sciant; tum quod sic nimis vacillans pro ingeniorum diversitate legum naturalium constitutio foret; tum quod nulla ratio magis necessariam faciat legem naturae eiusmodi obligantis in gradu uno potius dubiae conscientiae, quam altero. Atqui sola necessitas ratio sufficiens est, legem naturae determinans. Finge, dicunt, legislatorem humanum, legum codice edito, constituere, ut in casu dubii, in quo recurrendi ad summum interpretem et conditorem legis copia non dabitur, si quidem maior, vel aequalis sit probabilitas, libertas subditorum salva maneat; sed in casu probabilitatis solum minoris, faventis libertati, lex certa semper obtineat, quam verba codicis probabilius enuntiant: nonne res oppido inutilis de-

*Stattler. Eth. christ. univerf.*      X x      cer-



cerneretur, multoque sapientius univérse interpreta-  
tio, pro lege dubia contra libertatem facienda, statuere-  
tur? Quis enim in tali civitate componet lites inter  
ipfos interpretes inferiores, quorum uni videbitur hoc  
probabilius, quod alteri solum aequae, aut minus etiam,  
probabile? Quid ergo inde, nisi perturbatio et lites,  
sic, ut unus ad idem obliget eundem, excuset alius?  
Qui severiorem iudicem est nactus, obligatione preme-  
tur; eximetur contra, qui in mitiorem casu incidit.  
Atqui in DEI leges, in quibus de re non minore, quam  
de aeternis poenis agitur, quaeque simul a sapientissi-  
mo legislatore ex mera in subditos infinita benevo-  
lencia feruntur, tam fortuitae variationis discrimen  
cadere non potest; maxime quae naturales sunt. et  
communi titulo necessitatis, ceu ratione unice suffi-  
ciente, fundantur. Ergo vel in omni casu et gradu  
dubiae conscientiae, vel in nullo, interpretatio pro  
eisdem facienda erit; siquidem aut par, aut nulla ne-  
cessitas in omni casu dubii futura est. Ecce vim om-  
nem Tutorismi!

\*\*\*\* *Respondeo ad 6.)* Etiam arcta via, ante-  
quam in latam divergat, varios gradus arctitudinis  
habet; arctissimam consilia, minus arctam, arctam ta-  
men, leges permissivae, ut vocamus, certis limitibus  
constituunt: ultra hos primum via lata sese expandere  
incipit. Nisi ergo Tutorista necessitatem legis naturae  
ostendat, univérse ob solam hypothésin cuiuscunque  
dubii, stante etiam probabiliore opinione favente li-  
bertati, actus etiam cetera innoxios prohibentis (ne-  
cessitatem, inquam; quia haec sola unicum fundamen-  
tum est, ex quo de naturae legibus iudicandum): in-  
cassum obiectat, mitioris doctrinae patronos incessum  
per latam viam hominibus indulgere; frustra quoque id  
genus Scripturae textibus sententiae suae nimis quam  
rigidae, et a divini iugi suavitate alienae, inanem spe-  
ciem facere allaborat. Porro gradus iidem, qui in ar-  
cta via, in vigilia quoque, in cura salutis, et fuga pe-  
riculorum eiusdem locum habent. Sed nec levi corde  
cito Probabilioristae genuini credi permittunt aliquid  
in morum regulis vere probabilius esse suadenti (635.),  
nec legibus ex argumentis legis divinae naturalis, du-  
biae

bias omnes actiones univēse et necessario vetantis, existentiam negant (636.). *Ad 7.)* eadem est responsio. Etiam prudentia, spiritus et carnis, utraque eodem gradus et limites habent, quos via arcta, et lata. Utique non laudamus eum positive de prudentia spiritus, qui actiones mere licitas aut indifferentes committit, nec nisi negative refert ad DEUM et finem ultimum; eo quod laus positiva prudentiae non nisi in eum cadat, qui positive bene theologice formaliter agit, actionemque refert ad DEUM (318. l.). Sed negamus pariter, eum prudentiae carnis, positive contrariae prudentiae spiritus, argui posse, qui adhuc sic negative refert in dubio conscientiae actionem suam ad DEUM, ut paratus sit omittere, si sciret eam divinis perfectionibus advertari; nec committere eam cuiuscunque temporalis commodi causa se demum resolvat; nisi postquam certo dictamine conscientiae completae noverit, actionem in praesens saltem formaliter malam non esse, nec proin lege divina in praesens prohibitam. *Ad 8) concreto*, alteram propositionem aequae falsam esse; *nego* autem, quid inde contra Probabilioristam recte concludi: sicuti ex primae damnatione parum contra benigniores Doctores mea opinione probatur. Nimirum omnis infidelis, si mediis rite utatur, quae DEUS circa necessaria ad salutem oranti nunquam subtrahere solet, semper ad certitudinem de veritate fidei, ad salutem necessariae, pervenire potest. Ergo, si non perveniat ad istam, in culpa est, quod mediis, quibus poterat, et uti certo debebat, usus non fuerit; a qua proinde quidem per opinionem probabilioris, fidei verae oppositam, unquam excusabitur. *Ad 9.)* iam supra ad not. I. responsio data est. Nempe Medicus, pretio ad hoc conductus, pacto tacito se obligat ad *omne* periculum corporis solerti artis suae applicatione arcendum: et univēse, ubi iura certa aliena violanda sunt, aut horum saltem possessio, nunquam sufficit ne maior quidem probabilitas mere speculativa, ex. gr. quod actio non sit futura noxia alteri, quod ius proprietatis probabilius in re, ab altero possessa, mihi competat &c. &c.; eo ipso, quod praesumptio stet pro altero. Ex adverso pone, aegrum ipsum velle medicinam proba-

biliolem solum prae certa sibi applicari, idcirco ex. gr. quod illa minoribus constet expensis, aegerque tenuiore alioquin fortuna sit; nunquid etiam cum aliquo periculo materialis mali licebit aegro ipsi medicinam eligere minus certam prae tutiore? Et tamen, si petat ille a medico curari quam certissimis remediis, nullasque impensas recuset, non licebit Medico probabilius solum remedium prae certo adhibere. Porro cur non etiam in dubio de malitia mere materiali agens saepe ex gravis alterius veri mali materialis vitandi studio velle permittere possit, ut aliquod malitiae mere materialis periculum agendo subeat, cum certitudine de innocentia formali suae actionis; cum id aegro circa medicamenta liceat ex proposito vitandae expensae, fortuna sua maioris? Sic profecto ipse S. Paulus iussit comedere Christianos de cibis gentilium, modo non constaret illis, idolothyta esse, eo scilicet fine, ne cum detrimento spiritali sperni se ab illis existimarent gentiles, aversumque a religione vera animum induerent; imo etiam ex ea solum causa, ne Christiani nimio incommodo molestarentur abstinendi a plerisque cibis publice venalibus. *Ad 10.)* respondent vulgo Probabilioristae, discrimen illud esse, quod, opinione probabiliore suppetente, quae faveat libertati, prudenter iudicare possim, actionem, de qua dubito, non esse malam; non item, si tantum suppetat aequae, vel minus probabilis. Sed vereor, ut haec responsio Tutioristis satisfaciatur ob dicta (614. 622.). Mihi vero non incumbit hanc litem dirimere, cuius nec contestationem supra (629. not.) admisi; quia sine partis alterius offensione de ea sententiam pronuntiare meam non possum. Ceterum ne pars alterutra ultra limites progredi possit, geminas propositiones, a summis Pontificibus Romanis damnatas, habemus; unam nempe n. III. inter LXV. ab Innocentio XI., et alteram ab Alexandro VIII. proscriptam. Prior sic habet: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Altera ita sonat: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probalissimam.* Ultra haec decretorium nihil in alterutram partem a Romana Sede emanavit. *Denique, quidquid de ceteris quaestionibus,*

ad

ad dubiam conscientiam pertinentibus sentias, illud certum habetur ab omnium partium affectis; in quovis gradu dubiae conscientiae, quamdiu innocentia actionis adhuc vere et solide probabilis est, legitimo superiori, eam praecipienti, parendum esse, etiam probabilior contraria opinio concurrat, quae actionem malam esse suadeat. Probabilistae quidem inde existimant necessario consequi, maiorem probabilitatem neque sufficere posse ad sufficientem promulgationem legis divinae, neque fundare necessitatem legis naturalis reflexae, talem actionem prohibentis; siquidem secus DEO prohibenti magis, quam praecipienti homini parendum foret, a qua lege generali sine fundamento exceptio ob solum humani legislatoris praecipitum fingeretur: verum haec mere scholasticae nihil subditorum quorumvis obedientiam erga legitimos superiores suos, seu politicos, seu religiosos, infringere debet. Porro illud sane vile ingenium, et parum convenientem cum DEO agendi modum saperet; siquis doctrina seu Probabiliorismi, seu Probabilismi, ad venanda quaevis a DEI lege effugia et licentiosem vitam sectandam praecise abuti vellet: quae sane id genus ignavis Christianis favendi intentio nunquam quibuscunque mitioris doctrinae doctoribus recte sapientibus, ut opinor, in mentem venit. Ea potius istorum mens et consilium semper fuit, ut in difficilioribus non nullis humanae vitae casibus, in quibus leges, dubie solum sese menti ingerentes, comparate ad magnas difficultates, quae in conformandis ad illas actionibus humanis vincendae essent, vim movendi alioquin infirmoorem habent (637. not.), earum obligatione gravi sine necessitate ac sufficiente ratione non asserta, infirmitas humana sapienti moderamini salutis periculis non necessariis, salvo communi bono, eximeretur. Qua in re qui aliud non defendit, quam licentiam actionis in hypothese probabilioris opinionis faventis libertati, profecto sapientis moderaminis limitem excedere iure videri non potest.



---

 SECTIO V.

 DE SOLA VERA VIRTUTE CHRISTIANA  
 HVIVSQUE PERFECTIONE.
 

---

## CAPVT I.

## DE ESSENTIA VERAE VIRTUTIS CHRISTIANAE.

657.

**V**irtus in genere est habitus recte agendi, cuius actus est actio recta. Virtus physica est habitus recte agendi rectitudine mere physica; Virtus moralis vero est habitus recte agendi moraliter, seu cum rectitudine morali (I.): cui utrique contrarie opponitur vitium, quod est habitus agendi positive physice, vel moraliter, male.

\* De Virtute morali hic nobis cum differere propositum sit, deinceps virtutis nomine simpliciter adhibito, semper eo intelligi moralem virtutem volumus; nisi aliud expresse addatur. Virtus physica intellectus, et voluntatis necessario agentis, bonos habitus simul complectitur. Vitium an aliud positivum, praeter morale, existat, an vero vitia physica in mero virtutum oppositarum defectu consistant, disquirere parum utile videtur: etsi posterius verisimilius videatur.

658.

I. Virtus moralis non nisi rectis, vitium positive malis actionibus frequentatis acquiritur: quia habitus sunt.

II. Vir-

**II.** *Virtus facilitatem seu promptitudinem voluntatis constantem ad rectas, vitium ad malas actiones morales importat. Habitus enim in tali facilitate permanente consistit.*

**III.** *Virtus conservatur, et augetur continuo re-ctis homogeneis, vitium vero malis homogeneis, actionibus moralibus.*

**IV.** *Virtus iam acquisita contrariis positive malis, et vitium contrariis rectis actionibus, imo hoc et illa etiam sola diuturna intermissione homogenearum actionum moralium, minuitur, et extinguitur (352. Psychol.).*

659.

*Virtus mere Philosophica, vi recepti iam usus vocis istius, est habitus recte moraliter agendi moralitate solum physice bona, seu convenienter bono naturae rationalis.*

\* Nomenclatio haec definitur vulgo non a vi etymologiae vocis, quae smorem sapientiae sonat; sed ab usu virtutis, apud gentiles Philosophos usitato. Ceterum mox patebit, veram uti virtutem, sic et sapientiam, cuius est, fines optimos propositos habere, nequaquam concipi posse in eo, qui altius mentem ultra se ipsam, tanquam boni normam, non extulerit.

660.

**I.** *Virtus mere philosophica actiones morales nec ad bonitatem theologicam, nec ad DEUM DEIque similitudinem, per se refert.*

**II.** *Eadem actiones morales non refert ad purum bonum fruendum, ceu ad finem ultimum, quod est solus DEUS.*

661.

*Veram virtutem appello, quae est habitus recte moraliter agendi moralitate sufficiente ad*

X x 4

con-

consequendum finem ultimum, seu fruitionem puri boni.

\* Non opinor, cuiquam iure hanc definitionem displicere posse; quae profecto consentit cum recepto usu et notione istius vocis, atque imprimis cum mente S. Augustini, quam is in Lib. IV. contra Iulian. C. III. expressit, quemve ipsum locum supra 383. not. 4. integre allegavi.

662.

*I. Omnis vera virtus facilitare debet ad actiones morales moralitate saltem sufficiente ad meritum congruum beatitudinis vitae alterius (158. 210.).* Ut enim moralitas actionum sufficiens sit ad consequendam beatitudinem per modum praemii, qualis modo est pro fine ultimo a DEO constituta, et quidem talem, quae in visione immediata DEI beatifica consistat, necesse est, ut actiones illae habeant rationem medii sufficientis ad hunc finem, id est, alicuius meriti moralis sufficientis (161.), quod saltem sufficiat eatenus, quatenus opus est, ut cetera per DEI benevolentiam suppleri possint (165. II.) Atqui ad hoc merito congruo est opus (210.).

*II. Omnis vera virtus facilitare debet ad actiones morales theologice formaliter bonas, et cum directa intentione istius bonitatis committendas.* Sine hoc enim nullam rationem liberae honorationis DEI continent, nec proinde bonitate morali eiusmodi pollere possunt, qua DEUS moveatur ad bonum purum, id est, sui fruitionem illis instar praemii retribuendam; quippe cuius nullam voluntariam appetitionem, nec voluntariam ad hanc relationem, in se continent (660. 314. 318. I. 300.).

*III. Vir-*

III. *Virtus mere philosophica vera virtus non est* (660. et Cor. II. hic.).

\* Vulgo a virtute mere philosophica *virum honestum* quemlibet appellare solemus. Patet ergo, quam parum verae laudis sub nomine isto lateat.

663.

*Veram virtutem naturalem* appello habitum mere naturalem recte moraliter agendi moralitate theologica, ac proinde saltem de congruo sufficiente ad promerendam veram beatitudinem alterius vitae.

664.

*Virtus vera naturalis perdurans, et universe ad omnes actiones theologice formaliter malas devitandas per se sufficiens, vel sufficiens ad omnes actiones moraliter bonas et ad finem consequendum necessarias committendas, sine auxiliis gratiae divinae actualibus supernaturalibus moraliter extrinsece impossibilis est.* Per dicta 524. 525. 527. hoc abunde patet.

665.

I. *In statu morali pure naturali quocunque vera virtus, constans et universe ad omnes morales actiones sese extendens, vere probabiliter praesumi non potest vel extitisse unquam, vel extitura esse.* Quod enim moraliter impossibile est, hoc ut plurimum non fit; imo rarissime et vix unquam fit. Ergo &c. &c. (643. 609.).

II. *Virtus vera mere naturalis quaecunque, si existat etiam per auxilia gratiae supernaturalis actualia, per se non nisi rationem meriti congrui respectu beatitudinis habere potest.* Cum enim sit bonitas mor-

X x 5

ralis,



ralis ex omni parte mere finita, nec solus DEI concursus actualis supernaturalis, sufficiens naturalem hominis impotentiam, bonitatem seu physicam personae agentis, seu moralem actionis per se augeat saltem ita, ut proportionem ista ad beatificam DEI visionem, aeternum duraturam, per se habeat; non nisi DEI benevolentia per se ipsam, nec solo meriti intuitu, sed propria facilitate, moveri potest ad praemium aeternum beatæ DEI visionis tali virtuti retribuendum. Ergo per (210. &c. &c.).

\* Unde in statu morali pure naturali actiones morales saltem quoad modum supernaturales darentur.

666.

*Virtus vera, ac simul sufficiens ad actiones morales de condigno meritorias beatæ vitæ, elevationem personæ hominis agentis ad dignitatem quoad substantiam supernaturalem requirit. Est enim præmium beatæ vitæ quoad substantiam supernaturale, et vires naturæ activas omnes, physicas, et morales, absolute superans (praec.), et aliquo pacto ratione temporis infinitum. Ergo nisi aliunde meritum personæ humanae ratione dignitatis istius augeatur modo quoad substantiam supernaturalem, etiamsi gratiæ actualis influxus, vires humanas sublevans, accedat, meritum condignum nunquam dabitur respectu talis præmii.*

667.

*Virtus Christiana est, quæ in statu morali praesente, quoad substantiam supernaturalem (5. 6. III. 9.), interventu applicationis meritorum IESU Christi, sufficiens est ad omnes actiones morales theologice formaliter bonas, et ad beatam vitam consequen-*

sequendam necessarias, cum merito morali condigno istius praemii, perficiendas.

\* Definitionem istam non gratis sumtam esse, constat ex apertissimis *S. Scripturae* locis, ad notiones hic praemissas applicatis, et authentica Ecclesiae Catholicae interpretatione explicatis. De Christianis enim baptizatis ac iustis *S. Petrus* II. IV. 4. affirmat: *DEVS maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini consortes divinae naturae.* *S. Ioannes* Evang. I. III. 1.: *Videte, ait, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, et simus.* *S. Paulus* ad Rom. VIII. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum DEI, in quo clamamus: Abba! Pater! Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii DEI. Si autem filii, et heredes: heredes quidem DEI, coheredes autem Christi.* Haec profecto hominis, qui natura DEI servus est (632. Theol. Natur.), dignitatem quoad substantiam supernaturalem apertissime exprimunt. Loca sequentia condignitatem meritum in tali persona merente non minus clare enuntiant. Nimirum *Christus* ipse Matth. V. 12. *mercedem* vocat beatam vitam in caelo, iustis multa adversa in hac vita DEI amore patienter tolerantibus retribuendam; *Gaudete, et exultate; quia merces vestra copiosa est in caelis.* *Apostolus* II. *Timoth.* IV. 8. eandem coronam iustitiae appellat: *Reposita mihi est corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus, iustus iudex; id est, ex iudicio de dignitate meriti.* Idem *Tessalonicenses* in II. *Epist.* I. 5. hortatur ad patientiam et fidem in persecutionibus, *ut digni habeantur in regno DEI, pro quo patientur.* Denique *Sapient.* III. 5. de iustis, DEO inter adversa fidelibus, dicitur: *DEVS tentavit eos, et invenit eos dignos se.* Quae loca *Tridentinum Concilium Oecumenicum* Sess. IV. Can. 32. explicat, afferens, *iustificatum bonis operibus, quae ab eo per DEI gratiam et IESU Christi meritum, cuius vivum membrum est, fiunt, vere mereri vitam aeternam, atque gloriae augmentum.* Iam vero per meritum mere congruum praemium determinatum, quod soli merito condigno responderet, vere nequaquam mereri dici possemus.

•• Mi-

\*\* Mirum sane, quod Lutheranis partibus addicti, considerata vel sola notione meriti saltem congrui supra 210. data, simpliciter negare velint omnem rationem meriti operibus theologicis bonis, a Christiano et iusto homine editis; *omnem* inquam, *meriti etiam congrui rationem*. Nam si *de condigno merito* id solum negarent; nulla dogmatica nobis cum illis controversia. sed lis solum scholastica foret; in qua etiam ex Catholicis Doctoribus, salva pace, in sententiam negantem quidam concessere. Baius voluit, bona opera iusti hominis solum esse *conditionem*, sine qua ad vitam beatam non admittatur. At enim si bonitate morali vera theologica supernaturali pollent, et dignitati insuper personali filii adoptivi DEI coniungantur, *rationem causae moralis*, adeoque veri *meriti* habent.

\*\*\* Disquirendum porro penitus, an et in quo gradu virtus Christiana omnibus sit ad consequendam beatam vitam necessaria, ac proinde an in praesente saltem statu morali sola illa sit virtus vera.

668.

*Lemmata quaedam Catholicorum dogmatum*, huc spectantia. 1. *Non est in praesente ordine consiliorum Providentiae DEI ulli homini, nec fuit unquam, spes aut via, seu medium sufficiens ad consequendam vitam beatam, nisi mediante aliqua applicatione meritorum IESU Christi*. Constat hoc ex solenni praedicatione S. Petri Apostoli, coram Principibus et Senioribus populi Iudaici facta, quae extat Act. IV. 11. *Hic (IESVS Christus) est lapis, qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Vbi secundum omnes interpretes intelligitur Christus fundamentum unicum salutis declarari respectu omnium gentium; quod designatur per lapidem angularem, qui iungit utrumque parietem, id est, posteros Abrahae carnales, et gentes ceteras,

prius

prius ab his divisas, in unum aedificium caeleste. Idcirco, sicut a serpente omnium hominum, veluti a communi hoste, ruina, ita a Christo Domino, positus semel inimicitias inter serpentem et semen istud mulieris, seu Filium Virginis (Genes. III. 15.), origo benedictionis omnium gentium unice futura, iam Genesis XXII. 14., et alibi saepissime praedicatur. *II. Ea vero applicatio meritorum Christi in omnibus est necessaria absolute ad salutem aeternam, vi cuius homo quilibet dignitatem filii DEI adoptivi, et amici DEI, quam gratiam sanctificantem vocamus, reipsa consequatur in hac vita per Christum, quam per Adami peccatum amisit.* Hoc sensu Apostolus dixit ad Rom. V. 18.: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae. . . . Ut gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam per IESUM Christum.* *III. Haec applicatio meritorum IESU Christi in adultis, rationis usu recto pollentibus, ne quidem medio Sacramento solo Baptismi unquam fit, nec mediante actu quocumque mere naturali caritatis; sed necessaria ad eam nunquam non fuit, atque est, praevia fides supernaturalis explicita saltem de DEO existente, et de futura apud DEVM beatae vitae remuneratione, illis impertienda, qui DEVM, ceu finem suum ultimum, ex praescripto divinae legis ipsius rite consecraverunt: quae fides nimirum habenda erat generali illi divinae revelationi, quae iam inde a mundi creatione primis parentibus, etiam post commissum iam originale peccatum facta, fuit.* Docet hoc clare Apostolus ad Hebr. XI. 6. dicens: *Credere oportet accedentem ad DEVM, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Hoc ipsum vero fieri sine influxu supernaturalis gratiae non posse, ex Scripturae locis pluribus iam supra

supra (529.) ostensum est; ubi idem auctoritate quoque Patrum et Conciliorum Oecumenicorum probavi. *IV. Adultis omnibus, fide divina iam illustratis, et in DEI gratia seu amicitia iam constitutis ad salutem actu consequendam necessaria est legum divinarum saltem gravium omnium observandarum supernaturalis actualis voluntas, habitu semper perdurans (373.), et ex motivo actualis DEI amoris, tum caritatis saepius, tum concupiscentiae motu efficaci, concepta (386. 389.). V. Ad hanc supernaturalem voluntatem tum actu eliciendam statis temporibus, tum habitu semper conservandam, constitutis semel in DEI amicitia probis hominibus nunquam non suppetunt sufficientia gratiarum supernaturalium auxilia, ac plena libertas moralis. Hoc enim sensu iugum DEI suave Matth. XI., et I. Ioan. V. mandata DEI haud gravia esse dicuntur.*

669.

*Virtus Christiana sola est virtus vera, eaque adultis ratione utentibus universis necessaria omni tempore fuit, et sola sufficiens ad vitam beatam reipsa consequendam.* Status enim moralis quoad substantiam supernaturalis cum applicatione meritorum IESV Christi sufficiente ad consequendam actu dignitatem filii DEI adoptivi, atque in hoc ipso statu collecta merita moralia theologica per actus caritatis et amoris DEI, universis et singulis adultis hominibus ratione pollentibus, omni tempore, fuerunt, suntque adhuc necessaria ad beatam vitam consequendam, unaque ex his concepta firma et habitualis voluntas ad omnes DEI leges graves observandas, id est, voluntatis habitus sufficientibus gratiae supernaturalis auxiliis, semper instructa, ac proinde sufficiens ad omnes actiones morales formaliter theologice bonas necessaria-

cessarias cum merito condigno vitae beatæ perficiendas (praec. et 667. not. 1.). Atqui hic est ipse conceptus virtutis Christianae (667.). Ergo virtus Christiana omnibus est fuitque necessaria et sufficiens ad finem ultimum, seu puri boni fruitionem, in vita beatâ consequendam; ac proinde per 661. etiam sola est virtus vera.

670.

*I. Itaque extra statum dignitatis filiorum DEI nulla est, nec unquam fuit, in ullo homine vera virtus in sensu 661. definito.*

*II. Status moralis praesens, a DEO pro adultis ac ratione pollentibus hominibus ordinatus, relate ad beatam vitam is per se est, in quo illi beatæ vitae praemium per merita condigna promereri et possint, et gravi lege DEI obligentur.*

*III. Gentiles Philosophi quicumque, qui ad statum dignitatis filiorum DEI non pervenere, actus quidem virtutum naturalium saltem in facilioribus occasionibus hinc inde exercere potuerunt (525. II. 381. I. 382.); vera autem omni virtute caruerunt.*

*IV. Quamdiu nulla suppetunt probabilia documenta, quod ex Philosophis gentilium aliquis reipsa ad fidem supernaturalem et habitualement illam caritatem DEI promptamque voluntatem servandi omnes DEI leges naturales pervenerit, de quibus 668. III. et V., tamdiu improbabilis eius vera virtus salusque aeterna habenda est.*

\* Ex his iam facile intelligentur dicta S. Augustini, quae supra 383. not. 4. ex eo attulimus; item quo sensu Apostolus de iis, qui notitia DEI unius veri, quam naturalis Philosophia suggerit, non rite per actus virtutum naturalium utuntur ad praeparandos animos suos illustrationibus gratiae supernaturalis, dixerit ad

ad Roman. I. 21. : *Quia, cum cognovissent DEVM, non sicut DEVM glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.*

\*\* Ceterum is ipse luculentissimus denuo divinae, summae et prorsus infinitae in creaturas suas rationales benevolentiae effectus est, quod eas ad beatitudinem, non modo utcunque per viam meriti instar praemii consequendam, sed etiam ut de condigno promerendam, ordinavit; qui sane summus, qui in creaturam cadere potest, gloriae et beatitudinis est gradus simul, atque summus simul gradus gratiae et benevolentiae DEI. Superest, ut omnem naturam Christianae virtutis eiusque propriorum actuum ex praemissa generali eius distincta notione ulterius explicemus.

671.

*Virtus Christiana non est merus habitus, per frequentatos actus acquisitus; sed ea insuper dignitatem personalem filii DEI adoptivi, et quaecunque huic ex DEI decreto cohaerent, dona et praerogativas supernaturalis, ac denique sufficientiam omnium auxiliorum supernaturalium ad omnes DEI leges, cum merito morali condigno observandas, importat. Primum ex eo patet; quia virtus Christiana quoad substantiam supernaturalem statum importat, et vires ad actus supernaturales, quae utique solis actibus creaturae, qua talibus, non acquiruntur. Alterum ex dictis 667. 668. II. IV. V. iam constat.*

\* In quo iam singula ista secundum conceptus Ontologicos consistant, puta, dignitas filii DEI adoptivi, dona huic annexa, et ipsae gratiae supernaturales, non est huius instituti definire.

672.

*Omnis actus verae virtutis moralis componitur ex gemino saltem actu voluntatis, quorum uno ni-*  
mirum

*mirum quis affectu amoris complacentiae vel odii displicentiae libero fertur in bonitatem vel malitiam theologicae actionis vel omissionis liberae, altero ipsam actionem vel omissionem vult.* Vt enim actus moralis proficiatur a vera virtute, exerceri debet cum directa intentione bonitatis theologicae formalis (662. II.), id est, cum appetitione seu desiderio existentiae bonitatis illius, si actio bona exercenda, vel cum averfatione seu fuga existentiae malitiae theologicae eiusdem, si actio mala omittenda est (310.). Atqui desiderium et fuga cuiuscunque finis sunt actus non primitivi, sed imperati ab amore aliquo complacentiae, vel odio displicentiae, concepto circa ipsum illum finem praevisum (67. VII.). Ergo directam illam intentionem a priori imperare debet alius praecedens eiusmodi liber affectus amoris complacentiae de praevisa bonitate, vel odii displicentiae de malitia theologica actionis committendae, vel omittendae: liber, inquam; quia fectus, si actus imperans liber non esset, nec liber esset imperatus.

\* Nimirum talis amor complacentiae saltem liber esse debet, quatenus est efficax, et actu imperans desiderium bonitatis actionis. Idem intellige de odio displicentiae, imperante fugam et omissionem voluntariam actionis malae.

\*\* Ceterum hic iam observationem facere gravissimi, ut equidem puto, momenti cogor, a qua recta totius particularis Ethicae Christianae institutio inprimis dependet. Memini me supra 389. not. 3. Cardinalis Norisii querelam referre, quod scholastici Doctores non nisi iuxta Aristotelis Ethicam de virtutibus (praesertim quae a proprie et antonomastice theologis diversae sunt) disputarint: quamquam male ex hoc dictus scriptor inferat, virtutis ne quidem naturalis actum ullum in infidelibus, religione saltem naturali

Stattler. *Eth. christ. univers.* Y y



turali licet instructis, existere unquam posse. Enimvero, omiſſa ſequela iſta, quam tum loco cit., tum paulo ante 670. III. refutavi, querela iſta quoad ſubſtantiam iuſtiſſima mihi videtur. Quid enim? Num uſpſiam bonitatem vere theologicam vel attendi, vel explicari, ab auctoribus etiam cetera probatiſſimis in tractatione de moralibus virtutibus, harumque definitionibus, invenimus? Honeſtatis non niſi eam rationem ubique in virtute quavis obſervant, et in ipſa definitione ponunt, quae in convenientia cum recta ratione et vero bono naturae rationalis conſiſtit; ab huius differentia praeciſe diverſitatem ſpecificam virtutum repetunt. Atqui iſta non niſi mere phyſica bonitas et virtutis mere philoſophicae obiectum eſt (659. 300.). Alii, etiam neglecta proſuſ omni bonitate fundamentali, uti peccatorum ſpecies ab oppoſitione, ita virtutum ſpecies a convenientia cum diverſis legibus divinis repetunt, prima et genuina omnis bonitatis et malitiae theologiae norma dimiſſa, quae ſunt ſolae perfectiones DEI; ad quas omnis actio expendi deberet. Atqui ineſt tamen in ſimilitudine vel diſſimilitudine, actionis humanae cum perfectione aliqua divina, ceu in excellentiſſimae honeſtatis genere, acutiſſimus ſtimulus et motivum potentiſſimum humanae voluntatis ad eam ſeu amplectendam, ſeu fugiendam; ſive ſimilitudinem iſtam homo appetere velit immediate propter ſe, ceu bonum obiectivum, propter ſe ipſum ſumme amabile, *delectabile*, et pulcrum, ſeu uti ſibi ſumme *utilem*, et ad ſe ipſum perficiendum et feliciorum reddendum ſumme aptam. Proſecto non video equidem, quo modo quis actionem ullo pacto voluntarie referat ad finem ultimum creationis, qui eſt fructio DEI, ceu boni obiectivi, ſi nullo pacto relationem eius materialem ad hunc finem cognoscat, vel qua talem voluntarie appetat, aut attendat. Quodſi illud *oppoſitas*, hoc pacto virtutes morales omnes non niſi mere theologicas fore; *mox* erit, ut evidentiffime intelligas, reale adhuc diſcrimen inter eas futurum, quas antonomatiſtice theologicas dicimus, atque inter ceteras, bonitate licet vere theologica, ſed inferioris ordinis, itidem instructas. At enim dicendorum de hac re decurſus rem omnem, ut conſido, extra dubium reponet.

673.

Quoniam bonitas theologica (300.) quarumcunque actionum moralium, in praesente vita possibilem, quatenus in immediata earum similitudine cum DEI perfectionibus consistit, in se quidem reipsa *veri absoluti boni obiectivi* rationem habet (20. 42. 26.); sed hoc insuper habito, se sola singillatim ad puri boni rationem non attingit, nec similitudinem cum DEO, nisi valde imperfectam, continet; hoc ipso, quod non sine difficultate et motivo absterrente nobis libere eligenda proponatur: idcirco rationem finis ultimi, in quo solo mens diu, veluti in bono absoluto, acquiescat, per se habere non potest; *ex quo fit, ut secundum dicta 577. bonitas praecipua, etiam theologica, actionum moralium reipsa respectiva sit, et in utilitate seu aptitudine consistat nos continuo propius ad finem nostrum ultimum, id est, ad perfectam, quantum capere possumus, cum DEO similitudinem, promovendi, tum aptitudine quadam sua physice sufficiente, qua reipsa nos magis identidem realitate sua, ceu reali divinae similitudinis participatione, perficiunt; tum virtute et efficacia moraliter sufficiente, qua DEVM movent ad cumulum illum perfectae cum ipso similitudinis, ad quem sola virtute nostra physica pertingere ipsi non possumus, per modum praemii suae saltem benevolentissimae Omnipotentiae virtute retribuendum. Quapropter actiones morales theologice formaliter bonas suscepturi, vel in sola bonitate theologica absoluta earum iam veluti praesente amore complacentiae efficaci et libero in praesens saltem ad tempus acquiescere, ceu in affectu immediate imperante, possumus, atque ex eo desiderium earundem actuale efficax, id est, actiones eas ipsas nobis imperare; vel possumus alio natura priore et imperante amore complacentiae*

Y y 2

tae

tiae efficaci libero ferri prius in ipsam bonitatem absolutam finis ultimi, seu perfectae similitudinis cum DEO, quae in visione DEI beatifica consistit, tumque, hoc imperante, ferri amore complacentiae et desiderii in praeviam bonitatem respectivam physicam et moralem actionis theologice formaliter bonae, seu utilitatem ad illum finem ultimum promovendum (67. IV. V. VI.), atque ita actiones easdem ipsas exercere. 2.) Et quoniam contrariorum eadem ratio est; etiam actiones formaliter theologice malae vel omitti libere possunt ex imperante amore complacentiae similitudinis divinae, cui illae immediate contrarie, ceu absolute malae, opponuntur, et determinante odium displicentiae dissimilitudinis earundem cum DEO, vel ex odio etiam primitivo displicentiae absolutae malitiae earundem istiusmodi (67. VIII.); vel omitti libere possunt ex imperio amoris complacentiae de fine ultimo, imperante odium displicentiae et fugam malitiae earum respectivae, qua eidem fini positive noxiae, et impedimento sunt (loc. cit. IX. X.).

674.

Tam bonitas theologica actionis moralis, quam bonitas finis ultimi seu visionis DEI beatificae, amore complacentiae efficaci libero amari, et ab istorum quovis actio ipsa, imperari potest, vel ita, ut ille amor complacentiae, immediate imperans desiderium utriusque, sit de bonitate absoluta tum actionis, tum finis ultimi, seu beatificae DEI visionis, qua tali, et secundum se; atque unice a priori imperatus ab amore puro caritatis et complacentiae de DEO (384.), imperio suo determinante amorem complacentiae tum de omni obiecto, DEO utcunque simili, tum de sui ipsius continuatione et perfectissima absolute, quae in beatifica DEI visione inest: vel ita, ut ille amor complacentiae non sit praecise de absoluta, sed potius de illa respecti-

*respectiva bonitate et honestate (43. not.) tum actionis, tum beatificae DEI visionis, secundum quam utraque cognoscitur esse bonum nostrum intrinsecum (72.), ac proinde imperetur ab amore complacentiae de bono nostro, nobis aliunde intrinseco, atque una cum isto imperet desiderium seu amorem concupiscentiae seu actionis ipsius, seu finis ultimi, quatenus sunt bonum nostrum (77.). 2.) Patet vero, idem conversa ratione fieri posse in omissione libera actionis theologice formaliter malae, ut nimirum fuga malitiae eius vel absolute oriatur ex odio displicentiae de malitia absoluta, imperato ab amore puro caritatis erga DEVM; vel ab odio displicentiae de eius malitia respectiva relate ad nos, imperato ab amore complacentiae generali de proprio bono nostro, et imperante una cum isto fugam illius, seu actum amoris concupiscentiae proprium. 3.) Patet denique, eodem modo iacturam visionis DEI beatificae (quam parituras actiones theologice graviter malas vi legis divinae praevidemus, et cuius iacturae, seu effectus illarum summe mali, odio et fuga actiones easdem malas omittimus) refugi posse; vel odio displicentiae imperato ab amore complacentiae de bono nostro, ac proinde tali fuga, quae sit actus proprius amoris concupiscentiae.*

675-

*Praeterea certi de voluntate DEI optantis, ut bonas morales actiones exerceamus identidem, et omit-  
tamus malas, sicque mereamur de condigno perfectam  
beatificae visionis cum ipso similitudinem, committendo  
re ipsa bonas, et omittendo malas, utrumque facere  
possumus vel ex primitivo actuali imperio amoris com-  
placentiae purae caritatis, quem ex absoluta bonitate  
divinae istius voluntatis concipimus; vel ex imperio  
primitivo amoris complacentiae de bono nostro, et boni-  
tate respectiva illius divinae voluntatis, seu summe no-*

Y y 3

bis

*bis benevola. 2.) Patet quoque, ex eodem gemino diverso primitivo imperio duplicis amoris complacentiae refugi posse contrarietatem actionum malarum, quam habere noscuntur respectu voluntatis divinae.*

676.

*Fieri non potest, ut ex generali amore proprii veri boni nostri bonitatem respectivam theologicam tum actionum bonarum singillatim, tum finis ultimi et beatificae DEI visionis, aut quae inest actionibus ratione consensus cum benevola nobis divina voluntate, appetamus amore concupiscentiae, aut similiter imperato amore concupiscentiae aversemur malitiam oppositam respectivam seu actionum malarum intrinsecam, seu iacturae finis ultimi, seu contrarietatis adversus divinam voluntatem; nisi eodem tempore in mente initialis saltem, et si se solo inefficax, insit amor purae caritatis, complacens sibi in absoluta obiectiva summa bonitate et pulcritudine divina. Fieri enim non potest, ut similitudinem formalem cum DEO, seu imperfectam, quae inest singulis actionibus theologice formaliter bonis, seu perfectam, quae inest visioni beatificae, qua talem, appetamus, ut nobis respective bonam et honestam (43. not.), aut refugiamus contrariam dissimilitudinem, ut nobis vere respective malam; nisi etiam directo amore complacentiae, saltem initiali, terminus similitudinis, DEI nimirum bonitas absoluta, secundum se immediate placeat, ac proin initiali saltem aliquo puro amore caritatis ametur: neque formale bonum nostrum esse, simulque, quod tale sit, concipi posset visio beatifica DEI, nisi in se esset et esse cognosceretur bonum formale simpliciter, id est, intuitus voluptatis (42. 33.), ac proinde nisi placeret actu directe eius obiectum, quod est ipse DEVS (33. 56.). Porro talem amorem purae cari-*

caritatis se solo in dicta hypothese adhuc esse inefficacem, vel certe poni posse inefficacem, ex eo patet, quod utique principale motivum, et sine quo actus secundus omnino non sequeretur, esse aliquando possit, imo vulgo saepissime sit ipsa bonitas respectiva finis ultimi et ipsarum actionum, ad eum conducentium.

677.

*Qui amore concupiscentiae sub eo gradu efficaciae appetit bonitatem respectivam et honestatem actionum theologicè formaliter bonarum, et averfatur malitiam respectivam malarum, vel simili modo appetit beatificam visionem, et averfatur eius iacturam aeternam, sub eo gradu efficaciae, inquam, qui requiritur ad illius amoris concupiscentiae substantialem perfectionem (385.); is DEVM reipsa honorat formaliter prae rebus universis creatis, quarum amor concupiscentiae graviter contrarius esse potest similitudini et fruitioni beatificae DEI. Cum enim bonum suum supremum prae rebus universis aliis creatis, a DEI perfectione graviter dissimilibus, constituat in similitudine sui cum DEO, et in fruitione DEI; reipsa DEVM tum iudicio intellectus, tum voluntatis electione, ceu bonum saltem respectivum, prae aliis omnibus sibi placens, praefert actu omnibus bonis respectivis creatis graviter contrariis; ac proinde formaliter prae istis omnibus honoart (201.).*

\* *Neque dicas, talem non reponere suum finem ultimum in DEO, ceu bono obiectivo. Siquidem vere bonum obiectivum finale talis amoris concupiscentiae est bonitas essentialis ipsius DEI, non quidem absoluta, qua talis, sed respectiva, et finis ipse ultimus efficiendus moraliter, ac desideratus, fructio istius boni obiectivi, sibi tam respective boni; quin in bono obiectivo pure creato acquiescat.*

678.

*Possibilis est is gradus efficaciae amoris concupiscentiae, qui ad eius substantialem perfectionem requiritur (385.), seu qui constantis voluntatis propositum importet committendi omnes actiones necessarias ad beatam DEI visionem consequendam, et omittendi eas, quae eius aeternum amittendae periculum et reatum important. Ut enim amor concupiscentiae, seu desiderium beatae illius visionis, ut nobis bonae, eum gradum efficaciae obtinere possit, aliud non requiritur, quam ut beata illa visio a nobis distincte satis apprehendatur, ceu bonum maius multo respectu nostri sine ulla comparatione, quam sint omnia bona creata, eidem graviter contraria, et ut pariter illius aeterna iactura satis distincte apprehendatur esse malum respectu nostri aliquo pacto paene infinite maius, quam sint omnia mala creata, quae ad eam vitandam iacturam tolerare aliquando necesse esse possit (210.); ac denique ut omnis eius amittendae reatus, per eius actua-lem gravem contemptum practicum a peccante contra gravem DEI legem contractus, satis distincte intelligatur cum incerto periculo actualis amissionis, et cum difficultate, eundem reatum rursus sufficiente expiatione extinguendi, connexus esse. Atqui evidens est, ista omnia motiva, ad eam efficaciam impellentia, reipsa vi certorum Christianae Religionis dogmatum satis distincte ac certo cognosci ab omni vero riteque instructo Christiano posse. Non enim ex DEI revelatione tantummodo certum est, sed etiam ex solius rationis naturalis dictamine evidens, immensum maius esse beatae illius vitae bonum bonis omnibus ceteris creatis, et iacturam illius maius esse malum, et cum positivo aeterno malo maiore coniunctum, quam sint universa vitae istius mala.*

Prae-

Praeterea vero constat, non modo ob facile contrahendos ex malis actibus pravos habitus, poenitentiam etiam imperfectam (255.), cuius efficacia omnis male agendi voluntas deponatur, et sufficiente mediorum usu relapsus caveatur, post graves reatus fore satis difficilem; sed etiam tempus poenitendi incertum fore; nec denique sine substantiali perfectione amoris concupiscentiae, ceu medio necessario, divina lege praescripto (386.), adeoque nec cum reatu gravis culpa, habitu perseverante, ad ipsam beatam DEI fruitionem pertingi posse. Ergo etc. etc.

\* Non video, quid huic argumentationi ad plenam demonstrationis vim deesse possit: qua sane illud quoque evidenter ostenditur, eidem amori concupiscentiae, etiam post iam actu commissa gravia in DEVM peccata, sufficientem omnem illam substantialem perfectionem et efficaciam inesse posse, ut eius virtute voluntas omnis peccandi graviter rursus deponatur; imo etiam ob honorationem summam DEI practicam, quam importat essentia eius, rationem proximae dispositionis ad DEI amicitiam, saltem Sacramento Poenitentiae, mediante recuperandam, eidem posse competere respectu poenitentis.

679.

*Qui amore concupiscentiae praecise refugit ab infelicitate illa positiva mere naturali, quam ex actionibus et omissionibus formaliter theologice malis, et orta inde iactura beatae vitae naturaliter, vel etiam vi legis divinae cuiuscunque, consecuturam (196. 197.) praenoscit, et ex tali fuga, ceu unico motivo, imperat actiones bonas et omissiones malarum actionum, is neque pertingit in suis eiusmodi actionibus et omissionibus ad rationem meriti moralis theologici; neque eas refert ullo pacto ad DEVM etiam solum negative; neque DEVM per eas honorat, nec proinde per eas pertinere*

Y y 5

gere



*gere ad finem ultimum beatæ vitæ potest.* Defectus meriti theologici et omnis etiam negativæ relationis ad DEVM patet ex 314. 318. l.: quia talis bonitatem theologicam quidem directe intendit, si lege præceptam esse novit, sed non eam refert, ut medium, positive ad consecutionem beatæ vitæ et fruitionis DEI, ceu ad finem ultimum, sed præcise, ut medium, ad eam infelicitatem alterius vitæ positivam evitandam, ceu ad finem unicum negativum: pariter is actiones malas lege vetitas omittit, sed non odio malitiæ earum theologicæ, sed præcise, ut mala sibi nocitura per effectum positivæ illius infelicitatis æternæ in vita altera, ac proinde fugam earum item, non ad DEVM, sed unice ad eundem illum finem vitandæ æternæ infelicitatis suæ refert. Porro sine relatione ad DEVM honoratio DEI, et sine merito morali theologico consecutio beatæ vitæ per modum præmii, possibiles non sunt (165. l. II. 201.). Ergo qui etc. etc.

680.

*Nihilominus tamen etiam recordatio et certa prævisio istius ex obstinatione finali in peccatis secuturæ æternæ infelicitatis positivæ motivum satis efficax cuique homini esse potest, ut, deposita semel, etiam adhuc citra meritum omne theologicum, immoderatiore bonorum creatorum mere apparentium cupiditate et amore, ceu quæ tanti mali causæ morales et physicae futuræ prævidentur, deinceps, veluti impedimento contrario submoto, eo facilius se ad amorem verorum bonorum, etiam cum merito theologico, seu concupiscentiæ, seu caritatis transferat.* Prævisio enim eiusmodi effectus, ex apparentibus bonis creatis immoderatus adamatis certissime secuturi, præ ceteris omnibus falsitatem et meram apparentiam bonorum isto-

istorum demonstrat, atque coniunctus mali tam immensi metus omnium efficacissime excessum illum voluptatis spuriae et apparentis enervat, quem ex intuitu et gustu praesente bonorum illorum persentiscimus, et a quo necessitas illa moralis ad malum existit (131. 132.). Hoc itaque impedimento et praedominante terreno amore submoto, et veluti mali ex eo imminentis magnitudine violente oppresso, multo utique facilius mentis humanae attentio ad considerandam veri boni divini et beatæ vitæ puritatem se convertit, atque ex eius attentâ meditatione, complacentiæ et desiderii efficaci affectum concipit.

\* Atque hic ipse haud dubie finis est actualis permissionis divinae; hoc fundamentum consilii illius divinae Sapientiae, quo haec suadet DEO, ut permittat non solum iacturam beatæ vitæ, sed ipsam quoque infelicitatem positivam aeternam improborum, obstinate in malo perseverantium: ut scilicet huius mali metu, per legem suam illis intentato, veluti ultimo remedio adhibito, vel nolentes cogat moraliter, ut aeternum velint esse beati (207.). Unde hoc inter leges et poenas divinas atque humanas discrimen est, quod poenae humanae, non nisi ab homine exequendae, ad extorquendam obedientiam internam, et voluntatem bonae actionis, qua talis, virtute sua minime per se attingant; eo quod legibus humanis vel sola actione et obedientia externa satisfit, vel certe legislator humanus ad inspiciendum ipsum cordis affectum non pertingit: ex adverso DEUS cor ipsum atque volentem animum scrutetur, huiusque ipsius cum actione externa consensum sincerum et efficacem lege sua exigat, et vero poenis eo usque abunde valentibus arguat. Unde non cessabit pulsare fortior metus DEI vindicis resitantem animum; donec, affectu omni pravo in spuria bona deposito, ad contemplanda serio vera bona se transferat, atque eadem reipsa efficaci desiderio concupiscat.

*I. Qui solo metu poenarum alterius vitae, quae in positiva infelicitate aeterna consistunt, sine alio motivo bene agit, et omittit male agere, nondum agit ex virtute, ne quidem naturali (663.): quia nec bonitatem theologiam intendit, nisi materialiter; nec refert actiones et omissiones suas ad finem theologice bonum (679.).*

*II. Ipse tamen metus ille, ceu a DEO legislatore incussus, ac ipsius legis divinae subiectivae moralis effectus (343. 341.), vere utilis, ac proinde vere bonus est; quia est medium morale sufficiens, a Sapientiae divinae consilio, et divina bonitate re ipsa intentum et ordinatum, ac de se aptum, ad promovendum hominem etiam renitentem ad seriam curam de fine suo ultimo gerendam (153. 189. 198. 199. 207.).*

*III. Qui bene moraliter agit, et omittit male agere ex amore concupiscentiae substantialiter perfectio (385.), directe ob eum intendens bonitatem theologiam actionis, et fugiens malitiam theologiam, ceu immediate sibi vere bonam respectivae, et vere respectivae malam; aut qui eodem amore concupiscentiae appetit finem ultimum beatificae DEI visionis, et fugit eius iacturam, atque porro ex eo amore concupiscentiae sibi imperat actiones theologice bonas ob respectivam earum bonitatem et aptitudinem ad promerendum illum finem ultimum; item qui ex eodem sibi imperat fugam malarum actionum ob respectivam earum malitiam, fini illi ultimo impedimento futuram (674.): is, siquidem ita agat positus in statu morali mere naturali, et saltem subinde agat etiam ex puro amore caritatis cum substantiali istius perfectione (484.); agit ex vera virtute naturali (663.): 2.) si vero eodem*

dem modo agat positus iam in statu morali Christiano, quoad substantiam supernaturali et in actuali dignitate filii adoptivi DEI, et sub influxu auxiliorum sufficientium supernaturalium, tum repraesentantium motiva agendi, tum inspirantium seu allicientium ad sic agendum (671.); is iam agit ex virtute Christiana: 3.) etsi, ut eius virtus sit vera virtus Christiana, hoc est, complete sufficiens ad merendum de condigno vitam beatam, requiratur, ut saepius saltem agat cum amore puro caritatis. Primum ex eo patet, quod talis modus agendi importet veram rationem meriti moralis theologici (318. I.), et honorationem DEI practicam; ac proinde in statu pure naturali ad meritum congruum beatæ vitæ (210.) prorsus sufficiat. Vide Theol. Nat. (727.). Alterum inde manifestum est, quod tali modo et actiones ipsæ sint supernaturales, et personæ dignitas atque meritorum Christi influxus rationem moralis meriti constituat (715, Theol. Natur.); ac proinde nihil desit ad rationem virtutis Christianæ simpliciter talis. Ut tamen hæc sit virtus vera Christiana, id est, sufficiens ad condignum meritum beatæ vitæ, tertium accedere debet, videlicet frequens exercitium puri amoris DEI ex caritate substantialiter perfecta; quia istud lege divina gravi præcipitur (387.), nec sine eo substantialis perfectio amoris concupiscentiæ diu perdurare potest (loc. cit. et 676.).

*IV. Amor DEI ex concupiscentia ipse actus moraliter theologice bonus est bonitate absoluta, et respectiva, ac proinde cum vera virtute Christiana consentiens.* Est enim conformis perfectioni divinæ, tum qua DEUS sibi sufficientissimus gaudet de plenitudine propriae, sibi essentialis beatitudinis, tum qua nobis omnibus et singulis optime vult: est  
idem

idem insuper DEI honoratio practica summa (677.); ac proinde hoc etiam nomine cum amore complacentiae, quo DEUS sua infinita bonitate etiam respectiva delectatur, consentit: *quod primum*. Est vero idem medium summe efficax, atque ideo lege divina praeceptum (386.), ad promovendum finem ultimum nostrae beatitatis, ope observationis omnium aliarum legum divinarum (678.); atque adeo etiam nobis utilis et respectivo bonus, eaque vere tali bonitate: *quod alterum*.

• Quae inde a 679. asserui, S. Augustinus diversis quidem in locis eadem prorsus asseruit. Nam in Psal. CXXVII. commentans, ait de timore poenarum gehennae: *Ille timor nondum castus poenas timet; timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi malum istud. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet, ne mittatur in gehennam. Bonus est et iste, utilis est; sed nondum est iste castus, permanens in seculum seculi*. Ecce dicta a me 379. 681. I. & II. Et Serm. XIII. de verbis Apostoli ait: *Fac vel timore poenae, si nondum potes amore iustitiae*. Ecce paene similia cum dictis a me 680. Et Serm. XVII. de verbis Apostoli: *Cum dicis mihi, inquit: Gehennam timeo; ardere timeo in aeternum; quid dicturus sum? Male times? vane times? Non audeo; quandoquidem ipse Dominus, ablato timore, subiicit timorem, ubi dicit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. &c.: - - time; nihil melius times*. Denique in Lib. de Catechizandis rudibus ait, eum, qui ex motivo temporali Baptismum recipit, non fieri vere Christianum; subditque: *Qui autem propter beatitudinem sempiternam fieri vult Christianus, ut non eat in ignem aeternum cum diabolo, sed ut in regnum aeternum intret cum Christo; vere ipse Christianus est, cautus in omni tentatione, ne in prosperis rebus corrumpatur, et ne frangatur in adversis, et in abundantia bonorum terrenorum modestus et temperans, et in tribulationibus fortis et patiens: qui etiam proficiendo veniet ad talem statum; ut plus amet Dominum, quam timeat gehennam;*

hennam; - - - et ut iam non peccet, non ideo, ut in illud non incidat, quod timebat; sed ne illum, quem sic amat, offendant. Compara haec cum dictis a me 673. 681. III. n. 1. et 2.: vere enim hic Augustinus affirmat, vi solius amoris concupiscentiae posse servari omnes alias DEI leges; et per eum disponi hominem ad observandam denique ipsam legem purae caritatis tunc, cum haec actu obligabit. Atque ex his iam collige, quid sentiendum non modo de eo, quod Lutherus Prop. VI. a Leone X. damnata, ac post illum Calvinus, sed Baius etiam, et Iansenius, aliique cum istis de amore concupiscentiae, et metu, qui ab ipso imperatur, docuerunt. Praecisus naturam istorum actuum, quoad saltem ad Ethicam mere Philosophicam spectant, Ill. Wolfius Phil. Pract. Univ. P. I. §§. 346. seqq. explicat, maxime si addas, quod ibidem §. 585. not. veluti se corrigendo, aut explicando, addit.

\* \* Quærunť Theologi Catholici, utrum omnis actio virtutis Christianae, etiam non ex puro amore caritatis elicitā, sed ex solo amore concupiscentiae, habeat rationem meriti condigni relate ad novum gradum beatitudinis formalis (244.); an vero ad hoc requiratur motivi, vel actus, purae caritatis actuale imperium. Qui affirmant, sufficere quemvis actum amoris etiam non puri, id inferunt tum ex eo, quod in SS. Scripturis non solum caritati, sed aliis etiam actionibus specificis virtutum praemium vitae aeternae promittatur, ex. gr. elemosinae largitioni, paupertati spiritus &c., sine mentione caritatis: tum quod Tridentinum Concilium Sess. VI. Cap. 16. verba Apostoli Pauli I. Cor. XV. 8. omnibus iustificatis proponat: *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non sit inanis in Domino*; ac deinde subiungat, *iustificatos per illa opera, quae in DEO faciunt, divinae legi satisfacere, et vitam aeternam promereri*: tum denique quod Scriptura ipsa nos ad bene operandum promissione mercedis invitet. Sic Apostolus ad Coloss. III. 23. ait: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis.*

\*\*\* Quid

\*\*\* *Qui negant, reponunt*, in Scripturis, promittentibus praemia specificis actibus vitutum, supponi modum generalem, omnibus virtutibus veris communem, qui vel est caritatis imperium actuale, vel amoris concupiscentiae: iam vero soli caritati, nunquam amori concupiscentiae, promitti ex his duobus modis communibus retributionem praemii in Scripturis: *item*, satisfieri legi divinae per actus, ex amore concupiscentiae elicitos, ut non peccetur, sed non ita, ut mereamur novum gradum praemii aeterni; legis enim plenitudinem esse dilectionem. *Opponunt* vero vicissim 1.) quod opus, procedens ex amore solo concupiscentiae, non sit filii adoptivi DEI, sed mercenarii; quia non est ex habitu caritatis, nec auget habitum istum: 2.) quod S. Augustinus Lib. de Grat. et lib. Arbit. C. XVIII. generatim pronuntiet: *Quidquid putaverit homo se facere bene, si fiat sine caritate, nullo modo fieri bene*, id est, cum merito salutis, quod semper intelligit Augustinus per opus bonum.

\*\*\*\* Ex his illud equidem certum iudico, etsi forte actibus virtutum Christianarum, ex imperio solius amoris concupiscentiae exercitis, non conveniat ratio *meriti condigni*, responsurum tamen aliquod praemium peculiare aeternum, ceu habentibus rationem saltem *meriti congrui*; cui infinita DEI benevolentia nec omne praemium negare potest, nec semel datum denuo auferre. Quodsi enim aliter esset, profecto monuisset nos DEUS optimus apertius de conditione ista necessaria ad omne meritum novi gradus gloriae, nimirum de necessitate imperii caritatis in quovis actu. Atqui profecto fatendum est, nec in Scripturis, nec a SS. Patribus, nec ab Ecclesia, nos satis aperte de hoc admoneri. Quod enim S. Augustinus ait, ob ipsum silentium ceterorum Patrum merito intelligi potest de caritate habituali, non mere infusa, sed acquisita, ac de necessitate actuum caritatis purae saepius repetendorum ad hoc, ut in omnibus aliis actibus possit inesse meritum condignum, vel saltem congruum; quia sine istis per omnes alios virtutum actus legis plena observatio non datur: eo quod actus caritatis omnibus simul necessarii sint, et ideo omnibus praecepti; cum reli-  
quae

quae leges nunquam omnes obligent. Unde sine caritatis actibus nullus legem, qua ipse universe obligatur, plene observat. Neque vero intelligo, cur DEUS, cuius ipsius finis ultimus est beatitudo nostra summa, actui amoris concupiscentiae, a vero Christiano et iusto homine elicit, nullum novum istius beatitudinis gradum praemii instar retribuere velit, praecise ideo; quia illum non exercuit ex puro amore complacentiae de similitudine absoluta istius actus cum divina ipsius perfectione, sed potius ex desiderio similitudinis istius, ut sibi bonae, se ornantis, et promoventis ad perfectam illam DEI similitudinem beatificae DEI visionis, ceu summum ultimum bonum *suum*. Denique in ipso actu spei, imperante alium actum bonum, falsum quid inesset, quatenus gaudium de certitudine praemii aeterni, ex tali actu reportandi, ad eius praemii desiderium moveret, atque istud desiderium imperaret ipsum actum virtutis (60. 63. IV.): siquidem tale gaudium esset mere apparens, et praevisio aeterni praemii falsa. Ex quo sane sequeretur, actus virtutum, ex imperio talis spei de praemio aeterno elicitos, non fore supernaturales; quia nullo lumine supernaturali, quod non verum esse non potest, ex parte motivi praelucente elicitos. Quod sane mihi perabsurdum videtur.

682.

*Possibilis est amor complacentiae de DEO purus, seu purae caritatis; isque saltem per vires supernaturalis gratiae, et post praevious iam actus certae spei de consequenda beatitudine aeterna ope infinitae benevolentiae divinae, ceu totidem veluti dispositiones, evadere potest substantialiter perfectus, seu efficaci suo unius imperio imperans omnes actiones bonas ad finem ultimum necessarias, et omissionem omnium positive malorum, seu praedicto fini contrariarum. Est enim inprimis possibilis iam in hac vita intuitus iucundus solius DEI, per cognitionem abstractam saltem confusam et directam repraesentans DEUM, ceu purum bonum absolutum; quin comparatione*

*Statler Eth. christ. univers.*

Z z

men-



mentis illum referamus ad nos, aut cogitemus de eius bonitate respectiva expresse respectu nostri: quo sub intuitu DEUS nullo adhuc pacto potest esse obiectum amoris concupiscentiae; quippe qui non fertur, nisi in obiectum cognitum sub ratione boni *nostri* (77.). Porro item ille intuitus DEI, ut boni mere absoluti, continuari ob ipsam suam iucunditatem potest, insuperhabita qualicunque laboriosa difficultate, quam in abstracta DEI, ceu puri boni, cognitione efformanda ac continuanda sentimus (232.). Iam vero continuatus iste intuitus iucundus DEI, ut boni absoluti, insuperhabita sua difficultate, erit amor complacentiae et gaudium de pulcritudine DEI abstracte cogniti, et quidem liber; eo quod pugna motivorum pro ea continuatione a priori datur (56. 58.). Ergo possibilis est amor complacentiae de DEO purus, seu purae caritatis liber actus; *quod primum*. Porro, animo iam semel praeparato inprimis per supernaturale fidei divinae lumen, distinctisque notionibus de divinis perfectionibus illustrato, tum vero etiam de sua aeterna salute aliquo pacto iam assecurato per actus certae ac supernaturalis spei de praesto futuris ex parte DEI omnibus sufficientibus mediis ad beatam DEI visionem instar praemii olim obtinendam; ac proinde iam expulsis exinde ope amoris concupiscentiae substantialiter perfecti pravis praedominantibus affectibus circa bona et mala huius vitae mere apparentia (678.); enimvero nihil usquam obstat, quo minus animus motivo divinae pulcritudinis purissimae, tam distincte proposito, sine alterius motivi cogitatione moveatur ea vehementia amoris puri complacentiae in istud obiectum divinum, quae sufficiat in animo tam bene praeparato et illustrato ad imperandas omnes

omnes alias actiones bonas, ad conservandum consensum similitudinis cum obiecti divini tam amabili pulcritudine necessarias, et ad imperandam fugam omnium actionum, eidem dissimilium et contrariarum. Ergo post id genus praevias dispositiones et ope auxiliorum supernaturalium purus DEI amor potest evadere substantialiter perfectus (384.); *quod alterum.* Vide dicta in Psychologia 259. not.

\* De modo progressionis ordinariae ad substantialem caritatis perfectionem loquor, quem Concilium Tridentinum Sess. VI. Cap. 6. describit; quemque suavis DEI providentia in perducendo homine ad actum istum, ceu proprium filii DEI adoptivi, vulgo servare solet etiam in statu praesente supernaturali; cuius denique possibilitatem negative (ut loquimur) demonstrare ex solis notionibus a priori licet adversus eos, qui actum purae caritatis omnisque amoris concupiscentiae expertem, ac simul substantialis perfectionis efficacia praeditum, possibilem esse negant. Ceterum an etiam per solas vires naturae in statu mere naturali possibilis sit talis amor DEI purus, substantiali gradu perfectus, enimvero mihi cum gravissimis scriptoribus Catholicis, et inclinante in eam partem ipso S. Thoma Aquinate, perquam dubium, et saltem moraliter impossibilis ille dicendus esse, videtur; idque ex eo potissimum argumento, quod, si per solas vires naturae progrediendum ad eius actus substantialem perfectionem foret, sine dubio praeviae item dispositionis instar in animo necessarii prorsus futuri essent sequentes actus, nimirum certitudo firma de fundamentalibus dogmatis religionis naturalis (522. 523.), secura spes de consequenda per merita moralia naturalia beatitudine vera et aeterna, ac denique amor concupiscentiae istius, substantiali gradu perfectus et praedominans universis malis affectibus circa bona, vel mala, mere apparentia terrena. Iam vero reflectendo ad dicta 524. seqq. ad singulos istos actus, in iusta sua necessaria perfectione attingendos, paene per se iam et diuturnum tempus atque exercitatio, et universe supernaturalis gratiae auxilia moraliter necessaria videntur: ergo a

fortiori ad actum purum perfectae caritatis. Quod porro dispositiones illae necessario tunc saltem praecedere deberent, nec immediate mens ex hausta naturali acumine de DEO cognitione ad amandum illum tam puro et efficaci amore complacentiae mox evolare moraliter posset, ut is omnibus pravis motibus praedominaretur; inde manifestum mihi videtur, quod moraliter per solas naturae vires multo minus possibile sit, ut mens hominis, cum tot malis ac necessitatibus undique in hac vita conflictans, antequam de suo bono et vera felicitate usquam satis secunda sit, continuo sui veluti prorsus oblita, seque penitus neglecta, soli divino bono meditando intendat, in eiusque cognitione, licet maxime obscura mereque abstracta, praequam in quibusvis aliis praesenti suae felicitati magis servientibus, imo et inter tot mala praesentia, acquiescat.

683.

*I. Duplex itaque modus Christianae virtutis, et observationis omnium DEI legum, revera possibilis est; unus, vulgo ex imperio et motivo amoris concupiscentiae bene moraliter agentium, et actus purae caritatis certis solum temporibus convenienter legi divinae (387.) frequentantium; alter universe omnes actus Christianae virtutis, ipsos etiam actus amoris concupiscentiae, et qui ab isto imperantur, perpetuo exercentium ex imperio praedominantis purae caritatis DEI.*

*II. Uterque simpliciter sufficit ad beatam vitam, per modum praemii ex merito condigno consequendam; cum nulla detur lex obligans, ut semper agamus ex purae caritatis motivo (391.), atque actibus purae caritatis, etiam secundum priorem modum saltem stans vicibus exercitis, ceu actibus moralibus filiorum DEI et amicorum propriis, conveniat ratio condigni meriti (681. III. n. 3.)*

*III. Primus modus ad substantiam verae virtutis Christianae necessarius est: alter ad perfectionem pertinet*

*tinet* (667. 681. II. III. 678.): *sine alterutro vero nulla vera virtus est*; quia nulla relatio positiva actionis ad DEUM, nec directa intentio theologiae bonitatis (662.).

*IV. Tam amor concupiscentiae, quam amor caritatis, omnes actus virtutis imperare potest; nec proinde unus alterum, ceu contrarium, excludit.* Omnis enim actuum virtutis quorumcunque bonitas theologica tum in se absoluta est, quatenus similitudine aliqua cum DEI perfectione quadam constat, ac proinde imperari potest ab amore purae caritatis et complacentiae in DEI pulchritudine infinita; id quod vel de ipso amore concupiscentiae valet, qui consensu cum benevolentissima DEI bonitate respectiva pollet: tum vero eadem bonitas theologica omnium virtutis actuum simul est respectiva relate ad nos, id est, *nobis bona*; atque adeo, ne purae quidem caritatis actibus exceptis, imperari possunt, saltem ceu a motivo simultaneo aequae principali, ab amore concupiscentiae. Porro actus imperans imperato contrarius esse non potest.

*V. Unde generale possibile discrimen omnium virtutis quorumcunque actuum est, ut vel exerceantur ex imperio primitivo caritatis purae, vel solum ex imperio primitivo amoris concupiscentiae.*

*VI. Evidenter ergo falsae sunt propositiones sequentes, in Bulla Unigenitus &c. a Clemente IX. a. 1713. condemnatae; nimirum LI. Fides non operatur, nisi per caritatem. LII. Sola caritas christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad DEUM, et IESUM Christum. LV. DEUS non coronat, nisi caritatem: qui currit ex alio impulsu et motivo, in vanum currit. LVI. Caritas sola DEUM*

honorat (677.). LVII. *Non est spes in DEO, ubi non est amor DEI* (intellige, purus, de quo semper in his propositionibus Quesnellianis sermo est). LVIII. *Nec DEUS est, nec religio; ubi non est caritas. Item, quae priorum principium fuit, Propositio XXXVIII. Baiana: Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa caritas, qua, per Spiritum Sanctum in corde diffusa, DEUS amatur.*

VII. *Falsae quoque esse intelliguntur Propositiones, ex Libro Archiepiscopi Cameracensis, cetera piatissimi, excerptae, et a. 1699. ab Innocentio XII. damnatae; nimirum I. Datur habitualis status amoris DEI, qui est caritas pura, et sine ulla mixtione proprii interesse; neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem: non amatur amplius DEUS. propter meritum, nec propter felicitatem, in eo amando inveniendam; cui ceterae plures ex XXIX. damnatis fere quoad substantiam consonant. Cum enim amor concupiscentiae, ceu actus etiam absolute theologice bonus (681. IV.), et lege divina praeceptus (386.), ab ipsa caritate substantialiter perfecta imperetur (384. 682. et hic Cor. IV.); patet, illum, seu ut amor boni nostri summi, seu ut timor est iacturae istius, a purae caritatis statu quocumque minime excludi posse.*

VII. *Virtus itaque omnis vera in imperio praedominante amoris Dei, seu caritatis seu concupiscentiae, consistit; et idcirco rectissime S. Augustinus Lib. XV. de Civit. Cap. 22. dixit: Unde mihi videtur, quod definitio brevis et vera virtutis, ordo est amoris; modo status hominis Christiani et adoptivi filii DEI in subiecto virtutis eiusmodi supponatur. Amore*

more enim DEI, alterutro saltem, praedominante, in tali subiecto omnis amor cuiuscunque rei creatae illius imperio determinatur, id est, admittitur, si ei conformis, vel saltem non contrarius sit (384. 385.), vel excluditur, si adversetur; ac proinde recto ordine subordinatur imperio illius amoris, qui non nisi veri boni et finis ultimi omnium optimi amor est (70. 71.).

*IX. Vitium itaque omne morale, imo et contrarietas omnis actionum humanarum cum Dei perfectione, et sine ultimo, imo et cum bono naturae rationalis, a praedominio amoris, seu complacentiae, seu concupiscentiae, de obiecto aliquo creato existit, quod, cum medii instar utendum esset, et amandum amore subordinato ipsi amori DEI, ut finis ultimi obiectivi, pro fine positive ultimo fruendo per id genus praedominium amoris constituitur.* A tali enim amore finis inordinato perversio voluntaria omnium iudiciorum intellectus, et omnes inordinati affectus voluntatis, ac proinde etiam omnes inordinati motus voluntarii corporis exoriuntur (71.); quibus tribus omnis humana actio absolvitur (289. n. 7. 290.). Porro bonitas et malitia physica actionum a theologica reipsa non distinguitur (302. II.).

\* Huc itaque spectat apprime, quod S. Augustinus tum Lib. ad Honoratum, tum alias saepius effatur: *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, et utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quae virtus etiam nominatur, fruendis frui, et utendis uti.* Denique in sensu Corollariorum praesentium, praesertim III. VIII. et IX. dixisse prorsus eundem S. Patrem existimo, quod Lib. I. de Moribus Ecclesiae Catholicae Cap. XV. n. 25. scripsit in hunc modum: *Quodsi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem DEI. Namque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amo-*

*ris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas quatuor virtutes sic etiam definire non dubitem, ut Temperantia sit amor integrum se praebens ei, quod amatur: Fortitudo amor facile tolerans omnia propter quod amatur: Iustitia amor soli amato serviens, et propterea recte dominans: Prudentia amor ea, quibus adiuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter eligens. Neque vero S. Augustinus valde curiosus exemplo reliquorum SS. Patrum est in distinguendo amore DEI purae caritatis ab amore concupiscentiae eiusdem, ita, ut saepe vocem caritatis et dilectionis pro utroque indiscriminatim sumat. Quamquam quod quadripartitam illam virtutis divisionem, ab ethnicis re ipsa Philosophis inventam, nec ulla ad certas divisionis regulas exactam, attinet, etsi ea a Catholicis scriptoribus usu magis recepta, quam ordine demonstrata fuerit; quid de ea sentiam, Capite sequente ostendam.*

## C A P U T II.

### DE DIVISIONE VIRTUTIS.

684.

**Q**uoniam omnis actus virtutis verae moralis aut est amor ipsius finis ultimi, obiectivi, aut formalis, aut est amor medii, ab amore finis praedicto imperatus, aut denique odium impedimenti finis similiter imperatum (67. VII. IX.): hinc sequitur prima divisio virtutis moralis in eas virtutes, quarum actus consistunt in amore immediato ipsius finis, et in eas, quarum actus consistunt vel in amore mediorum, vel in odio impedimentorum finis ultimi; imperatis ab amore eiusdem finis. 2.) Huic porro analogica respondet divisio virtutis intellectualis, videlicet in eas, quae immediate amori finis ultimi, et in eas, quae amori mediorum immediate per suos actus praelucent. Primae dicuntur veluti antonomastice virtutes theologicae, alterae simpliciter virtutes morales appellantur.

685. Vir-

685.

*Virtutes theologicae morales in statu mere naturali duae sunt, videlicet amor complacentiae de ipso fine, seu bono ultimo obiectivo absoluto, id est, caritas DEI, et desiderium finis, seu boni ultimi formalis, qui est ipsa fruitio finis obiectivi, coniunctum cum gaudio de praevisione certa possibilitatis istius, id est, spes theologica (60.). His tertia, ut equidem opinor, accenseri debet ea caritas, qua aliorum quoque hominum formalem beatitudinem desideramus, cum gaudio de similiter certa praevisione possibilitatis eiusdem: quippe quae virtus cum spe theologica ratione obiecti amati et ipsorum actuum amoris, quos complectitur, prorsus analogae est.*

686.

*Hae tres virtutes theologicae in statu mere naturali a priori naturae supponunt duas virtutes intellectuales theologicas, id est, tales, quae per suos actus immediate prae luceant ipsarum actibus circa finem ultimum, qui est DEUS, atque eius fruitio beatifica: videlicet habitum vel scientiam Theologiae naturalis, hoc est, notitiam certam vel evidentem, satisque distinctam existentiae DEI, eiusque perfectionum; quippe sine qua (uti nec revelata Theologia sine ea locum habet per dicta §. 4. Theol. Natur.) nec amor complacentiae de eo, ceu bono puro obiectivo unico, nec desiderium fruitionis eius, nec certa praevisio possibilitatis istius, ac proinde nec spes, possibiles forent: deinde Sapientiam, consilio suo finem hunc obiectivum et formalem optimum, prae aliis omnibus amandum et sperandum, regulae primae instar dictantem (559.), ac voluntati proponentem; quae ipsa deinceps re-*

Z z 5

gulas



gulas quoque ad actiones aliarum virtutum, mediorum instar ad hunc finem dirigendas, determinat ex natura praedicti ultimi finis.

687.

In statu supernaturali praesente Christiano imperfectioni intellectus humani succurrit revelatio divina, per IESUM Christum facta, atque tum de divinis, perfectionibus universe, tum inprimis de infinita DEI benevola voluntate promovendi communem maximam hominum salutem per nova media, quoad substantiam supernaturalia, nos edocens, tum denique de his quam liberalissime suppeditandis, atque de ipsa beatifica DEI fruitione in praemium boni usus eorundem largienda, divina promissa solenniter proponens, intuitu meritorum IESU Christi omnibus facta. *Novae itaque et prorsus supernaturales virtutes theologicae in statu morali Christiano originem sortiuntur: et quidem 1.) fides divina, ceu virtus theologica Christiana intellectualis, qua assensus firmissimus intellectus praebetur universis veritatibus, a DEO revelatis, atque inter has sinceritati divinarum promissionum, nobis factarum, ob infinitam DEI auctoritatem, id est, omnis veri scientiam et veritatem, qui nobis talia revelavit. 2.) Ex certitudine supernaturali nova, quam de possibilitate beatae DEI fruitionis respectu tum nostri, tum aliorum hominum, modo ex divinis promissis, atque una ex conceptu partim naturali, partim item revelato de fidelitate et potentia DEI in praestandis suis promissis, obtinemus, ceu ex motivis, quoad substantiam et modum cognitionis vere iam supernaturalibus, gaudium, simulque ipsius inprimis nobis promissae beatae DEI fruitionis, natura sua super-*  
natu-

naturalis (230.), atque hoc ipso etiam supernaturalium nobis promissorum mediorum eius consequendae, desiderium, id est, *spem supernaturalem, ceu virtutem theologiam Christianam moralem*, concipimus. 3.) Pariter per eandem fidem divinam supernaturalem nova prorsusque supernaturali cognitione de infinita DEI eiusque perfectionum pulcritudine illustrati, in *caritatem supernaturalem, ceu alteram virtutem theologiam moralem Christianam*, accendimur. 4.) Denique eadem fide supernaturali praelucente, analogam spei theologicae *supernaturalem caritatem omnium hominum* concipimus; qua eis beatitatem supernaturalem, atque eius consequendae necessaria omnia media supernaturalia exoptamus.

\* Fide divina theologica natura priores esse per se patet, non solum virtutem intellectualem naturalem utramque, Theologiam nempe naturalem, et sapientiam (consilio suo suadentem voluntati, ut imperet intellectui assensum fidei, ceu medium necessarium ad finem ultimum, in hypothese praesentis certitudinis de revelationis divinae existentia atque lege naturali hypothetica praeceptum); sed etiam actum voluntatis, secundum sapientiae consilium imperantem intellectui assensum fidei divinae; qui voluntatis actus, quatenus est formalis honoratio scientiae et veracitatis DEI (201.) prae omni alia scientia et auctoritate, specie non differt, vel a caritate, vel a concupiscentiae amore erga DEUM, ut finem ultimum, absolute, vel respective bonum. Unde *status supernaturalis Christianus reipsa initium sumit a consilio sapientiae, suadentis voluntati imperium assensus fidei divinae*; quod consilium ob infirmitatem voluntatis humanae ad tam arduum actum istius imperii concipiendum ex communi Theologorum Catholicorum sententia iam proponitur cum illustratione et inspiratione divinae gratiae supernaturalis (5. 524. seq.).

688.

Virtutes theologicas, quae immediate versantur circa finem amandum, proximo ordine sequuntur virtutes simpliciter dictae morales, immediate circa media versantes, ceu habitus actuum ab illis imperatorum (684.). Est autem homo quisque, secundum omnes suas facultates activas spectatus, medium inprimis respectu virtutum theologicarum propriarum, ceu finis ultimi praesentis vitae proprii (117. 118.); cui immediate inest meritum condignum morale beatificae DEI visionis (318. I. 683. I. 684. 173.). Est deinde idem homo quisque insuper, secundum omnes item facultates spectatus, medium a DEO ordinatum ad promovendum quemvis alium hominem ad rectum usum suarum facultatum, et hoc mediante ad finem ultimum huius vitae, id est, ad virtutes theologicas, continuo in ipso augendas (120. III.). Denique, ut quisque homo se ipsum magis perficere, ut medium, seque eo felicior profectu uti, ut medio, possit, tum ad proprium progressum in amore DEI theologico, tum ad alios homines in eiusdem finis consecutionem promovendos, omnes res ceterae creatae, ceu media remota, illi utenda a DEO creatore concessae sunt (118. III. seqq.). Vnde *virtus simpliciter moralis* (684.) *universe dividitur* in habitum recte utendi se ipso et rebus ceteris creatis, ceu mediis ad perficiendum se ipsum in cognitione et amore DEI; et in similem habitum recte utendi se ipso et aliis rebus creatis, ceu mediis, ad promovendos alios homines ad eandem cognitionem et amorem DEI, et in eisdem perficiendos; hoc est, *in verum amorem sui, et aliorum hominum, quo scilicet nobis, vel aliis, vera bona volumus* (26.).

689. Por-

689.

Porro quoniam homo quisque non nisi eatenus se ipso et facultatibus suis recte et utiliter uti potest ad promovendos homines alios ad finem ultimum cognitionis et amoris DEI; quatenus ipse iam in hoc fine perfectus est: idcirco *verus amor sui, saltem in genere spectatus*, ceu natura prior, ordine etiam medii, et vi regulae, ab ipso fine determinatae, *ab amore DEI prior imperatur prae amore itidem vero hominum aliorum.*

690.

*Amor sui verus* (688.) *subdividitur* veluti in totidem habitus virtutis moralis specie diversos; 1.) in habitum recte utendi se ipso et rebus creatis ad perficiendum intellectum, *seu in culturam facultatis cognoscentis*; 2.) in habitum se et rebus ceteris creatis recte utendi ad perficiendam voluntatem; *seu in culturam facultatis appetentis*; 3.) *in curam corporis*; ac denique 4.) *in curam bonorum externorum*; hoc est, in studium, vitam, sanitatem, et statum bonum totius corporis; et in studium, promovendi et conservandi affluentiam bonorum extrinsecorum, seu rerum, ad conservandum bonum statum internarum facultatum mentis et corporis necessariorum.

691.

*Amor verus aliorum hominum*, vulgo *caritas proximi*, nomenclatione apud Christianos recepta, appellari solitus, *analoge amoris proprio subdividitur*; 1.) *in studium culturae alieni intellectus*, 2.) *in studium culturae alienae voluntatis*, 3.) *in studium boni status intrinseci alieni corporis*, 4.) *in studium boni status alieni externi, seu circa bona externa*;  
con-

convenienter nimirum benevolentiae divinae infinitae, ex aequo erga omnes optime affectae; cuius imitationem, similitudine actionum suscipiendam, imperat amor complacentiae theologicus primitivus.

692.

Porro quoniam non solum in amore alieno unius et alterius hominis; sed etiam inter amorem sui et aliorum, ratione studii eorundem bonorum, uni prae altero, vel nobis prae aliis eodem tempore volendorum, facile et saepe collisio quaedam oriri potest: idcirco *tertia quaedam species virtutis moralis amori proprio et alieno accedit*, nimirum *Iustitia*; quae est habitus amoris unius personae, seu propriae seu alienae, prae alia, secundum sapientiae consilium praedominans, sive habitus servandi rectum ordinem amoris inter diversas personas. *Dividitur haec in iustitiam distributricem*, quae bona nova, prius nondum possessa, tribuit uni prae alio; *et in conservatricem*, quae bona, prius iam possessa, vult conservata possessori.

\* Quem vulgo vocant *ordinem caritatis*, quo in exhibendo amore benefico praeferimus digniores praeminus dignis secundum rectae rationis consilium, re ipsa nihil aliud est, quam iustitia distributrix; quae ipsa tamen aliquando exerceri potest erga aliquem vi iustitiae conservatricis alteri debitae. Sic Princeps in civitate distribuere officia dignioribus, id est, aptioribus ad servandum utiliter reipublicae obligatur ex iustitia conservatrice erga totam rempublicam; cuius salutem conservare et promovere vi pacti societatis et acceptationis principatus tenetur. Ni faciat, erga rempublicam *iniustus*, erga digniores vero cives *iniquus est*; quia erga eos non servat aequum ordinem caritatis in distribuendis bonis, quae secundum rectae rationis consilium aequalis deberet esse erga omnes cives

cives, ac proinde non privato maiore affectu arbitrario, sed unice ex ratione maioris boni communis, quod conservare stricto debito tenetur, ad unam personam prae alia determinari. Denique adversum se ipsum iniustus est, qui, ut bonum temporale proximo conferat, vel conservet, se ipsum periculo iacturae finis ultimi exponit.

693.

Complexus omnium virtutum theologiarum, in suo gradu substantiali perfectarum, tam intellectualium, quam moralium, *religio interna* appellatur, eaque *naturalis*, si virtutes illae theologicae sint naturales (685. 686.), aut *supernaturalis*, si sint supernaturales, seu Christianae (687.). A virtutibus intellectualibus theologis *religio vera*, aut *falsa*, appellatur; prout illae ad vera aut falsa iudicia facilitant.

\* *Religio* vulgo definiebatur ab honoratione, divinae excellentiae debita. Enimvero honoratio DEI formalis inest tam spei, quam caritati theologicae (201. 384. 677.). Virtutibus theologis intellectualibus inest vel iudicium intellectus de summa DEI excellentia, et de rectitudine morali talis honorationis formalis (686.), vel, si de fide theologica sermo sit, formalis honoratio veracitatis et scientiae divinae super omnia sensa intellectus cuiuscunque creati.

694.

*Religionis internae exercitium omne actuale immediatum et formale summe iuvatur et facilitatur a symbolica eius expressione per signa externa sensibilia, vel natura sua, vel ex placito, aptitudinem habentia ad excitandam et conservandam attentionem circa obiecta, in quorum cognitione actus virtutum theologiarum intellectualium, actionibus virtutum theologiarum moralium praevalentes, consistunt.*  
Cum

Cum enim virtutum theologiarum moralium actus, horumque continuatum exercitium, a motivis horumque praesente vivaci cognitione imprimis dependeat; haec autem ab actibus virtutum intellectualium theologiarum propriis, ceu qui prioribus praeluceant oportet, voluntati repraesentanda sint: profecto a facilitate actuum, virtutibus intellectualibus theologis priorum, omnis facilitas inchoandi et continuandi exercitii virtutum theologiarum moralium dependet. Iam vero actus theologiarum virtutum intellectualium, cum circa obiecta, per se a sensibus remotissima, versentur, ut ex conceptu tum Theologiae et sapientiae naturalis et imprimis fidei supernaturalis theologicae patet (686. 687.), sine ulla cognitione symbolica, quae excitatricis ideae loco perpetuo serviat, perquam difficulter inchoantur, et difficilius multo continuantur, ac conservantur: iuvantur autem magnopere coniuncta *symbolica cognitione*, quae vocabulorum usui analogae est (139. not. 2. Psychol.), ac per signa externa apte exprimit, quod actus virtutum intellectualium enuntiant in ipsa mente: siquidem sensualis perceptio id genus signorum excitatricis ideae in modum phantasiam determinat ad reproducentes tales actus virtutum theologiarum intellectualium, et, his praelucentibus, etiam ad reproducentes facilius actus virtutum theologiarum moralium (Psychol. 87. 88.); atque etiam ad utrosque diutius conservandos et continuandos perinde ipsius symbolicae cognitionis continuatio servit. Porro ut id genus signorum sensualis perceptio aptitudinem ideae excitatricis respectu cognitionum, ad virtutes intellectuales theologicas pertinentium, habere possit, vel signa naturalia, vel ad placitum esse debent eorundem obiectorum, circa quae  
cogni-

cognitiones illae theologicarum virtutum versantur (Log. 69. 70. 71. item Psychol. 138.). Itaque religionis internae exercitium etc. etc.

695.

*Religio interna in aliis hominibus per se immediate et proxime promoveri non potest, nisi eiusdem, qualis in nobis inest, clara externa significatione, contestatione, ac veritatis eiusdem ostensione.* Quoniam enim illa omnis in cognitionibus intellectus, aut certo fidei assensu, de summa excellentia divinarum perfectionum, de factis divinis supernaturalibus, et promissionibus, atque in amore spei et caritatis divinae, his praelucentibus cognitionibus, ceu motivis, consentaneo, consistit (694.): idcirco promoveri illa a nobis in nemine alio unquam immediate in se et secundum proprios suos actus potest, nisi in eodem a nobis eadem de DEO cogitatio, et iudicium de divina excellentia, atque fides eadem, aut excitetur solummodo, si iam habituali virtute illi inest, vel eidem nostri iudicii de DEO, ac fidei, veritas persuadeatur. Iam vero *primum* fit sola symbolica clara nostrae religionis significatione, et actualis interni exercitii eiusdem apta externa repraesentatione; qua perinde in ipso, atque in nobis ipsis, exercitium religionis internae, iam in habitum deductae, facilitatur (loc. praec.), atque insuper is exemplo nostro ad voluntarium eius exercitium movetur. Quod si vero vel notitia, vel fide, religionis verae internae habituali is adhuc careat; excitari ac promoveri neque exercitium actuale, nec habitus eiusdem, in illo ullo alio pacto potest; nisi eidem veritas nostrae religionis internae vel sola contestatione atque auctoritate nostra, vel ostensione

*Stattler Eth. christ. univers.*

Aaa

ratio-



rationum eius sufficientium, persuadeatur. Ergo etc. etc.

696.

Habitus moralis virtutis religionem internam exprimendi per signa stabilia externa, ex natura sua, vel ex placito, apta ad promovendam immediate et proxime religionem internam, tum propriam, tum alienam, *religio externa* appellatur. Eadem quoque *naturalis* dicitur, quoad signis constat, secundum lumen rationis naturalis praecise ex proprio placito determinatis; et *supernaturalis*, quoad signis utitur, a DEO positiva lege et institutione praescriptis; prout fit in religione Christiana.

697.

*I. Religio externa sine interna vere existere non potest.* Est enim habitus exprimendi per signa externa religionem internam. Atqui signa falsa sunt, quae existentiam rei non existentis significant.

*II. Religio externa habitu aequae constat intellectuali et morali, uti religio interna (694.).* Constat enim habituali notitia stabilium et aptorum signorum, analogo habitui loquelae seu idiomatis, et habitu voluntatis talia signa coniungendi exercitio religionis interno, vel adhibendi ob earum aptitudinem ad idem in se, vel in aliis promovendum.

*III. Actus religionis externae non sunt actus virtutis theologicae formales, sed ab huius actibus moralibus formalibus imperati; ac proinde religio externa est virtus moralis simpliciter talis (684.).* Neque enim actus religionis externae, quatenus sunt intellectuales, in cognitione finis huiusque excellentiae,

lentiae, sed in cognitione medii huiusque aptitudine consistunt (Cor. II.): neque quatenus sunt morales et in voluntate, consistunt in amore ac formali honoratione DEI, ut finis ultimi, sed in prosecutione signorum talis amoris, ceu medii ad eum immediate promovendum.

*IV. Actus, religionis externae proprii, per hoc differunt ab omnibus actibus aliarum virtutum simpliciter moralium; quod illi immediate et proxime promoveant a priori actus formales et proprios virtutum theologiarum seu in proprio, seu in alieno subiecto: actus vero aliarum virtutum moralium per se solum sint effectus et actus, imperati a virtutibus theologis moralibus.*

\* Sic obedientia, five DEO, five homini praestita, actus diversissimos complectitur, qui per se immediate et a priori exercitium virtutum theologiarum directe non promovent; etsi saepe omissio eorum, cum necessarii sunt, et ideo graviter praecepti, utpote imperanda ab amore rei creatae, contrario et praeponderante amori divino (683. IX.), more omnium aliarum actionum et omissionum malafum indirecte pugnet cum caritate DEI. Est enim *obedientia* habitus conformandi actus suos voluntati alterius ob securitatem de futura tali modo rectitudine eorundem. Hinc datur simplex votum DEO factum de obediendo hominis alterius sapientis consiliis et suasionibus, certae fiduciae DEI providentiae innixum, quod Deus per illum nos sit recte gubernaturus; id quod fieri potest sine ulla superioritate, in talem hominem, respectu nostri collata. Ex adverso omne *votum* DEO factum, ceu voluntas efficax praeplacens sibi in legislatrice dominio DEI, et actuali eius exercitio in nos circa materiam voti, prae iure nostro precario circa eandem (642.), atque idcirco hoc veluti restituens DEO, formalis honoratio DEI est, ac proinde ad religionem internam pertinet (201. 694. not.).

V. *Vnde religio externa est virtus moralis simpliciter talis, et ab omni alia virtute morali specie diversa (Cor. III. et IV.).*

VI. *Religio externa, ut est apta ad promovendam religionem propriam internam, imperatur immediate a caritate DEI, vel ab amore concupiscentiae finis ultimi formalis: 2.) prout vero apta est ad promovendam religionem internam aliorum hominum, imperatur immediate a caritate proximi, ceu a virtute theologica (685.).*

\*\* Notio religionis internae et externae, a me data, cuius elaboratio omnes tum antiquos Theologos Catholicos, tum vero etiam recentiores Philosophos morales, tantopere fatigavit, in speciali Ethica sufficiet, uti opinor, ad gravissimas quasvis quaestiones de officiis religionis circa istius professionem externam, circa tolerantiam contrariarum religionum etc. quam praecipuissime definiendas. Antiqui, religionis *obiectum cui*, ut vocabant, *DEVM* statuendo, nec principia, a me 120. in adnotationibus stabilita, satis praec oculis habuere, et caruere distincta notione honorationis *DEI* formalis et practicae (201.), nec denique distinxere religionem internam probe ab externa. Recentiores Philosophi morales omnes actus virtutum mere moralium quarumcunque, ceu a motivo honorationis divinae formalis imperatos, sub complexu religionis censuere. Vide Ill. Wolfium *Ethic. P. III. §. 505.* et Fridericum Maier *Phil. Mor. P. I. §. 34.* et *P. II. §. 358.* Posterior hic scriptor *P. II. §. 258.* sub nomine *religionis externae* complectitur omnes liberos motus et positiones corporis, ex honorationis *DEI* motivo susceptos; quin opus esse putet, ut tales sint, qui religionem internam consignent atque contestentur. At enim si ita est, comestio cibi necessarii, ex motivo gloriae *DEI* facta, id est, ut quis *DEVM*, conservata longius vita, diutius honorare et colere possit, repugnante sensu communi, actus religionis externae erit.

698.

Univerfis virtutis moralis partibus ex parte intellectus praelucet ea pars virtutis intellectualis *Sapientiae*, quae regulas de recto usu mediorum horumque subordinatione, respectu finis omnium communis, consiliis suis dictat. Vide Theol. Nat. 531.

699.

*Prudentia* est habitus, generales morum regulas ad individuas circumstantias applicandi; sive est habitus, discernendi moralitatem actionis cuiuslibet in specie, qualis ea futura sit, si in his individuis circumstantiis committatur, vel omitatur.

\* Ostendi iam 294. 296. VI., actionem, quae in specie bona est, posse fieri malam vel inutilem in individuis circumstantiis, quae malas eius determinationes intrinsecas et accidentales determinent; et vicissim, quae in specie mala est, posse in aliis circumstantiis fieri bonam. Non sufficit itaque, in genere scire regulas moralitatis actionum in sua specie, vel etiam subordinationis illarum ratione graduum necessitatis et meriti; sed opus est, ut, ratione habita circumstantiarum individuarum, id est, applicatione regularum de genere vel specie actionis ad istas, facilitas adsit determinandi regulam individuum, quae dicat, quid nunc, hoc tempore, hoc loco, in talibus adiunctis rerum, et personarum, facto opus sit (291. 292. V.).

700.

I. *Prudentia est virtus intellectualis.*

II. *Eadem est pars, et complementum ultimum Sapientiae (698.).*

III. *Diuturna experientia, et errando etiam, addiscitur.*

Aaa 3

IV. Sum-

*IV. Summus eius gradus in repentinis casibus et insolitis, atque tum quoque se exerit, cum eventus coepta bona consilia repente praeter expectationem destituit; ubi praesentia animi, et in utrumque eventum consilii promptitudo sese probandi occasionem habent.*

\* Vetus illa divisio virtutum moralium in quatuor cardinales, uti vocant, mere arbitraria est, nec ad regulare virtutum systema conformata. *Temperantia*, et *fortitudo*, ad eas pertinent, quibus secundum ordinatum sui amorem voluntas tam in appetendo bono, quam in averfando malo, imperio amoris finis ultimi subiicitur. *Iustitia* ordinem amoris proprii et alieni determinat (692.). *Prudentia* de omnibus virtutibus ceteris ex individuis circumstantiis iudicat (699.). De cetero in decursu Ethicae specialis plurimae virtutes morales occurrunt, ex. gr. religio externa, obedientia etc., quae ad nullam ex illis quatuor proprie revocari possunt.

## C A P U T III.

DE PERFECTIOE ATQUE ORDINE VIRTUTVM,  
AC TOTIVS IVSTITIAE CHRISTIANAE.

701.

*Species una virtutis moralis perfectior est specie alia, quatenus actus illius proprii media sunt fini ultimo creationis proximiora.* Cum enim finis ille sit beatitudo, id est, summa et pura hominis perfectio, et universe finis omnis perfectior sit mediis; media propria illius finis ultimi ut remotioribus perfectiora sint necesse est; siquidem et ipsa aptitudinem habeant immediatam ad summum bonum, ac simul ipsamet fines proximi sint mediorum remotiorum (66. 67. I.).

702. Vir-

702.

*Virtus in sua specie eo perfectior est, quo maior est gradus facilitatis, qua in sua specie in quovis casu possibili operatur.* Oritur enim illa facilitas ex frequentatis actibus eiusdem speciei, habitu in subiecto agente permanentibus, eorumque numerum et perfectionem sequitur perfectio virtutis.

703.

*Caritas perfectissima est ex omni specie virtutum.* Continet enim rationem medii moralis proxime sufficientis ad finem ultimum creationis, quae sine ipsa nec amor concupiscentiae (681. III. n. 3.), nec ulli alteri virtuti, competere potest (688. IV.); simulque ipsa similitudinem maximam cum summo illo bono formali habet.

704.

*Itaque omnium aliarum virtutum actus perfectiores evadunt, si fiant ex imperio et motivo caritatis, quam si fiant ex amore solo concupiscentiae.* Est enim motivum in actu secundo, ex quo actus fit, determinatio actioni intrinseca (292. III.), ac proinde intrinsece eo perfectiorem reddit, quo amor motivi est perfectior. Atqui per praec. etc. etc.

705.

*Ad perfectionem actus cuiusque verae virtutis in certa specie requiritur tota materialis bonitas actus secundum omnes determinationes talis speciei proprias (291.), directa istius intentio, ac demum huius sufficiens efficacia saltem in actu primo.* Sine prima enim species actionis, sine altera libertas et moralitas, sine tertia ratio meriti theologici (318. I.), ac proinde ratio verae virtutis (662. II.) neuti-

Aaa 4

quam

quam haberetur. Sine ultimo actus non excludit actum efficacem vitii contrarii; siquidem ad nullius mediū sufficientis usum se extendit (86.).

\* Non requiri semper efficaciam in actu secundo, ex obviis exemplis patet. Sic actus misericordiae, qua egeno eleemosynam vis largiri, in sua specie perfectus est; etsi egenus, priusquam actu accipere possit, morte praeveniatur. Inde illud: *Quod voluisti, fecisti*; in genere morum et virtutis omnino valet. Contra vel maxime scelesti homines, et omnis virtutis expertes, subinde inefficacia virtutis proposita et quosdam etiam imperfectos conatus fuscipiunt.

## 706.

*Perfectionem actus virtutis moralis in individuo auget intensio conatus et efficaciae voluntatis, sese ad plura media utenda, et ad plura maioraque impedimenta vincendo, extendentis.* A gradu enim efficaciae istius mensuratur realitas actionis totius, et modus intrinsecus (292. IV.); quo plus vero realitatis inest actioni, eo melior est, atque perfectior (293.).

## 707.

*Quo magis composita est actio ex perfectionibus, seu motivis plurium virtutum specie differentium, et quo ex perfectioribus virtutibus, et quo maiore intensione et efficacia voluntatis exercitis, eo maior est eius composita perfectio.* Vt si actio quaedam externa habeat aptitudinem physicam ad relevandam proximi egestatem, et simul moralem ratione boni exempli moventis alios ad imitationem; si simul fiat cum iustitia distributrice, et exhibeatur digniori prae minus digno; si simul subveniatur necessitati spirituali et corporali etc. etc. atque simul hae omnes eius aptitudines sub formali bonitate theologica directe intendantur ex imperio cari-

caritatis simul et amoris concupiscentiae, cum spe divinae mercedis etc. etc. Motiva enim virtutum diversarum totidem sunt novae determinationes bonae intrinsecae toti actioni compositae (292. Ill.); quae proinde eius consensum in bono magis varium, id est, magis perfectum reddunt (31.).

708.

*Summa actionis moralis perfectio est, si ex omnium virtutum motivis, quorum est capax, et ex singulis, cum summa intensione et efficacia directe intentis, in statu morali Christiano filii DEI adoptivi, et sub influxu fidei supernaturalis, omnia virtutum motiva proponentis et inspirantis, peragatur.* Sic enim omnes et singulae virtutes componentes vere Christianae, supernaturales, ac tam ratione principii, quam ratione dignitatis personae, atque intrinsecae bonitatis, tam perfectae erunt, ut maior in eundem actum non cadat.

709.

*Ordo virtutum diversarum inter se est praedominium efficaciae aliarum prae aliis in collisione mutua, vi cuius in eisdem circumstantiis sunt simul impossibiles.*

*Rectus ordo virtutum dicitur, quem sapientiae consilium ceu fini ultimo aptissimum in eisdem, tanquam eius mediis, determinat (534. Theol. Nat.).*

*Virtutes, quae secundum rectum ordinem praedominantur aliis, virtutes superioris ordinis istarum respectu, et istae respectu illarum virtutes inferioris ordinis appellantur.*



610.

*Rectus ordo virtutum is est, cum praedominantur illae, quarum actus proprii sunt media magis necessaria et proximiora, seu perfectiora (701.), respectu finis ultimi creationis adaequati, id est, beatitudinis hominum communis (120. V.). Sapientiae enim est, consilio suo media aptissima seu optima ad finem eumque optimum consequendum prae minus aptis, et necessaria prae non necessariis, aut minus necessariis, proponere; ac proinde, si ordo in virtutibus fervetur ille, quem sapientia consilio suo commendat, virtutes illae semper praedominantur, quarum actus sunt media magis necessaria et proximiora ad finem, et quidem ad finem adaequatum; quippe qui melior est sine solum inadaequato. Atqui ordo rectus non est, nisi quem sapientiae consilium determinat (praec.). Ergo etc. etc.*

711.

*I. Ut rectus sit ordo virtutum; caritas DEI ut praedominetur universis, necesse est. Est enim maxime necessaria, et medium proximum tum beatitudinis propriae, tum promovendae alienae (681. III. n. 3. 701. 703.).*

*II. Amor concupiscentiae et spes theologica, qua desideramus beatitudinem propriam, praedominari debet caritati proximi, qua optamus alienam salutem (689.).*

*III. Virtutes theologicae universe praedominari debent virtutibus moralibus simpliciter talibus. Debent enim istae imperari ab illis, ut possint habere rationem medii respectu finis ultimi, nimirum vel a caritate DEI, vel ab amore concupiscentiae (683. I. II. III.).*

*IV. Inter*

*IV. Inter simpliciter morales primum praedominii locum habere debet religio externa, quoad absolute necessaria est sive ad propriam religionem internam, in gradu necessario exercendam (loc. cit. III.), sive ad alienam in eodem gradu promovendam. Propius enim et immediatius per se religio externa concurrit, ut medium, ad virtutes theologicas, ac proinde etiam ad finem ultimum adaequatum, id est, seu propriae, seu alienae beatitudinis promovendum, quam ceterae (697. IV.): ergo quoad simul est absolute necessaria, secundum rectum ordinem praedominari debet (praec.).*

*V. Virtutes inter morales, ad verum sui amorem pertinentes, praedominari debent eae, quae ad statum bonum internum, cum fine ultimo consentientem, promovendum et conservandum aptae et necessariae sunt, prae illis, quae solum statum bonum externum respiciunt (689.): quia bona externa non nisi media sunt ad bona interna, ceu ad finem; ac proinde ista sunt media fini ultimo proximiora.*

*VI. Inter bona interna ab amore vero sui proprio praeferri debent bona animi bonis corporis; vita autem omnibus, quae primum de novo acquirenda sunt, nec solum conservanda. Corpus enim non nisi instrumentum est animi, animus autem causa principalis et proxime efficiens circa usum mediorum proximorum finis ultimi. Nihilominus, vita defluente, omnis facultas tum animi tum corporis diffluit ad efficiendum finem: ergo vita prae bonis corporis ceteris, imo et prae nova cultura facultatum mentis necessaria est.*

*VII. In pari necessitate amor boni proprii aequalis, vel maioris, semper amori analogo benevolentiae erga alios homines, eodem vel minore bono indigentes,*

tes, praedominari debet in casu collisionis, et cum agitur de bono; aliis primum tribuendo; ob rationem videlicet §. 689. datam.

VIII. Amor proximi per se aequalis esse erga omnes homines debet, quos nullum dignitatis, vel meriti de nobis, discrimen discernit.

IX. Iustitia vero conservatrix, proximo debita, (extra casum summae necessitatis vitae propriae conservandae) semper amori proprio et alieno praedominari debet; et in ipso etiam casu dictae necessitatis, si par sit eius necessitas, cuius bona ad usum nostrae necessitatis auferenda, vel laedenda essent. Huius ratio est, quod DEUS ex aequo per se bene velit omnibus, ac proinde cum aequali hac DEI benevolentia pugnet, si nos cum damno felicitatis alienae aequali felices reddere, aut perficere velimus. Contra in casu nostrae solius necessitatis communi et aequali DEI benevolentiae consentaneum est, ut, cum leviori multo incommodo alterius, summo nostro malo caveatur; in cuius compensationem alter novum meriti caritatis gradum obtinet, si consentiat, ut decet.

712.

Completus rectus ordo omnium virtutum perfectam sapientiam, et in actuali exercitio insignem prudentiam a priori naturae exigit. Sapientiae enim proprium est, consiliis suis non solum media ipsa quaevis necessaria et aptissima suggerere, sed etiam istorum subordinationem debitam determinare, ut via quam brevissima, et nusquam per impedimenta abrupta mediorum serie finis optimus obtineatur. Porro Sapientia, quatenus hunc ordinem in individuo, id est, in individuis actionibus

bus virtutum, ex circumstantiis individuīs rite consideratis, determinat, prudentia appellatur (699. 700. I.).

713.

Rectus ordo completus omnium virtutum *universalis iustitia* illa est, a qua homo simpliciter *iustus* appellatur. Quodsi rectus iste completus ordo non solum ad actiones quarumlibet virtutum necessarias se extendat, quaeque lege DEI, gravi, vel levi, praecipuntur, sed etiam ad eas actiones, quae, ceu meliores, imo optimae, quia tamen necessariae ad finem ultimum absolute non sunt, solo DEI invitantis consilio suadentur (360.); *universalis iustitiae perfectio*, et homo ab ista *iustus et perfectus*, nominatur.

714.

I. *Universalis iustitia Christiana in statu filiorum DEI adoptivorum sola fide supernaturali, sapientia et prudentia, ac denique praedominio generali caritatis DEI, saltem coniunctim cum amore concupiscentiae imperantis, absolvitur* (683. I. IV.). Modo enim fides et sapientia supernaturalis prae luceant, et regulas suggerant, quid secundum rectum ordinem potius agendum sit, si caritas et amor concupiscentiae omni adverso amori praedominentur; nec amor boni alicuius, illis contrarius, nec ommissio amoris boni veri necessarii, a tali amore contrario imperanda (410. not.), possibiles erunt, quae imperio suo excludendi facilitate uterque ille DEI amor non polleat.

II. *Iustitia distributrix et conservatrix, supra (692.) definitae, revera non nisi partes universales iustitiae sunt.* Ut enim ista omnium virtutum ordinem

nem rectum completum; sic illae solius amoris veri proprii et alieni ordinem rectum habituales sphaera sua complectuntur.

\* Rectissime ergo denuo S. Augustinus rem exprimit, cum summam virtutem dixit *perfectum ordinem amoris*.

III. Itaque status universalis perfectae iustitiae Christianae analogus est status beatae vitae; quippe qui item clara DEI visione, caritate, et gaudio de nostro bono absolvitur (122. 123. 242.), ita, ut fidei et sapientiae succedat clarus ac praesens intuitus immediatus summi et puri boni, qui omnem deliberationem de rectitudine actionis aequae ac libertatem tollet; amori vero concupiscentiae gaudium de fruitione actuali boni cupiti, ceu istius attributum (123.).

VI. Perfectioni universalis iustitiae proprium est, virtutum species minus perfectas non ultra gradum necessitatis excolere, eo fine, ut animus perfectiorum virtutum exercitio frequentiori eo liberius et maiore contentione vacare possit. Patet ex definitione, loc. praec. data.

V. Unde eidem perfectioni universalis iustitiae proprium est, amorem bonorum externorum, atque etiam bonorum corporis, intra gradum solius necessitatis restringere, ut bonis internis animi curandis, religionis externae exercitio, atque inprimis virtutibus theologis, tum in proprio subiecto, tum in aliis hominibus perfectius excolendis, vacare possit (711. IV. V. VI.).

\* In ultimis his duobus corollaris fundamentum evidens inest summi gradus Christianae perfectionis, qui paupertate et castitate religiosa obtinetur. Cum enim bonorum fortunae dominium nullo pacto ad universalis iustitiae substantiam consequendam necessarium

rium sit; quin imo cum, urgente cura illorum bonorum (quorum usus etiam necessarius solum ad remotissima finis ultimi media spectat), difficillime altiorum virtutum iustum praedominium rectusque ordo servetur: idcirco solo usu necessario eorum bonorum contentum esse, atque (ne in isto etiam sub libero propriae libertatis iure inordinatio admittatur) precario iure eisdem utendi, et a potestate morali superioris legitimi dependente, contentum esse, ut sic omni minus utili bonorum eiusmodi infimorum cura levatus, atque etiam in ea excedendi occasione solutus, altioribus divitiis toto animo intendere possis; enimvero id genus propositum voluntatis, quam paupertatem vocamus, imperatum ab amore superioris virtutis et ipsius perfectae caritatis, non nisi summae perfectioni universalis iustitiae proprium esse potest. Parem in modum constans voluntas excludendi voluptates corporis, etiam in legitimo et rato matrimonio licitas futuras, ceu bonum infimum, neque necessarium in hypothesi, quod nulla gravis publica necessitas, aut privata propriae personae circumstantia ad matrimonium et curam generis humani aut propriae familiae propagandae nos vocet; talis, inquam, voluntas, ab amore superioris virtutis et perfectionis universalis iustitiae imperata, quidni pars propria perfectionis istius esse dicatur? De *Obedientia religiosa*, imo etiam *de votis* ipsis harum virtutum religiosarum, non iam opus est quid addere; cum post modo dicta, res tota vel ex solis definitionibus, supra 697. in adnot. I. traditis, abunde pateat.

\*\* Enimvero evidentia eorum, quae modo de istis religiosis virtutibus, earumque Deo oblatiis votis, dicta sunt, confundere aliquando eorum Doctorum Protestantium ineptos de veris virtutibus et perfectione Christiana conceptus deberent, qui ex mera ignorantia religiosorum hominum, qui in Catholica Ecclesia sunt, virtutes proprias veluti entia mere fictitia explodunt, fortassis idcirco, quod experientia propiore rei destituantur, cuius nulla inter suos exempla conspiciant. Mihi quidem commiserationem potius, quam bilem movit lectio eorum, quae vir cetera clarissimus, D. Fredericus Maier in *Phil. Pract. Univ.* §. 189. pag. 385. Edit. Halae

Halae Magdeb. a. 1764. de voluntaria paupertate habet. *Actionem legitimam* (seu, meo in idiomate Ethico, *rectam*) *rationali sufficienti legis, qua praecipitur, conformem esse debere*, ibidem docet; quod quidem in meis principiis idem est cum eo, quod 705. de necessitate directe intendendae bonitatis materialis specificae dixi; siquidem vera ratio sufficiens specificae legis naturae non nisi bonitas illa materialis specifica est (35<sup>o</sup>.); eo quod ceterae rationes partiales, loc. cit. memoratae, omnibus legibus communes sint. Iam vero subdit praefatus auctor, saepissime contingere, ut in executione legum qualiumcunque homines soli tenori verborum legis inhaereant, finem legis, id est, specificae bonitatis intentionem, seu negligentes, seu minime intelligentes. Nunc vero audi erroris istius exemplum. *Scriptura Sacra, inquit, iubet, ut amore Christi rerum omnium amorem abnegemus. Evidens est, rationem istius legis sufficientem supponere hypothesin, in qua possessio verorum bonorum praesentis vitae cum professione et exercitio Christianae religionis contraria pugna colliditur, prout in Martyribus evenit. Quodsi itaque Christianus aliquis, in nulla consimili cum Martyribus hypothesi constitutus, voluntariam paupertatem eligat, absque omni necessitate morali; dici profecto potest legi praedictae iniuriam facere, et re ipsa illegitime agere.* Itane fieri potest, ut Christiano Doctori Philosophiae moralis, extra casum necessitatis martyrii pro Christi professione subeundi, voluntaria paupertas rationem virtutis habere non posse videatur? Et istius tam manifesto erroneae opinionis denique alia ratio non affertur, nisi quod extra casum martyrii possessio divitiarum, ceu verorum bonorum praesentis vitae, cum professione et exercitio Christianae religionis minime pugnet. Amabo! an, quia confectatio mediocris lucri, ex mercimonii vulgaris exercitio cum professione et exercitio bonae oeconomiae non pugnat, voluntarius istius neglectus, eo fine factus, ut grandia navalis et maritimae mercaturae lucra cum ingenti foenore secteris, commendationem melioris longe, perfectioris, et prudentioris oeconomiae non meretur? At enim, cum secundum Protestantium doctrinam omne, quod optimum factu est, lege naturae praecipitur; quippe qui consilia divina, a legibus naturae diversa, non

non admittant (360. not.); negare profecto debent, voluntariam paupertatem, maioris perfectionis amore susceptam, melius quid esse possessione divitiarum; nisi omnes sese lege naturae ad eam obligatos sateri velint. Catholicis ex adverso, consilia a lege naturali distinguentibus, citra peccati, contra legem naturae committendi, periculum liberum erit, vel divitias iuste partas possidere, ceu bonum simpliciter adhuc verum, quia nulli puro ac maiori bono contrarie oppositum (26. 293.); vel, quod melius est, voluntarie paupertatis consilium, maioris perfectionis iustitiae Christianae amore, sectari. Utinam illi Protestantium Doctores, qui cum praefato scriptore Phil. Moral. P. II. §. 316. tanto desplicatu Theologos Catholicos tractant, diligentius istorum libros manibus et lectione versarent! Ut enim illud eis concedam, quod scribendi methodus saltem antiquorum ex nostris, aequae ac contemporaneorum Protestantium scriptorum, confusa fuerit; certum tamen est, quod *substantiam* verae ac Christianae morum doctrinae, atque inprimis perfectionis iustitiae universalis Christianae, longe magis integram ex eorum lectione hausturi essent. Equidem sancte profiteor; quidquid tota hac universalis Ethicae Christianae tractatione de substantia moralium regularum, et vere naturalis aequae ac Christianae virtutis, ac perfectionis tradidi, me non ex aliis, quam Catholicis, iisdemque minime recentibus, scriptoribus hausisse; etsi tota methodo ab istis recedam, notiones vero plerasque proprias, propriae metaphysicae inaedificatas, et paucissimas cum Protestantium Doctoribus communes, habeam. Optem ego, ut tam illustri nostra aetate res morum aequae ac religionis verae Christianae a vere doctis scriptoribus Protestantibus iuxta atque Catholicis communi consensione animorum et sincero mutuo benevolentiae amore ad normam recentioris methodi et purioris distinctiorisque metaphysicae expendantur; dogmata item catholica a rebus merae arbitrariae disciplinae, et multo magis a meris scholae diversae opinionibus, secernantur: siquidem certissimum mihi est, hoc uno remedio nostra aetate, si unquam alias, facilius prae ceteris ad unionem religionis et totius doctrinae morum perveniri posse.

*Stattler Eth. christ. univers.*

B b b

715. Schie-



*Schema divisionis virtutum, quae Iustitiam universalem Christianam conficiunt.*

*Virtutes Intellectuales.*

*Theoreticae.*

Theologia Naturalis.  
Notitia certa factorum, quae  
divinam revelationem con-  
ficiunt, et evincunt.  
Fides supernaturalis.

*Practicae.*

Sapientia } naturalis.  
Prudentia }  
Scientia legum natura-  
lium.  
Notitia supernaturalis  
legum divinarum po-  
sitivarum.

*Virtutes Morales.*

*Theologicae, sive  
Imperantes.*

Caritas DEI pura, Amor  
DEI concupiscentiae.  
Spes. Caritas proximi  
theologica.

*Simpliciter Morales, sive  
servientes.*

*Amor verus sui. Amor verus Proximi.*

recto ordine excolens

intellectum religione  
externa et scientia  
salutari;  
voluntatem modera-  
tione affectuum;  
corpus necessariis ad  
vitam et sanitatem;  
statum externum bo-  
nis fortunae, et fa-  
mae.

Amor Iustus erga se ipsum. . . Amor iustus erga pro-  
ximum.

*Per-*

*Perfectio Universalis Iustitiae  
Christianae.*

Caritas DEI, supremo gradu perfecta (384.).  
Spes, et Caritas proximi perfecta (714. IV.).

*Imperatae a perfecta DEI caritate,*

1. *Paupertas* excludens omnem amorem non necessarium bonorum fortunae.
2. *Castitas* excludens omnem amorem non necessarium voluptatum corporis.
3. *Obedientia* excludens amorem propriae libertatis sive ad malum, sive ad minus bonum.

716.

Supereſt, ut etiam de remedio agamus, quo laesus atque perversus quocunque vitii actu ordo rectus amoris restitui denuo possit, quod *Poenitentia* appellatur (255.). Quoniam porro per dicta (683. IX.) omne vitium in inversione recti ordinis in amore consistit; quod videlicet imperium, caritati et amori DEI concupiscentiae ereptum, amor aliquis boni creati, seu proprii, seu alieni, sibi vindicet, qui tamen amori boni increati servire deberet: idcirco *poenitentia* aliud non est, quam restitutio imperii amoris DEI et subiectio amoris rebellis erga imperium illius.

717.

*I. Poenitentia amoris divini actum efficacem et substantiali gradu perfectum importat (384. 385.), cuius imperio contrario amor ille vitiosus praedominans habitualis, seu voluntas vitiosa, destruat.*

*II. Efficacia praedicta importat imperium odii displicentiae, et detestationis actus mali praeteriti (id est,*

B b b 2

est,

est, desiderii, quo optet poenitens, malam actionem, seu praedominium amoris inordinati, nunquam a se fuisse admissum), et firmum propositum non committendi illum de cetero. Sine his effectibus enim amor DEI praedominans cum actuali conscientia et memoria vitii semel admissi aut componi non potest, aut certe, illa stante memoria, non potest esse satis efficax ad amorem vitii habitualement destruentum.

III. Efficacia ista potest inesse etiam amori DEI concupiscentiae (678. 683. IV.

## CAPVT IV.

### DIVISIO TOTIVS ETHICAE CHRISTIANAE.

718.

Quoniam *Ethica Christiana* tum Philosophiam moralem, id est, Ethicam, naturali statui morali propriam, tum regulas morum, DEI revelatione, ac proin consilio, vel lege divina positiva acceptas, includit (10. 11.): idcirco in duas partes univarse dividitur, videlicet in naturalem, quam scilicet cum Philosophia morali communem habet; etsi modus, quo regulae Philosophiae etiam moralis Christiano homini innotescunt, et executioni ab eo mandantur, sit supernaturalis; et in positivam, seu, quoad substantiam supernaturalem, quae regulas morum, lege vel consilio DEI positivo constitutas, complectitur.

719.

Utraque dividitur in communem omnibus Christianis, et particularem, quae non nisi certae cuiusdam

dam Christianorum parti ex hypothesi alicuius facti propria est.

720.

*Positiva, tam communis, quam particularis, subdividitur in pure divinam, quae solius DEI lege, vel consilio, positivo constituta est, et in humanam, quae potestate humana morali, a Christo Domino instituta, praescripta est sive omnibus Christianis, sive certae duntaxat eorum parti et conditioni; quam posteriorem, ceu ab Ecclesiae Christianae Praepositis constitutam, recte Ecclesiasticam vocamus.*

721.

*I. Quatenus Ethica naturalis officia iustitiae erga alios homines docet; sub ea, ceu partes, continentur scientiae iuris naturalis, socialis privati, et publici.*

*II. Ius sociale Christianum, quod Ethica Christiana docet, non nisi talem felicitatem externam, id est, securitatem bonorum corporis, fortunae, et famae, pro fine habere potest; cuius amor, ceu virtus, Christiana (etsi infimi ordinis 709. 711.), religioni Christianae, et caritati DEI, ceu fini ultimo praesentis vitae, subordinatur; neque aliam societatem inire hominibus Ethica Christiana permittit, nisi talem, cuius finis saltem substantiali praedictarum virtutum perfectioni subordinetur (loc. citt. et 710.).*

\* Vel sola regula ista ingens lumen in omnem Iuris naturae hypothetici campum, quatenus iste sphaera Ethicae Christianae continetur, refundit: quod suo tempore ostendam; si DEUS vitam, vires, et gratiam suam largietur. Huius vel unius regulae necessitas semel perspecta facile convincet quemlibet verum Christianae religionis amatorem de imperfectione omnium scriptorum illorum de Iure sociali, quae vel Societas

tis civilis ideas nobis adumbrant in felicitate praesentis vitae, ad bona solius corporis et status externi restricta, ceu in fine ultimo acquiescentis, vel dogmata iuris socialis mere naturalis ad rempublicam Christianam applicant, nulla prorsus religionis Christianae propriarum legum atque iurium positivorum aut sufficiente notitia praelucente. Enimvero Ius sociale christianum non nisi a Christiano, de tota Theologia vere Christiana probe edocto, expectari potest; ac proinde colligi ex hoc potest, quam parum homo Catholicus, cui solius Romanae Ecclesiae veritas persuasa est, confidere Iuris socialis scriptoribus iis possit, qui a sua Ecclesia non solum intellectus iudicio, sed acerbioris voluntatis odio, alieni sunt; quoties illi calamum ultra iuris socialis mere naturalis terminos protendunt. Profecto homo iam probe Christianus, de Societate civili ineunda paciscens, ceu a priori iam certis positivis legibus divinis maxime circa religionem internam et externam obligatus, persona est facultatem paciscendi iam multo magis restrictam habens, quam homo in solo statu naturali positus, nec quidquam ei contrarium, quod lege Evangelica iam definitum est, pacto sociali adpromittere potest. Quapropter Ius sociale, ad hanc personarum paciscentium conditionem nihil admodum reflectens, enimvero in proclivi est, ut in errores, a religione Christiana alienos, et in dogmata deducat, quae cum civitae vere Christianae componi nulla ratione possint.

722.

*Declaratio legis* est significatio iudicii sui de qualitate, vel quantitate, vel extensione eiusdem legis, seu ad quid, quam graviter, et quasnam personas, aut sub quibus circumstantiis, obliget. *Declaratio authentica* dicitur, quae vim promulgationis respectu eius habet, cui fit.

723.

*Potestas exequendi legem* est potestas moralis authentice declarandi poenam, cuius reatum subditus

tus violando legem contraxerit, et cogendi istum ad eam poenam sustinendam, sive eam actu inferendi.

724.

*Potestas inquirendi et iudicandi* est potestas moralis (324.) per media apta et de se innoxia captandi notitiam de actionibus subditorum, lege praeceptis, vel prohibitis, et de conformitate aut difformitate earundem cum legibus ferendi *iudicium regulare*, id est, tale, quod instar regulae moralis serviat in potestate legis executrice (praec.) recte exercenda.

725.

*Iurisdictio* est potestas moralis leges iam latas authentice declarandi, in earum executionem inquirendi, de ea iudicandi, et easdem leges exequendi. Qui pollet iurisdictione, *Iudex* appellatur. Si totum exercitium iurisdictionis solum tendat ad emendationem subditi, contra legem peccantis, *iudicium paternum*, et *iudex pater*, dicitur: si vero tendat ad cavendum damnum commune, *iudicium publicum*, et *iudex publicus*, seu *civilis*, appellatur.

726.

*Forum iudicis morale* dicitur extensio iurisdictionis eius ratione materiae, seu actionum humanarum, et personarum, de quibus, atque etiam loci, ac temporis, in quo, iudicium exercere morali potestate potest. *Forum internum* dicitur, si iurisdictio se extendit ad ipsas actiones humanas morales internas intellectus et voluntatis: *forum externum* appellatur, si iurisdictionis solum ad actiones externas pertinet.

B b b 4

727. Po-

727.

*Potestas aggratiandi* est potestas moralis reo violatae legis remittendi culpam, simpliciter, vel etiam perfecte; id est, eum absolvendi a reatu culpae et poenae (258. 283.).

728.

*Lemma Catholicum I. Instituta est a Christo Domino pro sua Ecclesia potestas iurisdictionis spiritualis, id est, nomine DEI exercendae, et tradita Apostolis cum iure aggratiandi in foro interno per illa verba Ioan. XX. 21.: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. 2.) Haec potestas in foro interno exercetur iudicio paterno; 3.) in foro externo autem iudicio publico.*

\* Protestantibus vulgo quidem fatentur, in illo Ioannis Evangelistae loco concedi Apostolis eorumque vices gerentibus potestatem declarandi reis remissionem, sed absque potestate propria iudicandi et remittendi; item non nisi tali declaratione, qua, propositis DEI promissis, reus excitetur ad fidem seu fiduciam in Christi meritis ponendam; cuius fidei instrumento ipsi actu applicetur meritum Christi, et per hoc fiat remissio peccatorum. Quem errorem quidem refutandi non est hic locus. Illud solummodo adnoto; primo secundum ipsos scriptores Iuris Socialis e Protestantium numero *ius aggratiandi* censei inter ea iura maiestatica, quae non nisi sub certis conditionibus et meritis causae rite examinatis vel ab ipso supremo Principe exerceri recte possunt. Vide Ill. Wolfii. P. VIII. Iuris naturae a §. 656. seqq. Quo ergo pacto de Christo supponi ab ipsis potest, quod vel potestatem, declarandi solum qualicumque declaratione remissionem peccatoribus, dederit Ministris suis, vel soli fiduciae Christianorum sine requisita iusta poenitentia (716. 717.) remissionem eandem promiserit, absque ullo praescripto iudicio

dicio et examine causae, *ne paterno quidem?* Deinde quanto emendationis morum adminiculo, instructionis paternae remedio, scelerum freno exuerunt Ecclesiam suam; cum solius paterni istius iudicii odio et impatientia confessionem distinctam peccatorum a Sacramento Poenitentiae substantia removerunt?

729.

*Lemma Catholicum II. Instituta quoque est a Christo Domino potestas ministrandi Christo Domino in Sacramentorum, ab eo institutorum, dispensatione (quam Ordinis potestatem vocamus), atque una potestas administrationis tum ipsius potestatis istius Ordinis, in certas personas conferendae, tum exercitii eiusdem in actuali Sacramentorum dispensatione. 2.) Virtute administrationis circa collationem ipsius potestatis Ordinis Apostoli, eorumque in ista administratione Successores, potestate morali instruuntur lege praescribendi certas regulas et conditiones iis, qui ad participationem eius potestatis admitti exortant. 3.) Virtute administrationis ipsorum Sacramentorum potestate morali pollent eadem negandi indignis, et leges certas pro digna et reverenti eorum receptione praescribendi.*

\* *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum DEI, ait Apostolus I. Cor. IV. 1., de se et omnibus Apostolis IESU Christi, fidelitatem in re tanti Domini administranda praecipue requiri in Ministris ibidem innuens; et ad Hebraeos V. 4. docens: Nec quisquam sibi sumit honorem (Sacerdotii), sed qui vocatur a DEO, tanquam Aaron.*

730.

Ex occasione istius universae potestatis Ecclesiasticae, a Christo Domino institutae, quatenus nunc in foro mere interno, nunc in externo exercetur (728.), duas veluti in partes universa spe-

Bbb 5

cialis



cialis Ethica Christiana dividitur, nimirum in *Theologiam Moralem*, quae regulas Ethicae Christianae naturalis, ac positivae, divinae, iuxta atque humanae, communis ac particularis (718. 719. 720.), complectitur; secundum quas quisunque Christianus vitam suam omnem instituere obligatur, atque idem in foro interno a Christi ministro iudicandus est; deinde in *Ius canonicum*, quod eas regulas morales Ethicae Christianae, positivae, divinae et humanae, complectitur, quae ad actiones externas, a quovis Christiano diversi status recte instituendas, spectant, et secundam quas a Praepositis Ecclesiae in foro externo iudicandus est.

\* Alteram partem Iuris Canonici, prout more recepto tradi solet, conficiunt illae regulae, quae immunitatem Ecclesiasticam personalem, realem, et localem, determinant, et sub distinctione personarum ut plurimum illi cum Iure civili communes sunt.

## 731.

*Ascesis* quoque peculiaris pars ea Ethicae Christianae est, quae regulas morum eas praecipue tradit, quae ad perfectionem universalis Christianae iustitiae spectant.

## 732.

*I. Ethicae totius Christianae proprium est, docere non solum regulas morum, sed etiam earum rationes sufficientes. Non solum enim illustrare intellectum, sed et voluntatem movere, ipsius officium est.*

*II. Vnde bonitatem theologiam fundamentalem actionum humanarum explicare debet, ob quam aut lege naturali praecipuntur, aut consilio suadentur, aut aptae sunt, ut lege positiva, divina, vel humana, praecipere possint. Hoc enim eo serviet, ut ne servili magis necessitate, quam ultronea voluntate, sed*

sed ipso pulcerrimae virtutis amore ad omnem rectitudinem animus hominis moveatur.

*III. Bonitas fundamentalis virtutum theologicarum immediate in similitudine cum DEI perfectione consistit, qua DEVS sibi ad beatitudinem sufficientissimus est se cognoscendo et amando.*


*IV. Bonitas fundamentalis virtutum, pertinentium ad verum amorem sui ipsius, consistit in aptitudine perficiendi facultatem hominis reddendi se ipsum DEO similem cognitione et amore DEI theologico. Omnes enim in amore mediorum et odio impedimentorum cognitionis et amoris DEI consistunt (688. 690.).*

*V. Bonitas fundamentalis virtutum, pertinentium ad verum amorem proximi, in similitudine cum infinite sapiente benevolentia DEI erga universos homines ex aequo efficacissima consistit.*

*VI. Gravitatem quoque legum definire et docere Ethicae Christianae convenit, eo fine videlicet, tum ut momenta motivorum regulae moralis distinctius intelligantur, tum ut saltem perfecta quantitate poenae, quam lex intentat, voluntas refractaria expugnetur.*

\* Talis Ethica, ut opinor, non habet, quod sibi ab illis incommodis metuat, quae Berolinensis quidam theologus, D. Ioannes Theophilus, Toellner ex abusu remunerationum alterius vitae pertimescenda nuper in Dissertatione theologica proposuit, quae in novellis eruditorum Ratisbonensibus hoc primum anno 1773. parte X. pag. 78. recensita fuit. Constans ac nimis frequens earum inculcatio, inquit, in adhortationibus et correptionibus nostris identidem repetita, quintuplex grave virtuti praeiudicium affert: primo nullam in virtute opportunitatem ad praesentis vitae rationes esse; deinde praemium virtutis aut unice, aut praecipuo

puo quodam modo, in arbitrariis futurae cuiusdam vitae remunerationibus consistere: *tertio* inde primum esse, ut sceleratus vitae emendationem ultimas in vitae horas differat: *quarto* ut quovis de futuris vitae remunerationibus exorto dubio virtutis ipsius obligatio in dubium vocetur: *quinto* denique, hoc pacto occasionem dari, ut non nisi impurae cuidam virtuti ex solius praemii studio insistatur. Confirmat praefatus scriptor dicta sua ex eo, quod in veteri Testamento nulla alterius futurae vitae praemia promissa fuerint; quod indicio sit, eadem nec esse necessaria ad hoc, ut quisquam de sua obligatione ad sanctam vitam vincatur. At enim si verum est hoc, quod ultimo ex eo auctore a me allatum: quid sibi Iobus Cap. XIX. finxit de futura resurrectione sua in carne propria, de visione DEI Salvatoris sui etc.? Quid Sapiens Cap. II. impiis exprobrat v 21. dicens: *Haec cogitaverunt, et erraverunt; excaecavit enim illos malitia eorum. Et nescierunt Sacramenta DEI, neque mercedem speraverunt iustitiae, nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum?* Tum vero quam graphice futurae vitae remunerationes idem praedicat Cap. III. IV. et V.? Solum itaque Iudaeis, ceu fundamentum *propriae* legis socialis, Deus non proposuit praemia et poenas alterius vitae, ceu divina naturali lege iam constitutas: falsum enim est, remunerationes illas, alteri vitae proprias, mere arbitrio DEI esse constitutas; quod Sect. I. Cap. IV. Art. 4. et V. ostendi. Enimvero, his duabus observationibus rite pensatis, lectisque, quae a me 678. 679. 680. 681. 683. 703. sunt tradita, facile quisque ultro advertet, multo maius periculum esse illud, de quo ego 15. in notis Ethicae Christianae scriptores admonui, quam de quo in citata tractatione theologica admonemur.



INDEX



# I N D E X R E R V M P R A E C I P V A R V M .

I N Q V O  
N V M E R I P A R A G R A P H O S D E S I G N A N T .

---

## A.

*Accidentia*, contraria, disparata 24.

*Actio* recta, negative recta, positive non recta 2. hominis, humana, moralis 287. 288. Moralitas eius quid importet 288. IV. 309. moralitas fundamentalis physica et theologica ibid. II.

*Actionum humanarum analysis* 289. quatenam ex eis morales 290. determinationes actionum intrinsecae, extrinsecae, essentialis, accidentales: actio in specie, in individuo 291. requisita, conditiones, circumstantiae actionis ibid. 292. motiva, modus agendi, an speciem et individuum actionis conficiant 292. III. IV.

*Actio simpliciter physice bona, et mala*, in specie, in in-

dividuo, 293. in specie bona potest esse in individuo mala, vel inutilis 294. II. III. actiones bonae, quae nunquam possunt esse malae 296. V. malae, quae nunquam bonae fieri possunt ibid. VIII. gradus bonitatis physicae actionum 297. Actionis erroneae quale demeritum 318. V.

*Actio necessaria ad finem ultimum*, et utilis solum 295. illius omissio physice positive mala. 296. I. Utilis solum omissio mala negative ibid. II. *actio moraliter necessaria*, et impossibilis 325. III.

*Actio indifferens*, nulla in specie simpliciter, bene tamen, ut in individuo bona, vel mala sit 296. IX. not. possibilis est actio formaliter theologice indifferens 307. 309. IV. nec

nec lege praecepta, nec prohibita, nec consilio aliquo suasa 361. 362. error et confusio scriptorum quorundam in hac parte ibid. not. 2. seqq.

*Actio otiosa* quae 366. not. 2. 367. superflua seu inutilis 293. quomodo actiones in specie bonae fiant otiosae in individuo 368. discrimen actionis otiosae ab imperfectionibus theologicis et omni alia actione in specie mala 369. seqq. actiones otiosae positivae malae et DEI lege prohibitaesse ostenduntur 372.

*Actiones infidelium* an aliquae bonae esse possint; et qua bonitate 383. not. 4. 670. III. IV.

*Acquiescentia in aliquo fine* 85.

*Affectus* 55. eorum generalis divisio in iucundos et molestos 56. Simples, compositi 57. 58. 59. homogenei, heterogenei 60. 61. primitivi, derivativi, imperantes, imperati 62. Motus primi, deliberati affectus 64. Affectus ordinatus 70. 71. Motus primi liberi non sunt 513. XI.

*Amor benevolentiae et concupiscentiae* 74. non possunt esse primitivi affectus 75.

76. sed sunt imperati a duplici amore complacentiae 77. 78. Amor benevolentiae purus possibilis 80. 81. Amor concupiscentiae non cadit in DEVM 83. Amor benevolentiae perfectus 110.

*Amor complacentiae* est affectus primitivus et imperans 67. VII. est actus primus et ultimus voluntatis circa finem ultimum 84.

*Amor caritatis purae* est amor complacentiae, eius substantia et perfectio in quo consistat 384. lex naturae eum praecipit 389. possibilis est eius efficacia substantialis saltem per vires supernaturales 682. a principio primo generali et adaequato Ethices totius, praesertim Christianae praescribitur 559. Non excludit amorem concupiscentiae positive 683. IV. caritas virtutum omnium perfectissima 703.

*Amor concupiscentiae*, eius gradus substantialis, et perfectio 385. lege naturali praeceptus 386. conservari non potest sine frequentatis actibus purae caritatis 387. 681. III. eius exercitium non potest esse sine ulla initiali caritate 676. per illum DEVS honora-

honoratur formaliter supra res omnes creatas 677. Possibilis est eius gradus substantialis et efficax 678. Eius virtute servans omnes leges DEI agit ex vera virtute 681 III. IV. nec sine merito novi gradus praemii aeterni ibid. not. non excludit is amorem purae caritatis 683. IV.

*Appetitus, appetitio, aversatio* 50. huius leges naturales 51. 53. inferior, superior 54. innatus, elicited, naturalis. 88. boni puri appetitus innatus naturalis 93. Appetitionum ordo naturalis 104. Appetitus rationalis consensus et pugna 507. istius utriusque attributa 509. 610.

*Ascesis* quid 731.

*S. Augustini doctrina* circa libertatem et necessitatem gratiae supernaturalis 535. 536. III. 553. seqq.

**B.**

*Bene esse alicui* quid sit 95.

*Beatitudo*, formalis, obiectiva 97. quibus conveniat 98. eius gradus, ibid. quietem affert 99. non nisi in puro bono consistit 100. nulla nisi in DEO 105. Non nisi DEI similitudine et participatione beatitudinis divinae beati esse possumus 118. beatitudo formalis finis ultimus crea-

tionis 120. 121. 122. 165. eius attributum est gaudium de nostro bono 123. beatitudo non est, nisi perpetua sit 124. II. non est possibilis in hac vita 138. evidenter existet in futura alia quadam vita, eaque aeterna 145. 146.; quaedam sit maxima 162. 164. evidenter iis obtinget, qui in hac vita semper bene moraliter sunt operati 174. efficienda est per vires supernaturales; non tamen est debita a DEO 176. ex eius iactura in vita sequente consequitur naturali ratione infelicitas positiva maxima 197. beatitudo infimi gradus maior erit poenae gradu supremo, et erit supra condignum meritum 210. VI. VII. vera per vires naturae non est possibilis, nec in sola cognitione DEI abstracta consistere potest 231. 231. 233. sed solum in intuitu DEI immediato 240. 242. quae tamen non est a DEO debita 241. erit inaequalis pro gradu meritum 243. et aeterna vi dogmatis Christiani 245. cum securitate 426. sine libertate ulteriore peccandi ibid. III. mox a morte incipit in rite purgatis vi dogmatis Christiani 273. seqq. qualis in hoc puncto error Papae Ioan-

Ioannis XXII. 274. not. 4.  
Regnum millenarium re-  
futatur 275. not. 4.

*Bonum* metaphysicum, ef-  
fentiale, accidentale 19.  
bonitas absoluta, respecti-  
va 20. verum bonum 26.  
id potest apparere malum  
27. bonum mere appa-  
rens, et simpliciter appa-  
rens 28. bonum formale  
et obiectivum 42. delect-  
tabile, utile, honestum 43.  
not. utile non potest esse  
finis ultimus, sed tantum  
medium 67. V. bonum  
*meum*, intrinsecum, ex-  
trinsecum 72. semper est  
utile 73. bonum purum,  
non purum 89. quale fit,  
et quale non 90. cognitio  
boni puri origo desiderii  
inquieta 94. nulla res crea-  
ta purum bonum 102. sen-  
sus esse naturae dicitur, nos  
puri boni capaces 103. bo-  
num physicum, et morale  
125.

*Bonitas actionum huma-  
rum*, physica, theologica  
300. obiectiva 301. 302.  
fundamentalis 303. inest  
ista actionibus humanis,  
vel malitia contraria 304.  
materialis, et formalis  
305. possibilis est bonitas  
et malitia formalis funda-  
mentalis 306. etiam theo-  
logica 308. bonitas vera  
in quo consistat 266. 577.  
581. immutabilis est, et  
demonstrabilis circa ac-

tiones in specie, 582. et  
in individuo 583. quae-  
nam per accidens talis  
583. 584.

## C.

*Calvini error* circa liberta-  
tem 537.

*Caritas DEI*, eius perfectio  
substantialis, accidenta-  
lis, gradus supremus 384.  
lex naturalis eam praeci-  
piens 386. 387. superna-  
turalis in statu Christiano  
389. nulla lege obligamur  
omnia agere ex eius mo-  
tivo 391. qui contra sen-  
ferint 389. not.

*Certitudo*, incertitudo, vera  
seu absoluta; mere appa-  
rens vel respectiva 603.  
respectiva reipsa est solum  
probabilitas 607. VII.

*Christianus* quis 8.

*Circumstantiae* actionum  
quid 201. 292. II. quot et  
quales ibid. V. not.

*Clemens* quis 217.

*Cognitio theoretica, et practi-  
ca* 16.

*Comprehensio obiecti* quid.  
236. DEI impossibilis 237.  
imo nec ullius rei creatae  
possibilis comprehensio  
est 238.

*Consensus voluntatis*, plenus,  
non plenus 449. quid ad  
plenum requiratur 450. I.  
II. sine pleno nulla actio  
mala in grave peccatum  
impu-





secturum maius bonum 142. Nec plus mali potest permittere, quam praecise ad consequendum maius bonum requiratur 143. Non potuit hunc mundum creare, nisi post hanc vitam melior consequeretur 144. DEVS vult nos felices et in hac et in futura vita, et ideo semper vult nos bene moraliter operari 177. huic eius voluntati nihil potest resistere, nisi libertas humana 178. voluntarie permittit morale malum, et physicum, et quidem necessitate hypothetica 186. Nunquam potest facere, quod eum dedecet, aut minus deceat 188. Necessario mediis moralibus debuit promovere nostram beatitudinem 189. Decebat eum improbis obstinatis statuere iacturam beatitudinis, et permittere poenas aeternas 196. 198. 199. 207. Ultra condignum punire non potest 210. III. infinite promtior est ad remunerandum, quam ad puniendum ibid. IV. summa DEI misericordia 214. 215. summe clemens est et facilis ad ignoscendum per omne tempus huius vitae 219.

*DEI intuitus immediatus* 228. 229. per naturae vi-

res non possibilis 230. 234. absolute tamen possibilis intrinsece et extrinsece 235. 239. 240.

*Dictamen conscientiae* 401. an sit regula moralitatis seu norma, an normae applicatio ibid. not. 2. primum, seu remotum, proximum et practicum 407. VI. VII. 600. quid requiratur ad eius evidentiam 602. an evidens formari possit, et an necessarium sit 621. an sufficiat probabile, vel probabilius; an vero requiratur certum 622. 623.

*Diligentia*, necessaria 451. eius gradus 452. in quibus consistat 453. 456. qua proportione crescat ibid. V. aequae in omissionibus consistit VII. debita, indebita 454. obligatio necessariae diligentiae unde oriatur 455. eius ommissio intervenit in omni peccato 457.

*Discrimen morale actionum humanarum* ostenditur 576. quomodo id discernendum 578. non sensu aliquo externo, 579. sed a ratione, seu per sensum communem naturae, seu demonstratione 580. est intrinsecum actionibus 581. immutabile. 582.

*Dominum DEI in libertatem creaturae* quale sit 640.

*Dubium*

*Dubium* 608. prudens, imprudens, 610. utriusque criteria 611. dubium conscientiae practicum 616. eius attributum 617. agens in eo peccat 618. 619. graviter, leviter, in hac vel illa specie 620. dubium tenue, minus probabile, aequè probabile, probabilius 624. ex omni dubio conscientiae theoreticae per se oritur dubium conscientiae practicae 625. qualis obligatio nascatur ex dubio conscientiae bonae theoreticae, ne quis agat in dubio practico 628. 629.

## E.

*Error* 492. ignorantiam a priori supponit 493. II. eius origo omnis voluntaria IV. V. vincere eum et vitare quid sit 494. 495. I. II. omnis vitari, sed non omnis vinci potest. ibid. III. quid error invincibilis, quid affectatus, et qualis eius libertas 496. exponere se periculo erroris quid sit 497. quando liceat 498. exempla caritatis et obedientiae ibid. not. error plene voluntarius non est, si eiusdem periculo quis se exponit ex prudenti fine, et cum spe veri iudicii ferendi 499. omnis vincibilis erroris origo est vel

incuria theologica, vel praecipitantia iudicii erronei 500. et ideo peccato semper est obnoxius 501. invincibilis circa regulas morum possibilis est 595. tale iudicium erroneum est fundamentum legum, etiam actiones materialiter bonas prohibentium 596.

*Ethica* universalis, specialis, 4. Christiana 10. huius convenientia cum, et differentia a philosophia morali 11. 12. seqq. eius fontes proprii 587. Christiana dividitur in naturalem et positivam 718. communem, et particularem 719. positiva dividitur in pure divinam, et humanam, seu Ecclesiasticam 720., an et quale ius naturae originarium ac sociale pro parte complectatur 721. dividitur in Theologiam moralem, et ius Canonicum 730. officia Ethices Christianae 732.

*Evidentia* quid 602.

## F.

*Felicitas*, infelicitas, pura, mixta 96.

*Fidei actus*, naturalis, supernaturalis, frequentia, lege naturali praecepta 388. 389.

Ccc 2

Finis,

*Finis*, proximus seu immediatus, mediatus ultimus, non ultimus 66. ultimus creationis 120. V. 121. 122. finis actionis theologice bonus, naturalis, supernaturalis 380.

*Formido* intellectualis 608. prudens, imprudens 610. criteria utriusque 611.

*Forum iudicis* morale, internum, externum 726.

*Frui bono* aliquo 45.

### G.

*Gloria*, promovere alterius gloriam 119. DEI gloria est ipsa beatitudo nostra, 120. non est DEI, sed creaturae bonum. ibid. IV. nott.

*Gratia*, mera, non mera; ad gratiam tria requiruntur 209. not. 3.

### H.

*Homo moralis* 5.

*Honor*, directus, indirectus practicus, mere speculativus 201. inest omni merito morali theologico honoratio DEI 204.

*Humii Davidis* error de sensu seu criterio moralitatis actionum humanarum 576. not. 585. not.

### I.

*Iansenii* error circa libertatem 538. 516. not.

*Ignis inferni* corporeus est; quod quidem ad dogma Christianum non pertinet; sed tamen est is sensus communis SS. Patrum et Theologorum 249. 251.

*Ignorantia* 481. not. eius origo varia 482. vincibilis, invincibilis, affectata 483. utriusque libertas, et ratio voluntaria 484. intentio affectantis ignorantiam 485. vincibilis origo proxima ex incuria libera 486. 487. 488. est peccato obnoxia 489. non item invincibilis 490. 491. ignorantia regularum moralium et legis naturae an dari possit 588. sqq. 594.

*Impedire* aliquid, physice, moraliter 182.

*Imperfectio theologica formalis* 364. 1. physica formalis 365. 366. an licita 372. periculum istiusmodi actionum ostenditur 376. tenemur eas actiones physice formaliter imperfectas saltem negative ad DEVM referre 377.

*Improvidentia, imprudentia*, 432. 433. sunt species inconsiderantiae 434. possunt esse prorsus indeliberatae 435. causa est praecipitantia voluntatis 445.

*Imputatio* 426. eius proprietates 427. requisita 428 sequitur rationem deliberatio-

rationis 439. seqq. facti alieni imputatio quando et quot modis fiat 504. seq. eius regulae 506.

*Inconsiderantia* 431. plena, non plena ibid. imputari non possunt actiones plene inconsideratae 436. 437.

*Incuria*, absoluta, theologica, habitualis, eaque generalis vel particularis, et actualis 463. eius origo, progressus, effectus 465. 466. V. differt a peccatis merae negligentiae, indeliberatione, imprudentia, praecipitantia 466. absolutae inest propinquum peccati periculum 474. idque frequentissimum 476. eius malitiae gradus varius 477. multiplicitas peccati, habituali incuriae connexi, ostenditur 477. 478. malitia incuriae actualis eiusque gradus exponitur 479. est causa ignorantiae vincibilis 487. 488.

*Intentio*, directa, indirecta 310. utriusque proprietates 311. primitiva, derivativa, principalis, secundaria 312. proprietates utriusque ibid. quando indirecte malum intendere in actione licitum, 313. quando non ibid. directa intentio, ha-

bitualis, actualis, virtualis 315. qualis ad rationem meriti theologici, et demeriti, necessaria, et sufficiens, 316. 317. 318. habitualis constans et efficax finis ultimi lege naturae praecepta esse ostenditur 373. in qua lege continentur plures aliae leges naturae 414. III.

*Invitus* quis agat 459. qui in tali affectus imperans, et quis imperatus 460. invitatus qui agit, contrariis affectibus movetur, ibid. III. absolute tamen voluntarie agit IV. non tamen mere voluntarie V. error definitionis Wolfianae *voluntarii* ibid. not. actio invite agenti recte imputatur, minus tamen, quam mere voluntaria ibid. VII. qui leges DEX observat invitatus, nec nisi metu poenae aeternae, is odit actu legem DEX, et peccat ibid. X.

*Iudex* pater, publicus 725. iudicium paternum, et publicum ibid.

*Iudicium extremum* 279. eius adiuncta 280. particulare cuiusque hominis 282.

*Iurisdictio* 725. spiritibus iurisditionis potestas in foro interno et externo, a Christo instituta 728.

*Ius* 324. naturale 378. dantur iura naturalia ibid. qui nulla consilia divina naturalia, a legibus diversa, nec actiones theologice formaliter indifferentes admittunt, existentiam iurium naturalium tollunt ibid. not. I. ius plenum, proprium, precarium, ius dominicum, seu dominium 639. ius precarium naturale libertatis propriae homini revera competit circa omnes actiones non positive malas 641.

*Ius aggratiandi* 728. not. I.

*Ius Canonicum*, eius definitio, extensio 730. not.

*Ius naturae* 566. eius principium primum, generale, et adaequatum. 567. seqq.

*Iustitia* in genere 208. universalis 713. quas virtutes importet absolute 714. status eius analogus vitae beatae ibid. III. particularis, distributrix et conservatrix 692. haec non nisi pars est universalis iustitiae 714. II.

### L.

*Lex moralis*, affirmativa, negativa, vera, falsa 339.

nulla est permittens lex ibid. not. actus ad legem requisiti in superiore 340. et in subdito 341. qui pertineant ad essentiam 342. lex obiectiva, et subiectiva 343. utriusque discrimen, et proprietates 344. leges ignotae eis esse non possunt, quos actu obligant 346. II. not. omnis lex habet suas rationes sufficientes tum possibilitatis, tum existentiae, 348. tum quatenus regula, tum quatenus, obligans regula est, tum quatenus perfecte obligat, graviter, vel leviter 349. explicantur rationes possibilitatis a 349. usque ad 353. et rationes existentiae 353. quae actiones lege praescribi absolute possint, et unde gravitas legis mensuranda 354. non possunt praecipii impossibilia ibid. VI. qui obligatur ad finem, etiam ad media obligatur ib. VII. leges DEI omnes obiectivae aeternae sunt 379. subiectivae omnes existunt in tempore ib. II. lex necessaria, et contingens 355. omnes leges DEI absolute contingenter existunt ib. III. hypothetice tamen aliquae sunt necessariae ib. IV. probabilitas quaecunque malitiae moralis fundamentum

mentalis actionis, aut ipsius legis obiectivae nondum habet rationem legis subiectivae 627.

*Legislator* 347. supremus ibid.

*Lex naturae* 356. fundamentum affirmativae, 319. et negativae, gravis 320. ac levis 321. necessitas utriusque unde 357. 358. cur affirmativae non pro semper, negativae pro semper, obligent 359. not. non obligat DEUS lege naturae ad optimum 360. non debemus esse nimis faciles in legibus naturalibus afferendis et multiplicandis 382. not. lex naturalis determinatur vi solius scientiae possibilitium 397. eadem rationem sufficientem gravitatis suae habet, uti et necessitatis, in ipsa vel bonitate necessaria actionis, vel in eius malitia positiva fundamentali 416. IV. V. lex falsa humana dari potest, non divina 597. II. quomodo lex naturae sit universalis 598. omnis per se absoluta est ibid. II.

*Lex positiva*, contingens 355. 392. eius rationes sufficientes 393. divina, humana 394. quando et quo pacto simul iungantur circa idem lex natu-

ralis et positiva, divina et humana 395. lex positiva non potest esse naturali contraria 396. non determinatur per solam scientiam possibilitium in DEO 398. non potest ferri ad solam ostentationem domini divini ibid. II. sed omnis determinatur a scientia media generali 399. hic ortus legis Evangelicae 400. et ipsius potestatis Ecclesiasticae ibid.

*Lex praecipiens* omnis connexa cum lege prohibente 414. lex omnis praecipit actiones non invitatas, sed cum lubentia peragenda 460. X. et cum pleno consensu XI. eius obiectum semper est bonitas theologica formalis necessaria ad aliquem finem 597.

*Lex prohibens* naturalis omnis pro obiecto habet omnem et solam malitiam formalem theologicam actionis vel omissionis humanae 597.

*Legis in antecedentem et consequentem divisio* reiiicitur 597. not. 3.

*Libertas* ad malum est malum physicum 133. 134. libertatis possessio quae 642. an praesumptio stet pro libertatis possessione in dubio solide probabili  
Ccc 4 con-

conscientiae 647. seqq.  
liberum, immediate, et  
mediate tale 285. eius di-  
scrimen a voluntario 286.

*Libertatis essentia* 507. seqq.  
513. 517. 518. libertas ut  
facultas activa, libertas  
indifferentiae, contrarie-  
tatis, contradictionis 512.  
cuiuslibet essentialia quae  
513. libertas actui secun-  
do libero essentialis et in-  
trinseca est ibid IX. stante  
necessitate ad finem stare  
potest libertas electionis  
mediorum 519. libertas  
ad speciem et ad exerci-  
tium 520. qui solum liber  
est ad eligendum inter  
bona aequalia, non mere-  
tur moraliter, quodvis  
eligat 521. requisita ad li-  
bertatem physicam in sta-  
tu praesente ad promeren-  
dam beatitudinem 522.

*Libertatis existentia* ostendi-  
tur ex ratione naturali,  
539. est dogma catholi-  
cum 545. seqq. S. Augu-  
stinus vindicatur. 548.  
seqq.

*Lutheri error, circa liberta-  
tem* 537. 548. 549. de  
imputatione meritorum  
Christi per fidem salvifi-  
cam 544. not.

### M.

*Malum* metaphysicum 18.  
essentiale, accidentale 19.

malitia respectiva 20. res  
omnes finitae ex parte  
malae 22. malum verum  
26. intrinsecum, extrin-  
secum ib. malum verum  
potest apparere bonum  
27. malum apparens 28.  
malum formale, obiecti-  
vum 42. molestum, no-  
xium, inhonestum 43.  
not. malum meum 72.  
physicum, morale 125.  
negativum, positivum  
126. mala plurima in hoc  
mundo 128. quin vitari  
possint, 136. vel tempore  
mitescant 137. morale  
malum adversatur huius  
et futurae vitae felicitati  
179. 181.

*Manichaeorum error circa  
libertatem* 533.

*Mansuetus quis* 217.

*Medium* 66. physice, mora-  
liter sufficiens, ad finem  
153. non datur in mundo  
toto physice sufficiens ad  
beatitatem seu huius seu  
alterius vitae 138. 154.  
seqq. medium sufficiens  
morale beatitudinis quod  
fit, quod non fit 160. 161.  
media moralia sufficien-  
tia ad bonum usum liber-  
tatis promovendum 190.  
191. 192. 193. 195.

*Meritum morale, demeritum*  
158. 159. quibus insit  
actionibus 165. theolo-  
gicum quid 166. existen-  
tia

tia meritorum moralium dependet ab omnibus malis huius mundi, 170. ceu eorum cauffis per accidens 171. et sunt finis proximus permissiois malorum a Deo factae 172. illis honoratur DEUS 204. demeriti moralis ratio praecipua in contemptu DEI consistit 205. IV.

*Meritum, demeritum, morale condignum, congruum* 210.

*Misericordia, eius gradus* 212. ad eam non pertinet impedire omnia mala, et quae non 213. DEI summa est 214. promta ad veniam omni rite poenitenti dandam 254.

*Motiva, impellentia, absterrentia* 507. sufficientia quae 511.

N.

*Necessarium, absolute, hypothetice, antecedens necessitas, et consequens,* 514. physica seu naturae, et moralis 515. quaenam opponatur libertati 516.

*Necessitas moralis ad malum, negativum, et positivum,* 131. datur 132. crescit ex malis 180. quot modis oriri possit necessitas moralis agendi 326. quis personarum extraneorum

concurfus actionem faciat moraliter necessariam, quis non 327. 328.

*Necessitas gratiae supernaturalis ad libertatem et potentiam moralem consequendi finem ultimum ostenditur a* 522. usque ad 533.

*Negligentia* 451. peccata negligentiae 461. negligentia in his tantum est indirecte voluntaria 462. III.

*Norma actionum moralium, eius applicatio; differt utraque a dictamine conscientiae* 401. norma prima, sufficiens 402. natura rationalis norma est, sed non prima, nec sufficiens 403. Prima, universalis, et absolutissime sufficiens est DEI perfectio infinita 404. lex divina non est norma bonitatis, nec malitiae fundamentalis; 450. ex ea tamen nova ratio moralis demeriti theologici peculiaris et praecipua in actiones humanas redundat, quae consistit in contemptu pratico diverso in transgressione legis graviter et leviter obligantis 406. quanta sit illa malitia 407. Ex solo DEI consilio eadem malitia non redundat 408. sola voluntas DEI consequens,



quens, quocunque signo nobis manifestata, est norma optimarum actionum in individuo 585.

## O.

*Obedientiae* virtutis definitio 697. not. fundamentum eiusdem 714. IV. V. not.

*Obligatio*, activa, passiva 331. facultas obligandi 332. 333. perfecta, imperfecta obligatio 335. gradus perfectae, gravis, levis 336. vera, falsa 337. quid requiratur, ut obligatio sit possibilis 338. I. quid, ut sit vera ib. II. obligatio nulla in actu primo tantum 344. not.

*Occasio mala*, remota, propinqua, proxima. Exponere se occasionei malae 471.

*Officia hominis*, perfecta, imperfecta 555.

*Omissio pura immediate libera* impossibilis esse demonstratur 410. not.

*Opinio* quid 698.

*Ordo mundi* contingens, a Deo determinatus, hypothetice necessarius 127.

*Ordo virtutum rectus* 709. in quo consistat 710. 711. completus supponit perfectam sapientiam et prudentiam, 712.

## P.

*Paupertatis religiosae* honestas, et eius fundamentum demonstratur 714. IV. V. not.

*Peccatum*, theologicum, philosophicum 409. eius malitia propria 410. requisita ad illud 411. commisionis, omissionis 413. grave, leve 415. utriusque discrimen intrinsecum 416. dantur gravia, et levia ibid. VI. VII. refutatur error contrarius variorum ibid. not. idem dogma esse catholicum ostenditur 417. et consensus Patrum circa idem 418. multiplex confusio in acceptione vocis peccati apud scriptores varios detegitur ibid. not. 2. peccati generica notio figitur 419. peccatum habituale, actuale, spontaneum, liberum, philosophicum, theologicum simpliciter, imperfectio theologica, et peccatum theologicum antonomastice tale 419. habituale dividitur in habituale naturae, et in habituale actus ibid. originale peccatum quale ibid. not. regulae pro generibus et speciebus peccatorum dividendis et discernendis 420. duae tantum sunt supremae species peccatorum,

torum, una in intellectu, altera in voluntate; cuius subalternae item utrinque duae. Ratione externorum peccatorum species non variantur ibid. not. ut actus intellectus rationem peccati habere possint, mediate liberi esse debent error et ignorantia 421. II. error Wolfii in hac parte ibid. not. species inferiores peccati theologici omnes repetendae a malitia fundamentali 422. peccatum grave sine plena deliberatione committi non potest 441. nec sine pleno consensu 450. III. IV. origo omnis peccati ex inefficacia desiderii finis ultimi 458. peccata ex certo proposito quae, et quae ex mera negligentia 461. quod amborum discrimen 462. in prioribus longe maior malitia ibid. V. seqq. peccatorum negligentiae origo 465. III. eorum effectus ib. IV. In omni peccato aut destinata malitia, aut incuria intervenit, nec sine horum alterutro peccatum esse potest 502. 530.

*Pelagianorum errores* circa libertatem 534. quomodo a S. Augustino refutati

554.

*Perfectio entis* 29. eius magnitudo 31.

*Periculum mali*, maius, minus, proximum, propinquum, remotum 467. mali extrinseci, intrinseci, immediate liberi, mediate liberi, non liberi, mali gravis, mediocris, levis 468. exponere se periculo mali quid 70. quot modis fieri possit 472. I. positive malum est, ni fiat ex intentione boni maioris cum sufficiente istius spe ibid. II. III. talis non amat periculum ibid. IV. quae conditio requiratur, ut fiat licite ibid. V.

*Permittere* quid voluntarie, involuntarie, physice, moraliter 183. seqq.

*Placere* quid dicatur 33.

*Poenae* 163. paterna, et iudicialis 266. 267. improborum aeterna demonstratur 200. dogma Christianum idem ostenditur 247. seq. universae poenae reprobatorum multo minores sunt praemiis universis beatorum, nec sunt condignae in singulis 210. V. VIII. poena reprobatorum duplex, damni, et sensus 252. posterioris inaequalitas 253. poenae hae iudiciales sunt 267. mox a morte initium 276.

*Poenitentia* quid 716. eius actus proprii, et gradus efficaciae istorum 717. per-

- perfecta, imperfecta 255.  
**DEI** iustitiae est exigere perfectam 256. varius eius gradus necessarius ad remissionem perfectam 268.
- Possessio** boni, moralis, physica 46.
- Potestas** moralis 324. eius proprietates 325. requisita 329. 230. potestas in libertatem alienam, perfecta, imperfecta 334.
- Potestas** exequendi legem 723. inquirendi et iudicandi 724. iurisdictionis spiritualis in foro interno et externo 728. administrandi Sacramenta 729. eius attributa ibid.
- Praecipitancia** iudicii et voluntatis 443. haec illam praecedit semper 444. est causa indeliberationis, imprudentiae, et improvidentiae 445. est effectus appetitus inferioris 446. 447. quando obnoxia peccato 448. propinquum ex ea mali periculum 473. quando immunis a peccato 480.
- Praesumptio** universalis quae 643. cur possessor esse rei dominus praesumatur, et quo sensu melior eius conditio 644.
- Pretium** personae, actionis, rei, intrinsecum, extrinsecum, 157. physicum, morale 158.
- Principium**, materiale, causa efficiens, intentionalis, moralis 423. principium voluntarium, liberum, 424. requisita ad hoc 425. I. aliud est, actione libera esse principium, aliud, esse principium liberum rei ibid. II.
- Principium sciendi**, certae disciplinae proprium, primum, generale, adaequatum 557. Ethicae Christianae quod 558. I. seqq. totius legis naturae 564.
- Probabilitas**, absoluta, intrinseca, extrinseca 606. quae propositio improbabilis 607. contradictoriae duae possunt simul esse probabiles 607. IV. V. tenuis, solida probabilitas 609. utriusque proprietates 610. propositio minus, aequae, magis probabilis 612. probabilioris contradictoria non hoc ipso improbabilis 613. II. nulli mere probabilis propositioni iudicio absoluto praecise ob probabilitatem assentiri possumus 614.
- Praemium** condignum, supra condignum 210. I. II.
- Promovere** effectum, physice, moraliter 182.
- Pro-*

*Promulgatio legis*, activa, passiva 345. activa est attributum legis obiectivae 346. I. leges actu obligantes eis esse ignotae non possunt, quos actu obligant 346. II. not.

*Prudentia* virtus intellectualis, non theologica 699. eius natura, gradus, modus eam acquirendi 700. requiritur ad rectum ordinem virtutum completum 712.

*Pulcritudo* 33.

*Purgatorii* fundamenta ex ratione naturali 216. II. 220. 221. seqq. usque ad 228. item 260. 261. 262. seqq. 268. 270. dogma Catholicum 269. seqq. item de suffragiis mortuorum 272. purgatorii poena iudicialis 267. III. an ignis verus in purgatorio 272. not. 3.

Q.

*Quies* 85. nulla possibilis, nisi in Deo 105.

R.

*Rectitudo* hominis, physica, moralis I.

*Regula*, agendi, artis, morum 3. regula prima generalis et adaequata totius Ethicae Christianae 559, regularum moralium vera collisio an dari possit

569. quomodo formentur 570. unde earum collisio apparens 572. quomodo tollenda 573. 574. unde omnis error 575.

*Relatio actionis ad aliquem finem*, materialis, formalis per intellectum, per voluntatem, positiva, negativa 314. non lege naturae obligamur, sed invitamur consilio, ad referendas omnes actiones positive ad DEVM 374. negative tamen referre ad DEVM eas obligamur, in quibus mali periculum probabile praevidemus 375. hoc periculum intervenit in omnibus, quae fiunt ob solam voluptatem 376. Nullus infidelis, nec christianus, obligatur lege naturae referre omnes actiones ad finem supernaturalem 382. Nec facile supponenda est talis lex positiva 383. seqq.

*Religio*, interna, naturalis, supernaturalis, vera, falsa 693. iuvatur symbolica sui expressione per signa externa apta ex natura, vel ex placito 694. per eadem promovetur in aliis 695. religio externa 696. sine interna vera non est 697. quibus constet habitibus ibid. non est virtus theologica, sed simpliciter moralis ibid.

ibid. III. IV. V. pertinet tam ad ordinatum amorem sui, quam proximi ibid. VI.

*Remittere culpam*, simpliciter, perfecte 263. potest DEVS remittere culpam gravem ob actam poenitentiam imperfectam, relicto reatu poenae temporalis 264. hoc esse dogma revelatum ostenditur 265.

*Resurrectio mortuorum* dogma Christianum 277. eius modus et adiuncta 278.

*Revelationis divinae necessitas* et utilitas 524. seq. 586.

### S.

*Sapientia* praelucens virtutibus theologicis moralibus, 686. et simpliciter moralibus 698.

*Scientia* 48.

*Securitas conscientiae* 615.

*Sensus moralis*, qualis a multis hodie asseritur 576. not.

*Spes boni*, proxima, propinqua, remota 469.

*Spontaneum* 283.

*Status moralis hominis*, naturalis, supernaturalis 5. eius constitutiva 6. hominis christiani, huiusque a mere naturali differentia 9.

*Stimulus appetitus* 52. unde eius magnitudo 53. II. primitivus 68. 69.

*Subditus* 334.

*Superior* 334.

### T.

*Taedium* 33. verum, apprensens 35. unde magnitudo eiusdem 39.

*Theologia Moralis*, eius definitio 730.

### V.

*Virtus* in genere, physica, moralis 657. eius proprietates 658. mere philosophica 659. huius imperfectio 660. *virtus vera* 661. huius proprietates 662. philosophica vera non est 662. III. vera virtus naturalis quae 663. haec sine auxiliis gratiae supernaturalis non est possibilis 664. nec praesumi potest de homine, in statu morali mere naturali persistente 665. I. eadem non nisi meriti congrui rationem haberet respectu beatitudinis ibid. II. Virtutis meritum de condigno requirit dignitatem personae agentis supernaturalem 666. omnis vera virtus in prae-dominio amoris DEI, et in ordine amoris, consistit 683.

683. VIII. omnis virtutis moralis actus ex gemino voluntatis actu consistit 672.

*Virtutis, tam intellectualis quam moralis, divisio in theologicam, et simpliciter moralem* 684. Morales theologicae virtutes quae 685. Intellectuales theologicae naturales 686. Intellectuales et morales theologicae supernaturales ibid. divisio virtutis simpliciter moralis in amorem ordinatum sui, et proximi 688. divisio veri amoris sui 689. 690. et proximi 691. divisio vulgaris virtutum moralium reiicitur 700. not. Schema divisionis omnium virtutum et totius iustitiae Christianae universalis 715.

*Virtus Christiana* quae 667. sola vera est, et simul omnibus adultis ratione utentibus ad salutem necessaria 669. 670. quid de gentilium Philosophorum salute sperandum 670. III. IV. quid Christianae virtutis natura importet 671. duplex modus Christianae virtutis possibilis, et uterque sufficiens ad salutem, primus ad substantiam, alter ad illius perfectionem pertinet. 683.

*Virtutis perfectio*, eius gradus 701. 702. crescit, si actus omnes eliciantur ex imperio caritatis 704. quid requiratur ad perfectionem cuiusque virtutis in sua specie 705. quid augeat eam in actu individuo 706. quis modus omnium perfectissimus 707. 708. perfectionis proprium officium est, singulas virtutes colere pro gradu specificae perfectionis 714. IV. V.

*Virtutes inferioris ordinis* quae, et quae superioris ordinis 709.

*Vitium* 657. omne morale in praedominio amoris terreni prae amore DEI consistit 683. IX.

*Vis moralis*, amica, cogens 334. quis possit cogere ibid. II.

*Vitae futurae* post praesentem alterius certitudo demonstratur 139. seqq 145. vita praesens debet illius esse medium 147. 148. seq.

*Volitiones primitivae, derivativae* 65.

*Voluntarium*, non voluntarium, formale, obiectivum 284. eius discrimen a libero 286. Error definitionis

# 784 Index Rerum Praecipuarum.

nitionis Wolfianae 460.  
VI. not.

*Voluptas*, 33. vera, mere appa-  
rens 35. verae crite-  
rium 37. contrarie oppo-  
nitur taedio 37. III. eius

magnitudo unde 39. pu-  
ra, mixta 89.

*Vti re aliqua* quid sit 45. usus  
rei activus, passivus, uti-  
litas 150. facultas re ali-  
qua utendi. 151.

O. A. M. D. G.











